De purganda medicina a curarum sordibus. Ubi detecto evacuantium fuco solidorum systema, ac purgantium leges verae, tempora, & rationes, nec non morborum aetiologiae solidores, & nobiliores curae stabiliumtur. In hac prima Neapolitana editione accessit Novus medicinae conspectus et appendix de peste / Auctore Joanne [i.e. P.] Hecquet.

Contributors

Hecquet, Philippe, 1661-1737.

Publication/Creation

Parissis et denuo Neapoli : Expensis Bernardini Gessari, typis Felicis Caroli Mosca, 1737.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/duanumuu

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

L 480
081/B/2

Wrongly bound

42599

DE
PURGANDA MEDICINA
A CURARUM SORDIBUS,

Ubi detecto Evacuantium fuco, Solidorum Syſtema, ac Purgantium Leges veræ, Tempora, & Rationes, nec non Morborum Ætiologiæ ſolidiores, & nobiliores Curæ ſtabiliuntur.

In hac prima Neapolitana Editione acceſſit

NOVUS MEDICINÆ CONSPECTUS, ET APPENDIX DE PESTE.

AUCTORE

JOANNE HECQUET M. D.

EXCELLENTISSIMO VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO PIGNOCCO

M. D. Expertiſſimo.

PARISIS,

Et denuò Neapoli Expenſis BERNARDINI GESSARI

Typis Felicis Caroli Moſca MDCCXXXVII. *SUP. PERM.*

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Medici, nobiliores animos erigant, neque toti ſint in Curarum ſordibus. Bacon. Hiſtor. Vitæ & Mortis Præfat.

EXCELLENTISSIMO VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO PIGNOCCO

Medicinæ Doctori Expertissimo.

S. P. D.

BERNARDINUS GESSARI.

QUam, *ad observantiæ erga te meæ tuæque in me benevolentiæ significationem, jamdiu votis omnibus optaveram; aliquando tandem sese dedit occasio. Recudendis enim Joannis Hecquetii operibus dum allaboro, statim occurris nobili tuo illo Scientiarum, ac Virtutum apparatu clarus, ac, ut ea Tibi sacra deponam, animum addis. Atque licèt vereor ne levius hocce meæ servitutis monumentum Viro tam præstanti indignum cuipiam videatur; singularis tamen Humanitas tua, qua nihil habes antiquius, me planè recreat, hortaturque ut nonnihil audax potiùs, quàm ingratus audiam. Ecquis enim mihi non vertat vitio, si tot inter Doctrinæ tuæ admiratores, totque laudum tuarum præcones æquissimos, quot in Arte Medica, ac in omni Scientiarum genere Viros Clarissimos Urbs hæc nostra habet, ego unus sileam, quem pro tua singulari benevolentia tot voluisti beneficiis auctum? Hinc eorum omnium voluntati facturum me satis existimavi, si hæc denuò Typis tradita claro Tuo nomine inscriberentur opera. Quid*

ad

ad hæc quod Auctoris famæ, atque Honori non alia potiore ratione consulere poteram? Tuo Mehercle! patrocinio fretum Opus hocce Literatorum plagas liberiùs pervagabitur, atque felicius: nullusque procul dubio erit, quem ejus habendi studium non incessat, Tuas quam maximè laudes perlustrandi gratia, quas jampridem fama divulgarat. Atque jam mihi videre videor, cum in dissitas è nostris regiones illud asportabitur, præclara illa Scientiarum Lumina, scilicèt Archiatros tam benè de Medicina meritos, summoperè lætari, quod Te Auspicante Lucem denuò aspiciat Novus Medicinæ Conspectus, atque de Purganda eadem Medicina a curarum sordibus. Norunt enim omnes ex iis, quæ a Te transmissa sunt pro tutanda plurimorum Procerum valetudine, sapientissimis consiliis; quanto polleas ingenii acumine, quanta in componenda cum Mechanice Arte Hippocratica felicitate. Norunt qui ex hujus Neapolitani Archilycei Parentibus te familiariter usis, audire potuerunt, in perscrutandis penitioribus morborum principiis quanta subtilitate, in adinveniendis præsidiis, aut prænoscendis morborum eventibus quanta dexteritate, ac judicii maturitate præstes. Loquentur alii tuam in dicendo Tullianam eloquentiam; dignis alii tuam humanitatem cohonestabunt laudibus, omnes inclytam Virtutem tuam prædicabunt. Quod si nonnullus Tui ignarus de Te percontabitur, ad unum omnes responsi loco dabunt: Hic est summum Trinacriæ Decus, & Ornamentum: Quo duce studiosæ Juventuti scientiarum adytus patet: Quo magistro egregiorum Discipulorum catervæ maximo Reip. literariæ bono student: Quo denique operam dante plures ex Excellentissimis Siciliæ Proregibus, Panormitani Magnates penè dixerim omnes, ac Religiosorum Illustriores Familiæ propriæ sanitati egregiè consultum arbitrantur. Vale igitur Vir omni laude superior, atque munusculum hoc qualecumque sit ea mente excipias, qua Tibi dicatum volui, nempe in Observantiæ erga Te meæ perenne monumentum, atque Hecquetianæ doctrinæ Decus & Præsidium.

PRO-

PROLOQUIUM.

PUBLICA querimonia eſt, inutile arti medendi aut infructuoſum eſſe ſanguinis circuitus inventum, ut pote cum ex illo felicitatis aut facilitatis fermè nihil medicinæ rediiſſe videatur; argumentum ex eo ducunt quòd quæ ab antiquo fuere, maneant adhuc medicinam difficultates, caligines, impotentiæ, ita ut qui olim, ii ipſi hodie ſuperſint morbi inſanabiles; & dum ab invento ſanguinis circuitu monſtratæ ſunt aliæ videndi cauſæ, obſtinatè durant eædem moriendi & ægrotandi rationes; meliùs durant iidem, nihilomagis feliciores aut faciliores curandi ritus. Ideone quòd ab hoc invento iners aut ignava ceſſaverit medendis ſcientia? imo in *ætiologias* & methodos novas tota ſtatim ebulliit, remediorumque, *panacearum* & arcanorum *proceſſus* inauditos & non numerabiles, interea tamen cognitionum undequaque colluſtrata fulgoribus, mille modis cæcutire perſeveravit, in curando inprimis, quo in negotio ſtupendum quàm pauci & breves illius videantur fuiſſe progreſſus! medicaminibus enim locupletata in dies, ſupereffluit quidem ſuperbitque mille novis medendi promiſſis, rationibus & *ſyſtematis*, pauperata tamen, imo decreſcens tanto quanto defraudata eſt eo omni, cujus acceſſione a ſanguinis circuitus invento ditari potuiſſet: itaque medicinæ ſtimulo reipſa fuit ſanguinis circuitus inventum, at quo temerè excita aut præpoſterè, in extraneas & improprias cognitiones conjecta ſeſe immerſit; dato enim ſanguinis circuitu obvium erat diſpicere, quò ſpectabat ducebatve ille motus tam univerſalis ſimul & tam particularis; partibus nempe communis omnibus, ſingulis proprius; intelligereque promptum quantæ ad vitæ cutelam neceſſitatis erat motionis genus, quo partem nullam carere natura voluerat. Conſequebatur quanti ad ſanitatem momenti futura erant motus illius errata, a cujus integritate vita pendebat, hincque veniebat conjectura poſthac eliciendas fore morborum & mortis cauſas, unde petebantur ſanitatis & vitæ origines. Aperti, ſimplices & quaſi ad manum erant ejuſmodi conceptus, ad quorum normam condendæ erant primæ hæ animalis œconomiæ leges aut regulæ, univerſales nempe veritates, quæ inpoſterum augendis, aſſerendis, ſtabiliendiſve me-

medicinæ operis ſerviiſſent. Primo, circulat ſanguis. Secundo, circulat non tantùm per univerſum corpus, ſed etiam per ſingulas illius partes. Tertio, a ſanguinis facta circulatione per univerſum corpus, vita; a circulatione per ſingulas partes abſoluta, ſanitas. Quarto, partium functiones ſanguinis circulationis ſunt effectiones. Quinto, functionum vitia, ſanguinis circulationis ſunt errata. Seſto, medicinæ ergo finis aut opus, eſt ſanguinis circulationis redintegratio.

Sanguinis circulatio confeſſa res erat; at cum circulatio ab habitu aut *peripheria* motus ſit ad centrum, cumque ſingularum partium ſuus habitus aut *peripheria* ſit, ſuumve centrum, in ſingulis partibus ſingularem fieri circulationem concludendum eſt, eo magis quòd nullam partem invenias, cujus textum non ſit illis omnibus ex vaſis, quorum opera circulatio ſit, omnibus, inquam, vaſis, tum iis quibus rubra ſanguinis, tum illis quibus illius alba pars vehitur revehiturve: unica enim circulationis organa, hujuſque authores ſolos ſtatuere *venas* & *arterias* ſanguinales, manca eſt circulationis notitia, *venæ* namque & *arteriæ lymphaticæ* ſunt, quæ ſanguinis albæ partis circulationem exſequuntur; illis autem utriſque & utriuſque officii vaſis inſtructæ conſpiciuntur ſingulæ, unde non incertum petitur argumentum, nullam dari partem quæ propriam ſortita non ſit circulationem.

Interim cum non ſit eadem ſingularum partium ſtructura, cum non ubique ſit eadem vaſorum menſura, numerus, conditio, non iidem *diametri*, *ſyſtaltica* vis non eadem, inæqualeſve a corde diſtantiæ; ſint oportet circulantium in illis ſuccorum tritus varii, diſpares circuitus, diſſimileſque circuituum periodi, ſub quibus plùs minùs tardando, plùs minùſve tritus, ſubactuſve ſanguis, varias induit *craſes*, varios ſapores, colores varios; hinc ſub ſanitate *ſecretionum* differentiæ & ſuccorum diſcrimina, quandiu ſuus cuique circulationi ſtat modus, tenor, æquabilitas; ſub morbis verò *ſymptomatum*, *colliquationum* & ſaporum varietates, cum abnormes fiunt ſingulares illæ viſcerum circulationes. Porro ut in illis functionum rationes videre datur, & in his morborum cauſas pervidere, in utriſque non incerta ſe produnt *phyſiologiæ* ſimul & *pathologiæ* fundamenta.

Enimvero facilis & ſimplex eſt quæ hinc animo medentis ſe dat curationis indicatio, unica nempe illaque circulationis tum univerſalis, tum particularis redintegratio, qua ſemel obtenta, ut reſarcitur *ſecretionum* omne negotium, ſua quoque functionibus redditur & ſanitati integritas.

Equidem hunc ipſum finem ſemper ſibi fecerat medicina, at nuſquam obſequendi illius copia aut opportunitas major, quàm a circulationis ſanguinis invento facta fuit, hinc enim ſanguinis ſtatus & motus non incerta ſcientia venit, a qua pendere totam artis felicitatem ab omnibus conceſſum fuit, atque confeſſum. Quod enim operatur in exponendis, deſcribendis, diſcriminandiſve terrarum plagis, locis & tractibus Geographia, ut *macrocoſmi* præbeat notitiam, idipſum facit ſanguinis circulationis inventum, ut corporis humani, quod *microcoſmus* eſt, ſcientiam exhibeat; Geographia enim maria, flumina, lacus regionibus propria oſtendit; ſanguinis autem, humorum, *lympharum*, ſuccorumque omnis generis vaſa, tubulos, curſus, ſitus cuique viſceri ſingulares explanat, monſtrat, revelat circulationis inventum. His defecta cognitionibus medicina in humorum luto hærere diu coacta fuit, ſed unde emergere illi a circulationis ſanguinis invento datum eſt; hinc enim celſior facta aut ſublimior medendi ars, non lutulari ſub morbis viſcera didicit, ſed ab inordinatis ſuccorum excurſionibus impediri: novit ſuos cuique viſceri dari ſuccos, proprioſque ſuccorum circuitus, rationes proinde, reſpectus & ordina-

tio-

tionem partes inter omnes esse stabilitam, unde ut sanitatis *harmonia* exsurgit, dum suo in ordine pergit isthæc motuum series & amicabilis reciprocatio, ita & enascuntur morborum turbæ, ut primum ab illis factus fuerit recessus.

Itaque a circulationis invento desuescens physica medicinalis a rudioribus & inconcinnis nimium materierum ideis aut conceptibus, ordinis ipsius & harmoniæ rerum studium aut meditatio facta est, morborumque curatio ordinis cura: ars nempe restituendi animalis œconomiæ leges,

Absit autem sic voluerimus ad *metaphysicas* ideales, aut commentitias notiones devolvi totam medendi scientiam, nusquam enim fuerit hæc magis scientia rerum, quàm cum his ordinis legibus superstructa erit, ut pote cum tam sint illæ leges in rerum aut corporum notitia, quàm vera sunt aut existentia quæ creata sunt, a Creatore enim jussæ sunt & institutæ; unde (quod hujusce medicinæ honos erit) certitudinis illi titulus fiet non ambiguus. Posthac quid sit isthæc a medente facienda functionum redintegratio in conspicuum venit, legum illarum Creatoris restitutio est, seu justitiæ aut æquabilitatis operatio, qua suum cuique visceri jus in proprios succos & succorum circuitus restituitur. Revera ex disturbatis illis legibus, ut a suis sedibus alienantur succi, qui ad alias partes transilierint, diversimode immutari illos, alterari imo & impurari necessum est, unde illorum peccamina, vitiationes, salsedines, acrimoniæ, quibus emendandis accommodata sunt *infringendi*, *absorbendi*, *concentrandi indicationum* genera, quæ aliunde suam merentur laudem, at suas medentibus iis fecerunt insidias, qui ex circulationis invento intellexerant minùs, dolosa esse magnorum illorum remediorum nomina, quandiu ad suas unde deflexerant elocati succi sedes non restituerentur. *Purgantium* eadem fraus, quorum opera dolosa quoque aut periculosa comperiuntur, nisi eò unde aberraverint succi remittantur; adeo princeps indicatio est sanguinis circuitus redintegratio! sanguinis, inquam, universi, omnium nempe simul succorum qui ab illo derivantur, quique ad vitæ sanitatisque tutelam circulari indigent. Ad partem sanguinis albam hi omnes pertinent, qui quantumvis nominibus aut officiis multiformibus insigniantur, iidem in radice sunt aut origine, *lymphatici* omnes a lympha nati, quorum circulationis ea est ad sanitatem necessitas, ut graviora quæ acutos morbos infestant *symptomata*, aut quæ *chronicos* obscurant impediuntve magis, *lymphatici* alicujus hærentis alicubi aut stagnati succi, ideoque a circulationis orbita abrepti vitio debeantur. Non enim fucum cuiquam faciet aut dolum tubulorum genus a sanguinalibus dissimile, quo circumferuntur *lymphatici* succi, non enim uniusmodi coloris videbuntur succi circulantes & circulatorii tubuli, ex quo revelavit oculisque subjecit circulationis inventum, *venas lymphaticas* exceptoria esse vasa, quæ a *membranis* sorbendo *lympham*, ad venas sanguinales revehunt. Certè perennando huic orbico motui condendæ fuerunt a Creatore leges, ad quarum normam ille duraret, illarumque legum observationi aut restitutioni invigilare, medicinæ pars est: neque artis minus est aut miraculi in illo qui ex arteriis in cerebri medullares tubulos, hincque in nervos assiduè fit fluidorum motu, medenti eò observabili magis, quòd ad vitam apprimè necessarius sit; ab illius ergo vel *ecclypsi*, vel fracto tenore, ut multa oriuntur quæ cerebri morbos spectant graviora *symptomata*, palàm fit quæ sit illorum incuria qui in medendis cerebri affectibus viscera destercorari unicè curant, dum in nervorum *lympham* aut tunicarum illorum *spasticam* vel *inflammatoriam diathesin* vitium omne refundendum esset, unde perdita *circulatoriorum* tubulorum flexibilitate, motuum & horum legum periit æquabilitas.

Porrò quid in curando emolumenti ex circulationis invento redeat, venit hinc in apertum, unde discere datur, quodnam succi aut vasis genus culpandum maximè medico veniat in singulis singulorum viscerum morbis, unde comperta qua ex parte peccet sanguinis impedita circulatio, non alio quam convenit suas dirigat *indicationes*, suaque mittat remedia, ad artis enim felicitatem facit maximè, internosci alterutrius sanguinis partis culpa fiat aut alescat morbus, albænè nimirùm aut rubræ, ad cujus in circulo *stasin* aut hæsitantiam, suas formandas habet medicus aut mutandas curandi artes vel intentiones; hanc autem artis sagacitatem a circulationis invento obtinet, quo eruditus tubulorum genera quibus insternuntur affectæ partes edocetur, cujusque ingenii sint qui hærent succi, qualique indigeant medicina. His observationibus & discerniculis defecta scientia medendi, antequam circulationis invento collustrata fuisset, in detegendis plurium causarum morborum arcanis curta erat, in illis qui *cerebrum, glandulas* & *nervos* spectant ferè cæcutiens, ut potè quos omnes frigeratæ pituitæ attribuendo, *ætiologias* illorum obscuravit & incerravit curas: unde tam densa incurabilium morborum cohors, quorum pars maxima *fluido nervorum* stagnato debetur, spissescenti nempe *aeroso*, seu succo, qui ut potè natura sua aereus, omnium tenuissimus est & levissimus, allucinationis hujusmodi obvium offert exemplum illa quæ in medicinæ triviis perhibetur *apoplexiæ ætiologia*, qua hunc morbum pituitæ aut sero attribuunt, quem a sanguine in *meningum* vasis sanguinalibus stagnato ostendit eorum qui *apoplexia* denati sunt cerebri *anatome*. Sed inde se monstrat quæ ejusmodi errorum ante circulationis inventum causa fuit; illis enim temporibus latebant utilia illa *anatomes* arcana, quæ revelant artes quibus, fit ut alba sanguinis portio, aut *lymphatica* pars ipsi nervorum meditullio contenta, rubræ affrictu aut pressu vitium aut lentorem contrahat, isthæc autem arcana a circulationis invento aperta sunt. Palam factum est ut nervorum funiculos vinciant & amplexentur arteriæ sanguinales, quos proinde stringi aut arctari necesse erit, quotiescunque sanguinales arterias sanguinis copia premi contigerit. Casus est *hystericarum* quæ *plethoricæ* sunt, quæ artuum corporibus & lassitudinibus ideò obnoxiæ sunt, maximè si vinis & exquisitis dapibus indulgent, quòd in illis succosis corporibus turgentia penitiora arteriarum sanguinalium capiliamenta, nervorum quos circumcingunt fibrillas premant fortiùs, illorumque tardent oscillationes. Exemplum præbent adhuc cæcitates illæ aut visûs hebetudines, tum & segnities mentis, quas *lethargicis* aut soporosis affectibus succedere vides, quas *lymphæ* nervorum lentescenti minùs donabis, quam rubræ sanguinis parti stagnatæ intra sanguinales arterias, quæ quantò tument nimiùm, tantò minuunt tubulorum quos vinciunt loculos aut capacitates: idque de ejusmodi cæcitatibus tam ratum habent *ophtalmici*, ut his in casibus a *collyriis* omnibus & ocularibus medicaminibus abstinendum judicent; venæsectionibus & similis naturæ remediis curam omnem committendo.

Præclara hæc & multa sanè quæ a circulationis invento obtigerunt ampliandæ sanguinis vel *fluidorum* sub morbis doctrinæ, præstantiora fermè sunt quæ inde venerunt revelandæ vi quæ sanguinem illum vel *fluida* tractat, agit & regit; *solidorum elater* aut potentia ea est, unde pendet sanguinis circuitus, *secretio* succorum, totiusque animalis œconomiæ regimen aut *mechanismus*. *Systaltica* virtus est illa generalis, universis visceribus commnnis, singulis partibus aliunde tam propria, ut ex *solidis* assignaveris nullam quæ pressoriæ seu *elasticæ* illius virtutis sit exsors: ipsæ ossium lamellæ, fibrillæque nervorum prementibus *membranulis* vestiuntur, inquilinis *elateribus*, qui quæ illuc advehuntur *lymphas* tractant, pinsunt, dirigunt, illarumque usibus accommodant,

dant, in quibus ſubigentis veluti manus habes exemplar ſeu expreſſa digiti Dei vel Creatoris veſtigia, ſua quæ condidit opera protegentis. Tubulorum corporis agitatoria motio jugis eſt, ſeu corporis machinamenti juge libramentum, ad cujus *rhytmos* & ictus præterfluentium ſuccorum actæ particulæ ſuas mutant ſuperficies, ſicque modificationes induendo novas, novos ſitus aut contactus ſibi faciendo, in aliuſmodi ſubſtantias digeruntur: ſed illud coquere eſt; a facto igitur circulationis invento manifeſtatæ ſunt ſinceræ *coctionum, digeſtionum*vè rationes, in hiſque corporis indigena medicina, quæ ut ſub ſanitate præeſt tuendis ſanitatis legibus; ita ſub morbis iiſdem reſtituendis aſſidet. Hinc nata morbi idea vera & *ſymptomatum* legitima notio, proditum namque eſt conamen eſſe morbum, niſuſque *ſymptomata*, quibus expedire ſe natura experitur, ut quod ſuis operibus ordinis deeſt recuperare queat; in quo *depurationis*, ut loqui amant, modos aut rationes obſervabis, quæ nihil aliud ſunt præter inſitæ partibus *ſyſtalticæ* vis aut oſcillationis ictus aut vibrationes, quibus ſtagnatos ſuccos tentare contendunt, eoſque palantes & a *ſecretoriis* ſuis averſos, in priſtinum ceu nativum ordinem redigere; unde viſcera ab indebitis aut peregrinis ſuccis ſic expediri, ut ad nativa *ſecretoria* remittantur, depurgari erit aut *depurari*.

Igitur a circulationis invento conſequitur in *ſolidorum* vires convertendas eſſe medici curas, ut potè cùm ab illis ducendæ ſunt coctionum rationes, in quibus naturæ exemplo ſuas omnes impendere debet operas, rebus enim medicis fuit nihil luctuoſum magis, quam conceſſa nimia *fluidis* credulitas, qua factum eſt ut in humoribus ſpem omnem collocaverint aut metum; quidquid enim moliretur natura, quidquid aut obtineret, id omne videntes fieri humorum interventu, a quibus evacuatis curatio proſpera erat, a ſuppreſſis verò improſpera, ultrò crediderunt *fluida* una eſſe quæ curanda erant, eoque unicè dirigenda eſſe remedia cujuſvis tituli forent aut familiæ, *diuretica, ſudorifera, purgantia*, &c. imo & *alterantia* omnis conditionis aut energiæ, *refrigerantia, cardiaca, aperientia*, &c. illorum enim omnium fructus erat aut effectus evacuatio humorum aut immutatio, quæ ægroti bono vertebatur aut exitio. Sed ſanguinis circulationis exemplo *mechaniſmum* didicit medicina, *emboli* enim vim apprehendens & *antliæ* artes in corde, unde ad corporis fines ſanguis mittebatur; in ſanguine librillis, in corde libramenti ſibi fecit exemplum, ex illiſque mechanicæ inſtrumentis, partium corporis mechanicen intellexit. Fibrarum compactui ex quibus conflatur cor admetiendo fibras partium innumerabiles, quas hic in faſciculos, in *ſphincteres* illic, alibi in *ganglia* denſari conſpexit, cordibus inſtratas eſſe partes omnes videre ſibi viſa eſt, ſeu preſſoriis *machinulis* reſperſas, quæ quocunque ſuccos pellunt; hincque medicinæ natus eſt *ſyſtalticæ ſolidorum* virtutis conceptus, a qua eadem ratione pendet *fluidorum* motus, qua à corde ſanguinis circulatio: atqui ſanguinis redintegratio eſt morbi curatio, *ſolidorum* ergò cura hæc erit, ſeu illorum virtutis *ſyſtalticæ* reddita menſura, æquabilitas aut modulatio. Sub hoc jugi univerſalique preſſu, multumnè ad motum virtutis aut potentiæ habebunt ſibi *fluida* aut ſibi tuebuntur? quod haberent fortè ſuaderet non mediocris majorum vaſorum capacitas, intra quam ſpatii ad motum *fluida* invenirent; ſuaderet adhùc ſanguinis partium volubilitas, quæ ad motum primus gradus eſt; verum ſi in majoribus arteriis tanto major eſt preſſus, quanto amplior eſt illarum capacitas, quem preſsùs exceſſum arguit eò major ex aperta arteria ſalus quo arteria major eſt, concipere erit in majoribus quoque vaſis non minùs quam in minimis arctè ſtringi ſanguinem, hacque de cauſa inutilem illi eſſe ad ſpontaneum motum proximam quamlibet pronitatem, quam arcet inſuperabilis preſſus. Ad hæc minor ea ſanguinis quantitas eſt, quæ majori-

joribus arteriis continetur, præ ea copia *fluidorum* qua turgent minima vasa; unde valebit consequentia, stringi certè suis in vasis quam strictissimè maximam *fluidorum* partem, ideoque illam esse quæ ultroneo motu defecta est; unde liquet ascititium esse *fluidis* motum, quem omnem a partium *systole* habent.

Itaque famulatus est *fluidorum* conditio, quæ cum a se habeant nihil præter obsequium, quo ad servitutem nata sunt, quidquid boni edant aut prodant mali, id omne a *systaltica* vi mutuantur; unde quod turbas, tumultus, *fermentationes*, *explosiones*, *ataxiasve* nominant, *solidorum* turbulentæ, citatiores & abnormes aut inordinatæ sunt oscillationes, tritus, evibrationes, quæ obnoxios succos tendunt, agunt, concutiunt. Hæc cum vera sint, ratio se profert propter quam tam brevis hactenus factus est aut adeò infelix successus remediorum aut illorum progressus, quorum operationes *fluidorum* qualitatibus admetiendo, factum est sinceræ delituerint illorum energiæ, aut mendaces de illis vulgatæ sint operandi rationes. Meliora spondet à circulationis sanguinis invento profecta *solidorum* medicina, quæ remediorum vires in *solida* exerceri revelando, illorum arcet mendacia, felicioresque parat successus. Postquam ergò nuperis his temporibus infidæ compertæ, confessæque sunt *mixtorum* chymicæ *analyses* ad exponendas remediorum virtutes, quas *fluidorum* saporibus accommodare susceperant, reliquum est ut illæ virtutes ad *solidorum* oscillationes referantur, scrutando diligenter, quas ad has habent medicamina rationes, juxta quas *solida* sic afficiunt, ut illarum oscillationes hoc vel illo modo mutent, vertant, inclinent; quo labore postquam sudatum fuerit quandiù sub ignium chymicorum æstuationibus, spes est non mediocris fore ut succedat felicior cognitio remediorum, horumque fiat usus securus magis. Præludit hùc observatio de illis ducta remediis quæ ad usus medicos maximè commendantur, quæ evidentibus donantur qualitatibus ut sapore quodam, quadamve ponderositate, ratione quarum vel sola in *solida*, vel in *solida* primùm suas exerunt vires, talis enim sunt textùs ut primo contactu *solida* offendant, afficiantque tam graviter ut illorum *oscillationes* mutent; ejus sortis sunt *amara*, quæ suo cum amarore astringentis, & austeri aliquid habent admixtum; tum *martialia*, *mercurialia*, *saturnina* & similia *mineralia*, quæ ea gravitate insigniuntur, qua sensibus produnt quem vel contactu solo faciunt sensum, ad utrisque venit nerviceis partibus astrictionis aut pressionis genus, quod oscillationum turbis obicem ponendo, humorum impetus frangit, directiones mutat, circuitus restituit. Alia habes medicamina totis feta spiritibus, qui *elateres* sunt, qui tum *solidorum* quæ permeant *systolen* exsuscitando, vel fibræ sanguinis quem imbuunt *elaterem* acuendo, illos edunt effectus qui *cardiacorum* sunt aut *diaphoreticorum*; sed hæc inter *narcotica* notabis, duæ præ cæteris rebus halituosa, tenuatis adeò tamque celeribus particulis diffluunt, ut sanguinem intra minima cerebri arteriarum capillamenta adigendo sic cuneent, ut in illis lentescere coactus, medullares quas circumligant cerebri fibras stringendo, subrepentem in illis nervorum *lympham* tardent *stasin*que temporariam illi inferant, quæ quandiu durat, soporem tandiu torporemque inducit intra tot horas discutiendum, quot necessariæ sanguini sunt, ut circulando morantem illam sui portionem abripiat, communique reddat fluento. Aliusmodi *cardiaca* sunt, *accida* nempe, quæ illo quem linguæ affricant sapore, virtutis suæ rationem aperiunt, salinæ & graves sunt *accidorum* particulæ, quæ non secùs ac cuneiformes particulæ sanguinis globulis interjectæ, illorum tardant volubilitatem, sicque nimiam illius sufflaminant vaporationem; unde quantùm redeat corpori robur ostendit tantum illud quod inde illi partitur succi.

Ex his & similibus curandi rationum ideis simplicioribus, quæ circulationis

nis ſanguinis inventi fructus ſunt, quoſq ue maturabit, multiplicabîtve recocta magis iſthæc philoſophia naturalis, ſpes ſit non imaginoſa, forent ipſiſſimis naturæ luminibus colluſtrata medicinæ opera, a meris phantaſiæ mendaciis ceſſent tandem, imò in melius provehantur & latiùs. Revera aperit data hæc operum medicinæ notio cauſam propter quam fit ut calidis medicaminibus uſurpatis refrigerium ſuccedat: furiatur febris, corpus depaſcunt hujus incendia, ab exhibito *cortice Peruviano*, ut ut ſiccans & urens perhibeatur, ſilent ignes, pro turbiſque fiunt paces. Sub *chloroſi* fervent omnia, pulſantes temporum arteriæ cerebrum tuditant, narium *hæmorrhagiæ* oboriuntur, ſubque ſanguinis morati *ſtaſibus* gementes partes omnes, febre ferè ſingulæ laborant ſua, hæc tamen omnia fugat *ſymptomata* non inopportunus *martialium* uſus, quantumlibet *evehere* ſanguinem aut accendere *martialia* comperiantur. Prurit & urit ferina ſcabies, ſub qua aret cutis, acèt ſanguis, fodicat, mordet, quæ pacant ex *fumaria* ſucci, infuſa, juſcula; denique *ſcorbuticorum* corpora moleſtant aut cruciant tormenta dolorum, gingivarum cruentationes, tibiarum turpes maculæ & ulcerationes, caries oſſium, ſimileſve ſanguinis ſalſedines, acrimoniæ, ardores quos reſtinguit *naſturtium*, tum & quæ ſimilis energit ſunt *cochlearia*, *beccabunga*, &c. quod autem tam diſparia *ſymptomata*, quæ omnia ardorem ſapiunt, acri, amaro & urente remedio curentur, non tantùm non miraberis, quin imo *ſpecifici* medicaminis rationes hic obſervabis, in eo ſitas, quod cum remedii vis in genere ſit generales ſanguinis *ſtaſes* diſcutiendi, *ſpecifici* ratio ſingularis eſt peculiaremque & morbo propriam *ſtaſin* reſolvendi. At quia ex illa ſingulari *ſtaſi*, multiformia ſequuntur *ſymtpomata*, nihil habet prodigii, quod diſcuſſa ſemel illa *ſtaſi* illa omnia deleantur ſimul. Porrò quælibet *ſtaſis*, a ſingulari *ſolidorum ſpaſmo* cummittitur, unde conſequitur ab illo remedio reſolutum iri ſua cum *ſtaſi ſymptomata*, a quo ſolutus fuerit *ſolidorum ſpaſmus*; hancque ob cauſam caloris *ſymptomata* à *calidis* curari vides medicaminibus, apta namque nata ſunt calida iſthæc ſolvendis quibuſdam *ſpaſmis*, ideoque reſolvendis caloribus qui ab illis pendebant.

Equidem hæc *chymicarum analyſium* magis ac magis minuent fidem, fruſtrà nempe inpoſterùm inſtituendarum, ſtatim atque compertum fuerit in tantùm inidoneas illas eſſe ad detegendas remediorum *energias*, in quantum ſerviunt minùs revelandis eorum cùm *ſolidis* rationibus aut convenientis, quam aperiendis illis ſoporibus, quibus *fluidorum* qualitates emendandas eſſe docebatur. Intereà juvabitur hinc non mediocriter rei medicamentariæ ad medicos uſus ſtudii aut ſcrutinii progreſſus, non tantùm ex eo quod innotuerit, quo directè ſpectent remediorum potentiæ, ſed inſuper quod faciliùs poſthàc inveniendæ illæ erunt, utpote ſenſibus factæ tantùm obviæ, quantùm in contactuum rationibus poſitæ videbuntur; contactuum autem cum rebus tam parùm arcanis, quàm abſconſa minùs *fluidis ſolida* ſunt; & revera poſtquam de vera *fluidorum* ſeu ſanguinis conſtitutione fruſtrà hactenus, ut ut acriter diſputatum eſt, in ambiguo adhùc eſt an *acidum* in ſanguine contineatur, dum compertus cuique eſt *ſolidorum* textus, confeſſa omnibus illorum *ſyſtole*, cogniti tubulorum unde conſtant plus minùs capaces *diametri*, numeri illorum infinitas, longitudinum portenia; cogitabis adhuc ſenſibile illud eſſe, quod in medicaminibus actuoſum erit, imò ex ejuſmodi qualitatibus quæ linguam ferunt aut tactum, amaroris aciditatiſvè exemplo aut ponderoſitatis, quæ fibris partium *elaſticis* ſolùm applicitæ ſtupendum! quam multipliciter partium *momenta*, *ſolidorum* oſcillationes, ſanguinis aut *fluidorum* circuitus, directioneſvè mutabunt.

Suaſiſſet venæſectionis antiquitas, illiuſque veteri medicinæ familiaris uſus, ſuaſiſſet, inquam, eorum deeſſe nihil, quæ ad principis illius remedii laudem

dem aut utilitatem pertinerent, interim maxima parte curtum illud adhuc esse patefecit sanguinis circuitus inventum. Sanguinis nomine antiquis notus erat purpureus ille latex, majoribus vasis contentus, cæcutientibus aliunde ad illam sanguinis partem quæ alba est; interim in tantùm non contemnenda hæc est; ut rubram quantitate sua longissimè superet, hocque sub respectu intelligendùm illis venisset quanti ad medendi usum momenti futurus erat ille humor, quem tanta copia natura condiderat. Illius inabsolutæ cognitionis causa fuit sanguinis circuitus ignoratio, id est vasorum illorum, ductu quorum circumfertur per corpus *lymphaticus* latex, sed hac parte veterem medicinam emendavit medicina recens, ea proferendo quæ nec sobolfecit vasa quæ sanguinis quem tam animosè vacuabant, maximam fortè & meliorem vehebant partem, unde sanguinis missionis laudes ex usu suo recognoscentes, bonorum illius quæ mirando experiebantur rationes ignorabant; quanto autem rerum medicarum detrimento edocet qui ex invento *lymphæ* circuitu maximus redit medicinæ profectus. Fortè crederetur hic innui *venarum lymphaticarum* inventionem, quæ sanguinis circulationis inventi appendix facta est maximè laudabilis, at insuper & imprimis hic intelligendus est succi illius albi circuitus qui per *arterias lymphaticas*, aut tubulos *arteriacos*, per cæca corporis & viscerum habitùs itinera assiduè repit ad partes & adrepit ad cor: tubuli enim sunt non minùs quam venæ *arteriis* sanguinalibus continui, communem proin *venarum* instar, cum sanguine vehentes succum, tanti ergò, quanti venarum humorem, facientem ad sanguinis missionem: quo dato quantæ virtutis erit ad revellendam sanginis rubram partem sanguinis missio, tantæ hæc erit efficaciæ ad revellendam partem sanguinis albam, quantoque artis emolumento eos ad morbos qui ad *lymham* pertinent, intelligent penès quos erit non mutila aut dimidiata sanguis circuitus scientia; his enim concipere datur, qua ratione a tusa vena arteriæ sanguis revellitur, eadem ratione a revulso arteriæ sanguine, eam quæ ab illo ad *secretoria* aut nervos exit *lympham*, consecutionis lege debere revelli; unde profert se altera ratio propter quam iis quoque remedio est morbis venæsectio, qui illis insident partibus quas rotat; imbuit aut insuccat *lympha*.

Sed in hoc utilitatis puncto non consistit *lymphæ* circuitus dogma, referat quippe inintellectos huc usque corporis virium uberes thesauros, in quibus inveniissent veteres fundum quem inconscii sanguinem mittendo fundebant: hinc ergo medicinæ recenti inexpertum antiquis fit commodum, hodie nempe recognoscendi penarium unde sufficitur ea succorum copia, quam sub *hæmorrhagiis*, *diarrhœis*, *albis fluoribus*, *catarrhis*, tum a *venæsectionibus*, *purgationibus* profundi videt; succi enim sunt quos undequaque detecti *lympharum* tubuli, vel qui ab absoluta per universum corpus sanguinis circulatione communi, *venis lymphaticis* recollecti, publico sanguinis fluento & intra majores sanguinales venas redduntur. *Lymphaticorum* enim nomine solas admitti *venas lymphaticas*, maximam resecare est tubulorum illorum partem, quibus *lymphatici* succi excipiuntur, excernunturve, si memineris tubulorum exitus nihil esse aliud præter oscilla illa omnia quibus perviæ sunt viscerum & cavitatum succingentes aut involventes membranæ non tantùm, sed & membranulæ quarumlibet particularum, quas in quantùm hument perpetuò, humoris affluxu madere jugi intelliges, totas proinde pertusas foraminibus, quæ tubulorum spiramina sunt. Exemplum habes ejusmodi in cute, in qua quot puncta, tot spiracula sunt, quibus assidue vaporat *transpirationis* materies, quæ quia *lymphæ* nutritiæ superamentum est, tubulorum *lymphaticorum* exitus esse illa spiracula consequitur. Docet igitur sanguinis circuitus inventum, simplicem vel non unam esse *transpirationem*, nec unis cutis spiraminibus exhalare

im-

immensam illius copiam, ut pote cujus partem non mediocrem vaporare concludes intra omnia viscerum cava, *pulmonum* v. g. aut *thoracis*, unde halitum densè fumantem vel ipsi oculi conspiciunt; rem confirmante animalium vivorum corporum apertione, in quibus vitalia densis halitibus fumantia vides. Porro *transpirationis* fumus, *lympha* est, vel aqua vaporescens, ita ut in sudorem facilè faceſſat; roscidus ergo quoque fumantium præcordiorum halitus, ideoque *lymphatici* tubuli unde ille vaporat: neque speculantis merè animi conceptus hic est, inde enim non in paucis casibus adjuvabitur medendi ars, quæ ex illo halitu in aquam modò, modò in spiritus *elasticos* nimiùm, *explosivos*, aut fulgurantes verso, causas eliciet *flatuum*, *catarrhorum*, *hydropum*, &c. hisque remedia accommodare docebit.

Neque *parergon* hîc erit de diæta monitum quod suggerit *lymphaticorum* doctrina; altè longèque conduntur *lymphaticorum* tubuli, roscidi sunt vixque sapori illorum succi; utque ultima vasorum pomœria assequi illis donetur, nullis non *coctionum*, *digestionum* & trituræ laboribus subjectos illos fuisse oportuit, horumque omnium toleraſſe ictus, verbera, potentias; sed in his partium laboribus deteri sensim vitæ causas, id est, lassari aut perdi elateres manifestum est, sequitur ergo nullum dari prorogandæ vitæ tutiorem modum, quàm illis parcere partium potentiis; faciendo ne in iis impendantur quæ plùs indigent laboris: unde inferre promptum est aptiora esse illa edulia quæ coctu, tritu, subactu faciliora sunt, sed hujusmodi non sunt carneæ dapes, quippe quæ fibratæ sunt & coriaceæ compacturæ, contra teneriora sunt, frangi aut liquefieri facilia ex terræ frugibus alimenta, quibus proinde præ carnibus animalium concedenda præstantia erit, ut pote quæ ad hominum longævitatem facient magis. Insuper fluxilia sunt, aquata, sapora parùm, facilè meabilia, ideoque affabre facta ut longas vasorum distantias tacitè peragrare queant; eò meliùs quòd stimulante parùm sapore donata, *spasmi* nihil minentur quæ meant vasorum membranulis, unde illis nata facilitas ad assequendos, quò *transpirationis* aut nutritionis causa tendunt *lymphaticorum* fines. Exinde manat alterum diætæ præceptum, potus nempe inter cibandum necessitas aut virtus, qui si maximè vinnulus non sit, sed omnis vellicantis saporis titillatus expers, vehiculo erit nutritiæ *lymphæ*, ut ad ultima *lymphaticorum* capillamenta pertingat: quodque pro optimi aut maximè laudabilis alimenti criterio erit, ab ejusmodi cibatu, potu simili, diluto satis, cutis succedet nitor, partiumque pinguis habitudo, quæ perbellæ sanitatis, vel integræ argumentum est. Hæc autem si ad morborum curationes transferantur, veniunt in conspectum maciei rationes & medicinæ, ut enim ideo macent partes sub morbis, quòd *lympha* nutritia evacuationum exsuperantiis profusa pereat, dum aliunde sanguis urens aut depascit eam, aut alienat a modulatione meandis angustis *lymphaticorum* diametris convenienti, remedio erit ex iis cibatus quæ & mitificando sanguinem, & diluentibus solvendo; ardores illius sedant, mergunt acores, *lymphamque* nutritiam ita compingunt, ut *lymphaticorum* ultrò subeant angustos meatus.

Sanguinis circuitus inventi fructus sunt ad laudem artis aut usum observationes tam multæ, aliam tamen spectabiliorem fortè adhuc suggerit: alterutra sui parte alba vel rubra, per omnes & penitiores corporis partes circulare sanguinem, veritas inconcussa est; at quò altiores sunt aut longiores locorum quæ meat distantiæ, eò majori opus potentia est, quæ tam altè sanguinem inter circulandum procul impellat, ideoque omnium potentiarum fortissima, quandoquidem omnium operationum difficillimæ debebitur; sed potentiarum fortissima *solidorum* est, hæc ergo est quæ sanguinis intra vasa minima circu-

lationi dirigendæ peragendæque præficitur; porro nervicea sunt *solidorum* stamina, a nervis ergo vel horum *undulationibus*, unde oscillant partes, tota pendet regiturve sanguinis circulatio. Inde concipitur quàm assiduum esse conveniat ad nervorum *diathesin* medentis in medicando respectum, ut pote cum sanguinis motum retractando tractet nervos, eorumque *tonum* modulandum habeat, sic ut quælibet fuerit pars cui insidet morbus, tota nervis instructa sit, & in his adeo fundata, quolibetque sub statu illa versetur, morbidus ille fuerit aut sanus, ab illorum una *diathesi* functionum illius tutela expectanda sit, aut metuendum exitium. Verum quod de nervis maximè observabitur, ut illorum in cerebro radices sunt, illorum ad stomachum rami egerminant innumetabiles, quam ob rem ad illas utrasque partes reflecti undequaque præposterè & *spasmodicè* a morbo oscillantium partium *undulationes* facilè concipitur, in quibus rationes videre est & causas, gravissimorum quæ sub morbis viscera illa impetunt *symptomatum*: hinc insimul palam fit quanta cura, fereque reverentia tractandus sit inter medendum *stomachus*, quantùm donandum illi parcendumque cujus a nervorum textu tanta venit propria teneritudo, a numero eorum tam universalis cum cæteris partibus responsus, adeo ut irasci stomachum, vel provocari, universas ferè partes emoveri sit, aut ad rebellandum irritari. Fœdis physiologiæ crassaminibus temerata medentium rudis adhuc scientia, viscerum acervum in stomacho excogitaverat, unde cerebro fumos, & visceribus saburram parabat, in illoque stirpitùs exhauriendo collocabat totam medentis industriam, ut omnem gravissimis morborum *symptomatis* rescinderet focum; sed *crabones* sic *irritari* edocent nervicens stomachi textus, hujusque universo generi nervorum compatientis commercia, unde isthæc colliquantis illius medicinæ errata emendat *solidorum* doctrina, quæ sanguinis circuitus doctrina est, quippe quæ *solidorum tono* magis quàm humorum cumulo, vitioquè *fluidorum* tribuens morborum origines, *solidorum ataxiis* coercendis potiùs, quàm vacuandis humorum acervis, attribuit morborum curationes. Equidem aliàs & pluriès traditum jam fuit isthuc medendi monitum, sed quæ tanti est artis observationem tradidisse semel parùm fuerit, imo vel culpa illam omittere, ubi de illa differitur parte, *stomacho* videlicet, quæ cum præ cæteris nervicea sit, illa digna est maximè medentis observantia. Itaque hinc didicerit ab humorum saburra respiscens medicus, primam esse in curando sollicitudinem, stomachi *tono* parcendi, ut pote qui viscerum aliorum rector est aut norma, ad cujus modulationem componunt se illorum oscillationes; cavendo tamen diligentiùs ab illis medicaminibus quæ *elaterem* tendunt, quàm quæ retendunt; ut enim in stomacho prævalet *elateris* potentia, hæc erigi multo sæpiùs quàm deprimi periclitatur.

Sed tam multis quæ arti ex circulationis invento redeunt commodis superfediisse nostra laus erit aut prudentia, ne quantò plura sunt, tantò curta videatur aut mutila, quam hic exponere suscepimus illorum tractatio. Reipsa tamen utcunque brevis & manca videbitur cœpta hîc sanguinis circuitus inventi bonorum expositio, veniam in eo merebitur, quòd rerum magis sensum quàm numerum tradere voluerimus; de cætero, ut in magnis voluisse sat est, sic magnos aut magnorum capaces animos, quales facit physiologia recens, ad majora provocasse sufficiet, ut ex delibatis rerum crudioribus elementis, maturos expromant & uberrimos fructus. Procul tamen hinc insipiens illa confidentia, qua sapientiorum mentes edocendo, erigere susciperemus, nihil hic, nisi quidquid fuerit error aut allucinatio, nostrum erit, quod absit cuiquam hominum velimus obtrudere; quod superest ut ex ipso naturæ gremio depromptum, sapientioribus recoquendum offerimus, ut illorum adjuti

nutibus & ſuffragiis, medicinæ candidatis hoc in puncto ſimus auxilio, educando eos ex ipſis naturæ conſiliis, in quibus agnoſcendis exerceant ſe, & ea exſcribere diſcant: licet enim hoc opuſculum elevare ullatenùs nolimus, in eo ſaltem laudabile eſt, quod nihil commentitium habeat, a fictione mutuatitium nihil, nihil non autem quod in ipſa partium fabrica non poſitum ſit, ideoque ex ipſiſſimis naturæ viſceribus erutum; interim ſi hæc intuta videri poſſent, non ambiguam hîc recognoſces veritatis aut certitudinis teſſeram; *creationis* nempe *principium*, quo fundata eſt tota hæc medicinalis doctrina. Hanc philoſophiam ſi malignè aliquis voluerit cavillari, jocantis ratiocinii ſui ſentiet iniquitatem, hominum mendacia cum Creatoris veritate comparando, unde promptum agnoſcere illi erit, quantùm incerta fuere ſcientiarum non paucarum elementa, ex eo quòd induſtriis magis ſeu veriſimilibus quàm veris hominum conceptibus nixa fuerint, tantùm certum eſſe futurum quod hîc ponimus creationis principium, quod non ancipiti Creatoris verbo ſuperſtructum eſt, verbo, inquam, quod non vox ſed effatum eſt, non dictum ſed imperium, illius cujus nutus opus eſt, jubendo quod vult, quod jubet exſequendo; *dixit & facta ſunt*, *mandavit & creata ſunt*. Ad hæc quod commendat iſtud principium, medicinæ eſt inſtitutio, enimvero cum de rerum creatarum numero medicina ſit, eccur, amabo, unica foret quæ creationis bonis defraudaretur? iis defecta commodis quibus creatas quoque res dignatus eſt Creator? ea autem fuit illius in creando voluntas, ut quæ de creatis rebus aſſeruit vera eſſent & indubia, quod igitur homo & herbæ ſuis cum germinibus concreatæ fuerint, verum effatum eſt, certum proin illud principium quod noſtra hinc eruit medicina. Verùm, antequam *manum de tabula*, amovenda hinc dubitationis cujuslibet umbra; undenam, inquient, habes, o bone, omnia illa quæ laudas tam frequenter *lymphaticorum* vaſorum ſtemmata, quæ modò *lymphaticarum arteriarum*, tubulorum modò arteriacorum titulis nobilitas? *novorum dæmoniorum* videris *annuntiator* *, innominata enim ferè ſunt *anatomicis* vaſa iſthæc, medentibuſque inaudita.

Sed *de lana caprina*, ut ajunt, ſolo enim de nomine lis hæc erit, ad rem parùm faciente, aut unicè tantùm, quantùm interpretatione ſui non incongrua valet; porro ſi de *lymphaticis* verum eſt, ex iis eſſe alia quæ vehunt, alia quæ revehunt *lympham*, *lymphaticarum arteriarum* conditionem & titulum aſſeruiſſe illis eſt; at, amabo, cujus officii erunt illi tubuli qui ſanguinis *lympham* hàc illàc diſtribuunt, ad cutem *tranſpirationis*, bilis ad *jecur*, ſucci ſingularis ad *pancreas* materiem? aliorum & dicito nomina qui ad *adipem* unguen, intra oculos aquam, *lympham* ad *nervos*, tubuloſque *cerebri medullares*, ad *glandulas* ſerum, ad membranas rorem, ſuos denique ad *ſecretoria* latices efferunt? quibus ſua dari emiſſaria aut referentia vaſa ſi obſervaveris, velis nolis *arterias* dices, quæ illarum functioni vacant. Præterea cujuſnam nomenclaturæ tibi erunt binomina illa vaſa, *veſiculoſo-mucoſo-nervoſo-lacteo-adipoſo lymphatica*, quæ in nobiliorum anatomicorum buccis & libris trita ſunt? *Ruyſchii*, *Nuckii*, *Vieuſſenii*, *Honii*, *Bergeri*, *Hofmanni* &c. certè immerita non erunt nomina quorum merita erunt officia.

Tam levis ponderis adhuc erunt pauca quæ fortè objicient canalitiæ eduliorum compacturæ, datiſque hîc morborum & remediorum non vulgaribus etio-

* *Act. Apoſt. c. 17. v. 18.*

ætiologiis; verùm ab iis quæ in rerum aut corporis natura sunt, tam ultro illæ manant, cum illis concordant adeo, a quibus tam directò derivantur, ut pro illarum veritate clamantis propitiantisque uaturæ vocem undequaque audire videaris. Sed quod medicis rebus pro coronide non ingloria erit, tam aperta est quæ ex tradita hîc *pathologia* medendi accedit felicitas, secura nempe adeo faciliſque *prognosis*, tam obvia & naturalis indicationum doctrina, verbo tam frequens hanc ad normam exercitæ medicinæ prosperitas, ut indulgentiæ huic opusculo concessurus sit ille non parùm, qui artis usu scientiæ medicinalis veritatem explorabit.

NOVUS MEDICINÆ CONSPECTUS.

PARS PRIMA.

Quæ Physiologica est.

CAPUT PRIMUM.

Quod sua sit, hæcque creata, Medicinæ veritas.

CONJECTURALEM esse medendi artem, hocque titulo opinabilem esse tantùm ac incertam omnino, vulgatum est. Jure an injuria? palàm faciet ratio illius originis, aut institutionis conditio. Artium & Scientiarum hæc sors una fuit; omnes invenit aut facit humanæ mentis industria, aut cordis cupiditas; sed ab hac lue vacat medicinæ nativitas. Hanc igitur, quam ore contumelioso fœdare non verentur, impollutam vel ab ortu confiteri ipsis necessum erit; ut pote cum ex eorum censu non sit quæ fecerit humanus labor, at illorum more quæ hominibus utilia sunt, a summo rerum parente condita fuit. Itaque dum cæteræ artes natæ sunt, medicina creata fuit: ampliùs, quæ illi servirent instrumenta creavit quoque altissimus, medicamenta videlicet, ne operibus necessariis quibus dicabatur aliquid defuturum esset. Veritatis ergo genus est, quod medicinæ præ cæteris artibus proprium aut singulare est, nam tum illa ipsa, tum & ipsius remedia creata sunt, quorum assertorem se se fecit Altissimus.

mus, ut virum prudentem ab his abhorrere nolit. Sed quasi tanta hæc pauca forent ad medicinæ commendationem, ipsummet medicum honorandum esse omnipotentis imperium est, cujus disciplinam ut venerandam, sic opera necessaria esse apertè pronuntiat. Posthac medicinam existere eamque veram in confesso esse quis inficiabitur? imo verissimam eam nemo non agnoscet, ut pote ab ipsomet veritatis fonte manantem, tum & necessariam maximè ut pote profectam unde nil otiosum aut inutile venit. Et verò necessaria est, essentiæ non tantùm aut existentiæ, sed & usus & commoditatis ratione qua ad hominum salutem unicè spectet & sanitatem. (a) *Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit, ut essent, omnia; & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminii.*

Tam honorificum, tamve singulare testimonium, ab eo profectum qui falli & fallere verè nescius est, incertamne aut suspiciosam finit medicinæ conditionem? suas quidem habet artes genus humanum, suas scientias aut instituta vitæ, quæ nobilitavit amor nummi aut superbia vitæ; at illas inter nullam invenire dabitur quæ nobilitate originis, aut authoris celsitudine, cum medicina certare non pertimescat, quæ Deum ipsum conditorem habet, neque necessaria magis ulla est, cujus utilitatem elevant sacri codices, sic ut opera illius necessaria perhibeant, imprudentiæque nota sugillent eos qui medicamenta quæ parat aversarentur. Enimvero non præclaræ rerum medicinalium eruditioni tantùm laudis & præstantiæ concedi jubent, at ipsammet medendi artem & artis exercitationem magnificè commendant & disciplinam, ipsamet opera illius sic collaudando & medicamenta, ut iis Regum (b) donationes & præmia, magnatumque confidentiam polliceantur. Porro Spiritus Sancti ore ipso nobilitata scientia, cujus instrumentorum necessitas, & operum præstantia verbis illius assertæ sunt tam apertè, tam confessæque evidenter, anne inhonestis incerti & dubii suspicionibus indignè obnoxia venire debuisset? Posthac nonne crimini proximum est, ut otiosam & inutilem deprimere hanc artem quam creavit qui mali aut inutilis condidit nihil. (c) *Vidit Deus omnia quæ fecerat & erant valde bona.* At verò quo cæco mentis præjudicio, quo infelici cupiditatis errore factum, ut homines sui cupiditate adeo præoccupati, capite tam constipato hîc inveniantur, ut auxiliorum quæ ipsorum causa creata sunt, ipsorum solatiis dicata obliviscì ament, ut medicinam contempsisse gaudeant? dixerit fortè præjudicii malignitas, medicæ Artis mendacia esse & vanitatem immeritam honori suo apponere id omne laudis & præstantiæ quod de medicina animarum effantur Sacri Codices: sed præpostera isthæc interpretatio qua medicinam exprobrant adhuc malitiosiùs, sponte cadet, vel leviissimo saltem subjecta examini, quo menti se dat & offert derepentè loci illius obvius & naturalis sensus. Munera sunt, donationes, præmia & fortunæ quæ hîc corporum medicinæ asseruntur, cum ubique cruces, miserias, tribulationes medicis animarum offerant Sacri Codices. Medicamenta quæ narrantur è terra creata sunt, lignoque a quo indulcata est aqua maris comparantur, cùm è contra, quæ animam spectant remedia sublimia dona sint, munerave cælestia quæ a patre luminum descendunt: verbo medicamenta illius loci *mitigantia sunt dolorem, pigmenta suavitatis* & sanitatis unctiones quæ splendidè commendantur; at quæ Sacrorum Codicum testimonio, dolo-

(a) *Sap. c. 1. v. 13. 14.* (b) *Eccleſiaſt. c. 38.* (c) *Geneſ. c. 1.*

dolorum levamini, exhilarandis sensibus, roborando corpori dicantur, anne istiusmodi auxilia cum pœnitentiæ laboribus bene conveniunt? denique si de medico animarum illic ageretur, num sanæ mentis esset iras quæ illic habentur Spiritui Sancto attribuere, quibus in ejusmodi medici manus præcipitari vellet delinquentes animas? (d) *qui delinquit incidet in manus medici*. Sed undenam ferina isthæc medicinæ oblatrandi prurigo? hæc cum ad religionem pertineat, ordinata ut pote a Deo & instituta, pietatemne decet, opera illius temnere aut præsidia? id saltem consilii alienum fuit ab illo Propheta qui Regem Juda sanare jussus fuit; miraculum enim edendo ordinem servavit & artis morem, (e) ficuum enim massam malo admovit. Absit tamen ii simus qui voluerimus suadere, medicaminum vi necessariæ attribuendas venire corporum sanationes; sanat Deus, aut ille Dei sermo, qui demorsos a serpentibus in deserto Hebræos sanabat; at qui aspici serpentem æneum jubebat Deus, ut sanatio sequeretur, sanationes ille ipse concedit & operatur remedia prosperando. An aliundè periclitabitur ullatenus fidei aut morum integritas, si perhibeatur ad medicinam corporum spectare, quas proferunt Sacri Codices medicinæ laudes? utrumque certè in tuto est, atqui tunc definitum est tenendam esse Scripturarum litteram. Si constat ergo a Deo conditam esse medicinam, certum & inconcussum est tamque verè esse eam aut existere quàm certò fuisse institutam. Quo dato si ea est conditoris in re producenda conditio, ut simul ea impertiat quæ ad illam tuendam, conservandamque necessaria sunt, *qui enim dat esse, dat consequentia ad esse*, an in mentem veniet eum qui supremum jus est tam omnimode æquum quàm summè potens, defectam voluisse medicinam quam fecit vel minima eorum parte, quibus servanda veniret illius essentia? sed posito iis stipatam omnibus creatam fuisse medicinam quæ ad essentiam illius pertinebunt, utilis illa creata fuit, cum tota natura sua sit ad utilitatem hominum necessaria; talem enim eam condere potuit causa omnipotens, imo condidit talem quales sunt hominum ægritudines quæ cum necessariæ maximè sint, necessaria condenda erant præsidia; hæc autem ab una medicina expectanda erant; necessaria proinde creata fuit medicina. Hæc cum vera sint, condita sic fuerit medicina, ut primo ab ortu potuerit cognoscere & usurpare ea omnia quæ servirent fini, causa cujus facta erat, imo ea ipsa quæ implendo illius officio opus erant creata quoque fuisse necesse est. Inde sequitur scientiam verè creatam fuisse medicinam, quandoquidem a Creatore facta fuerit disciplinarum verè capax & cogitationum. Insuper illam natam esse dixeris utilem aut activam scientiam, id est artem, cum hominum saluti servire valeat; ampliùs è Creatoris manibus statim enascens, creata invenerit omnia quæ operibus suis necessaria erant, necessariis enim unquam defuisse Deum quis audivit? Invenias igitur, si potes, aut quæ tam vera sit, scientiam, aut quæ tam verè necessaria sit, artem.

(d) *Eccles.* 38. *v.* 15. (e) *Reg. l. iv. c.* 20.

CAPUT II.

Quid certi habeat Medicina? Quid incerti? utriuſque rationes & cauſæ.

SCientiæ quæ a Deo venit, cujus ipſe inſtrumenta creavit, aſſeruit neceſſitatem, inſtituit uſum; ſcientiæ, inquam, divino ſic munere dotatæ & iis inſtructæ rebus quæ ſervirent illius officiis, ſuas quoque dictas fuiſſe veritatis, conſtantiæ & certitudinis leges certò liquet. Enimverò qui intentator malorum eſt Deus, in errorem inducere poteſt neminem, cumque nec jubere poſſit mendacio obſequium, nec fallaci aut doloſo fidem, ſequitur ea in re id omne revera contineri, quod de illa aſſerit; aſſerit autem medicinæ utilitatem in morbis, operibus illius neceſſitatem, & medico fidem, quem ideo vult accerſiri; concludere licet, hæc omnia bona ineſſe medicinæ; de iiſdem affirmat neceſſaria eſſe præſidia, certiſſima ſunt ergo cum ſint certiſſimè neceſſaria. At nihil habet medicina quod non acceperit, quod accepit a creatione tenet; creatio autem Dei eſt; igitur a Deo manat omnis medicinæ certitudo.

Quoniam igitur indigno lapſu, aut quo infelici portento, quæ cæterarum ſcientiarum utiliſſima eſt medicina, inſtabilis adeo huc uſque facta fuerit; tamque diſparilibus opinionum variationibus adhuc obnoxia jaceat (a) *Mirum & indignum mirari ſubit, nullam artium inconſtantiorem, & etiamnum ſæpiùs mutari* (medicinam) *cum ſit fructuoſior nulla*. Num artis vitio? num artificum delicto? ad artis illius certitudinem omiſſum a Creatore nihil fuiſſe, modò expoſitum eſt; eam nimirum accepiſſe ab eo quidquid impiendis omnibus injuncti a Creatore officii partibus, opus erat, unde patet quo laborat incerto medicina, precarium illud eſſe aut alienum. Idne delicti in medicinam invexiſſet mundum invadens primi parentis crimen, unde tanta malorum luxuries? huic ſuſpicioni ut daretur locus, requireretur ut exinde infirmari viſæ fuiſſent, aut debilitari aliquatenùs ipſæmet naturales cauſæ, aut naturæ leges, ſic ut a commiſſa primi parentis culpa labi cepiſſent. At nullibi obſervatum eſt a Creatore retractata unquam fuiſſe aut mutata, quæ ab illo primùm creata ſunt, neque naturæ leges ullatenùs eſſe mutatas, id teſtante Spiritu Sancto in Sacris Codicibus, duobus poſt a creatione mundi annorum millibus, ubi Moyſen perſuaſiſſimum voluit de inconcuſſa nec mutanda unquam verbi ſui veritate; id enim ut exequatur, teſtem appellat eam quam injunxit ſtabilitatem naturæ legibus, quæ cum eadem ſemper videbatur, nec unquam decreſcens, exemplar erat variandæ nunquam promiſſorum ipſius veritatis; unde intelligere eſt, nullius mutabilitatis labem ſenſiſſe naturales ſanitatis, aut vitæ leges. Reipſa, is eſt *microcoſmi* cum *macrocoſmo* concentus, tam mutua eſt connexio utriuſque motuum & *harmonia*, ut quæ in hos induceretur mutatio, in illos redundaret: modulationis enim formam tibi fingas qua vibrationum motus, quibus in humano corpore vita ſtat, rythmum ſequuntur

&

(a) *Plin. hiſt. lib. 29. c. 1.*

& modum illorum quibus agitur universus orbis. Exemplo erunt horologia duo pari elaterii tensionis gradu sibi consentientia, inter quæ harmoniam servari non licet violato in uno quod in altero integrum fuerit. Itaque ex eo quod immutatas esse constet orbis universi leges, integras quoque vigere eas quibus regitur sanitas, manifestum est. Fortassis in argumentum mutationis legum naturæ trahent factam a Deo hominum vitæ contractionem; at meminerint quam hic obtrudunt contractionem jussam fuisse post diluvium; unde observandum veniet anteacto tempore, toto videlicet illo quod statim incepit a primi parentis culpa longævum maximè hominem fuisse. Interim ponamus revera sic ut prætendunt, abbreviatam fuisse hominum vitam, anne sequeretur hanc ob rem mutatum fuisse naturæ ordinem, vitæ tuendæ legum? exinde certè brevioris tenoris fuisset aut durationis, sed ejusdem naturæ moderaminis & normæ. Absit igitur incerta habenda veniat medicina eo sub prætextu, quod vacillasse visæ sint aut lapsæ sanitatis leges, eædem hodie certè sunt cum illis, quæ creando institutæ sunt, sicque quod contigit illis variationis genus, hanc quæ medicinam incertat inconstantiam invehere non potuit.

Interim, quæ hanc inconstantiam alit causa, naturalis est, sed hanc habes in mente hominis aut ingenio, cujus ut incertæ cogitationes, mutabilia sunt:(*b*) *Cogitationes mortalium timidæ & incertæ providentiæ.* Creatis rebus insculpta Dei sapientia numinis ideam animo ingenerabat, (*c*) *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.* Constans ordo, concentus mirabilis, nobilis & splendidus omnis ille apparatus, qui universum orbem ornat, vestit, & illustrat, Creatorem nullibi non monstrando, agnosci jubebant. Hic interea caligando humanæ mentis acies, heu quam misere decepta, quam indignè, quam turpiter allucinata est! *neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex.* (*d*) Hocque miserabili errore delusus homo, aerem ignem, stellas, solem & lunam, Deorum nominibus salutarunt. (*e*) Scilicet, totus a natura error est homo lapsus, mendacium totus & allucinatio quotiescunque micantibus quos illi offert Deus veritatis fulgoribus propipiendo se evagantur. (*f*) *Vani sunt enim omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Deceptione non absimili in medicina lapsus homo est. Qui corpus humanum condidit digitus Dei, hic ipse solus de corpore humano erudire potuisset. (*g*) *Sapientia constituisti hominem ..... Sapientia novit opera tua.* Nam qua arte aut sagacitate mentis consilia Dei internoscet aut opera sapientiâ destitutus? in medicina potissimum quæ tota occupatur in reducendis in ordinem secretioribus machinæ illius potentiis quæ naturæ princeps & caput est; functiones intellige corporis humani quibus restituendas suscepit ordinationem & harmoniam, corrigendave peccamina. At medici incurioſi sapientiæ illius quæ illos ab allucinatione servasset; aberraverunt non modò, lucroque quod illis redditurum erat, aut emolumento seipsos non tantùm defraudave unt, & posteris aberrationum suarum vestigia reliquerunt & exempla. (*h*) *Sapientiam prætereuntes non tantùm in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam.* Ex hisque incertis aberrantium animorum cogitationibus, variantium opinionum in medicina fons aut origo: a consiliis enim Creatoris rebus omnibus creatis insculptis, cùm alienatæ semel medicorum mentes, in opinionum mæandros mille venerunt, inventorumque fallaciis captæ, aut ob-

(b) *Sag.c.9.v.14.* (c) *Rom.c.1.v.20.* (d) *Sap.c.13.v.1.*
(e) *Ibid.v.2.* (f) *Ibid.v.1.* (g) *Ibid.v.9.*
(h) *Ibid.c.10.v.2.*

obcœcatæ; vanis ſcientiæ mendacis imaginibus, eruditis denique plaudentes ſomniantis phantaſiæ deliriis, commentis ſe manciparunt & fabulis Philoſophiæ loco veniebant ſapientiæ ſtudium & amor, hæc quæ adjuvaſſent mirabiliter per univerſum diſſeminata ſapientiæ notacula mille aut ſignacula, quæ aperuiſſent illis inquirendæ veritatis iter, hiſque luminibus colluſtrati, Creatoris conſilis ſpeculari non inutiliter didiciſſent, hæcque eadem in medendo imitari. Sed abhinc medicorum ingenia ſemovit malè ſana curioſitas, alioque divertit, ſicque ſibi dederunt *occupationem peſſimam* ſcrutari artes, quas obſervandas tantùm ſuſcipere debuiſſent, cupidiùs *ſequi* non pertimeſcentes *factorem ſuum*, aut rimari curioſiùs operum illius arcana. (*i*) At inſani illius laboris fructus omnis, *præſumptio* vana fuit, aut *afflictio ſpiritus*. (*k*) Revera, *intelligendum quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem, eorum quæ fiunt ſub ſole, & quantò plùs laboraverit ad quærendum, tantò minùs inveniat*. (*l*) Quemlibet enim lapidem moveat Philoſpophus, quidquidve audeat attentare, ſpe ſua certè cadet & fide, *Etiamſi dixerit ſapientia ſe noſſe non poterit reperire*. (*m*) Hęc apprehenſa dudum aut intellecta ſubobſcurè veritas ſapientibus medicis, opinionum inſanias comprimere tentavit non ſemel, ſic ut multoties, diverſiſque temporibus, ſuſceperint illi ſapientes medicorum ingenia revellère, ab ea qua capiebantur rerum curioſarum cupiditate. Ii fuere authores qui cauſarum remotarum aut antecedentium quæ morbos committunt, apertos hoſtes & infenſiſſimos ſe prodiderunt. Hucque ſpectat medicorum ſecta illa non ignobilis apud antiquos, quæ in certis quibuſdam *communitatibus* conquieſcendum eſſe volebat, quæ revelandis morborum cauſis ſervirent minùs, quam internoſcendis eorum ſpeciebus & ingeniis. Imò & ipſe *Hippocrates*, qui ab ejuſmodi phyſiologia non adeò fortè abhorrebat, hujus principii author eſt, a medendi ſapientia non differre admodùm ſignorum ſcientiam. *Qui aptus eſt ad cognoſcedum, aptus eſt ad medendum*. Hanc amarunt philoſophiam, quandiù medicina in obſervandi peritia nobilis, eloquens ſilendo, meditando agens, ars cogitans fuit & ſcientia muta. At ex quò mutans ingenium, ſilentium ſolvit, garrula facta, garrulitati omnium & conjecturæ ancillata eſt, curioſitati ſerviens, & opinionum interim cupidini ſubjecta ſyſtematum proſtibula facta fuit. An mendaciorum dubiorum, variationum fons uberior, aut inexhauſta magis ſcaturigo?

CAPUT III.

Rationes & cauſæ dantur labentis in Medicina veritatis.

REVERA, *hæc fuit humanæ vitæ deceptio*. Hoc enim eſto de ſyſtematis judicium; ſanitati in decipulam, vitæ in ſcopulos evaſerunt. Huic aſſerto fidem facit propria ſyſtematis notio. Syſtematis nomine venit, fortuita ſuppoſitio rerum fictarum ad libidinem, aptatarum ſolerter & eruditè poſitarum inter ſe, unde directæ concluſiones inferantur, juſtave eliciantur conſectaria. At verò quam multis & variis diſcriminibus objicietur vita, cui ſimulatæ affingerentur & mutuatitiæ cauſæ, unde eruerentur rationes & modi, quibus ſervanda eſſet aut reſtituenda? fictio quidem tolerabitur, ubi ſpeculationi meræ vacandum

(i) *Eccleſ.c.2.v.11.* (k) *Ibid.*
(l) *Sap.c.8.v.17.* (m) *Ibid.*

dum erit, imprimis si illæ quæ elicientur consequentiæ, rectæ sint, ejusdem ordinis, nec diversi generis; veritates erunt universales non privatæ alicui aut applicatæ, quæ cum ex se invicem directè sequantur, in mentem venerint, quæ justi erit & recti judicii: ejusmodi sunt *metaphysicæ* veritates, quæ in sola mentis inspectione positæ sunt, quæ ingenium acuunt & elevant, sed aliundè lædunt neminem. Supponere autem vel fingere ad arbitrium quæ in usum aliquem trahenda erunt, consequentias ducere est ordinis aut generis diversi, nam a theoria ad usum aut exercitationem concludere est. At id discriminis illud est quod proprium venit medicinæ systemati, si fultum nihilo est aut mendacio, id est, si fictitiis vitæ causis iisque proinde diversis ab iis quæ homini Creator attribuit. Enimverò ex suppositititiis causis elicere indicationes quæ directæ & justæ fuerint, cum idem erit ac reperire artes medendi corpori hominis, quod ad illarum fictitiarum causarum indolem formatum fuisset aut constitutum. Sed hodie ut se habet homo, instructus nempe diversis ab iis suppositititiis causis vitæ incommodi non parùm incurret aut periculi, si indicationibus ut ut rectè elicitis ex fictis illis principiis, subjiciatur. Hac de re argumenta abunde sufficeret medicinæ systematum historia; sed præterquam quòd infelices & improsperos hominum vitæ casus narrare invidiosum est, aut infortuniorum illius historiam retexere, hæc per singula persequi temporis plus & otii postularet, quàm patitur suscepti hujus opusculi consilium; votis nostris satis erunt adnotamenta quædam communia in ea principia, quibus niti volunt systematum nobilissima.

Calidum frigidum & similes hujus familiæ qualitates, longa per sæcula fuerant medicinæ principes, dominatricum enim honoribus superbientes, illarum arbitratu, quidquid boni aut mali contingebat humano corpori fieri opinio erat. Systema quod his notionibus nitebatur omnium antiquissimum est, nullius enim tandiù duravit fama, sed & nullius fama jacturæ tantùm passum est, ruit enim sic hodiè & eviluit, ut protegere illud indecorum fermè sit, præposterum saltem inopportunum, Despectus, quo jacet, rationes & causæ similes afferuntur ab omnibus qui ab eo recesserunt, vitium enim quo laborat apud eos, illud est, quod principia quibus fulcitur falsa sint, vel incerta, ni infirma dicere malis, aut paucarum virium. Addunt prædita ea esse qualitatibus ejusmodi, quibus nomen maximè fecit Philosophia vetus, quamvis secundariarum tantùm titulis agant, ut pote manantes ab aliis quas primas nuncupari placuit, a quibus suas mutuantur virtutes & potentias. Ampliùs ausum est; in ignem & aquam, præcipuos qualitatum authores mota lis est, agitando, nùm adeò certa erat illorum conditio in humano corpore, de quo interrogabant, an revera ignem & aquam in se haberet; id ut revincerent dictarum qualitatum assertores, ad analogismum confugerunt, quo veritatis defectu abutentes, illarum tutelam pro virili susceperunt. Analogismi ratio hæc fuit, in sanguine quatuor humores finxerunt; adeò, inquiebant, similes igni & aquæ, ut nemo esset ex iis qui haberent philosophiæ sensum, qui in illis ignem & aquam facilè non agnoscerent. Inde sequitur, cum frigidum & calidum nihil aliud sint quam attributa aut modi rerum, cumque res istas ignem scilicet & aquam esse aut existere in humano corpore inconfessum sit aut dubium, quandoquidem in tantùm sanguini insint, in quantùm eidem inexistunt quatuor illi humores, quorum appendices sunt; sequitur inquam, has qualitates quibus tandiù habitus est honor, quibus factum est imperium, tantaque fuit potestas apud medicos, reipsa nihil aliud esse, quam nomina & titulos rerum quas fictio fecit. Erudita ergò fabula est aut fabula philosophica, sed istis fabulis erudiri amabant priscorum temporum heroes animæ, id est antiquioris medicinæ antistites, sic illis suam præbuerint fidem. Interim ea fuit fabulæ istius felicitas, ut suis temporibus utiliora dederit artis argumen-

menta, nobisque reliquerit melioris medicæ sapientiæ sensum. Reipsa majores nostri, sapientiores adhuc quam docti, potuerunt ea qua præstabant vi mentis & ingenii exsuperantia subodorari simul & usurpare tot medendi consilia, quibus crevit peritia artis, quæ medicinalis sapientiæ afflatu ducti e rudis adhuc & inconditæ philosophiæ sinu eruere norunt. Adeò ut hinc mentis rectitudine, illinc sublimitate ingenii, morantibus nihil philosophiæ suæ tenebris, medicinalis disciplinæ bona ampliarint. At bone! quem fructus gradum non superassent, si singularis ille quo donabantur sapientiæ sensus qui philosophiam illorum longè superabat, quoque intùs erudiebantur, principiorum meliorum auxiliis fuisset adjutis? hauddubiè, manibus eruditis tractata sic & progrediens medicina plures admiratores hodie numeraret, quam adversarios.

Recentiorum systemata rerum physicarum nitoribus splendentia delectationum paulò plus aut illecebrarum objiciendo, capiendis animis erant idonea magis, cum geometria. quæ scientiarum certissima est, quasi unanima habebantur, cujus ingenium, locutiones, *theoremata* usurpabant, eo successu ut geometriæ adnata ferme crederentur aut affinia, adeò speciem illius aut formam referre didicerant. Revera in principium adoptabant materiam juxtà morem illius divisam aut dividendam, mobilem ad illius leges, & secundùm regulas illius ordinatam. Materia subtilis, isthæc materiarum princeps, quæ *systematum* celeberrimo quasi pro anima erat, neque commentitium ens, neque extraneum humano corpori habenda videbatur, nam humanum corpus textum ut videtur nervosis staminibus, materia illa, quæ omnium subtilissima est, turgidum ubicumque se monstrat, spiritus intellige, quos *animales* vocant, aura quorum & præsentia adeo madent, ut nullam ex iis fibrarum invenias, ejusmodi *spiritus animalis* exsortem. Ampliùs in sanguine globulosam materiem videbant, interstitia cujus aut intervalla permeando opplebat ramosa materies; observationum millia petita ex analogismo corpus humanum inter & phœnomena naturæ instituto, & quæ suppeditabat physica usualis, jucundam illam & industriam philosophiam firmabat, an alicundè medicinæ arcessenda erat physiologia quæ ad veritatem propriùs accederet? at si multum verisimilitudinis aderat, plus aberat veritatis; id est certitudinis illius quam systema decet, quod usibus medicinæ dicatur; doctissimus autem hujus philosophiæ author, ab hac confessione sua orditur principia, suam hanc esse fidem, conditum esse mundum non secùs ac in Sacris Cocidibus legitur. Unde confestim concludendum est, quæ ponit author principia ea non esse quæ condidit Creator, licet sola sint, & sola quæ tenenda sunt, in his enim unis posuit Creator sanitatis & vitæ causas, iisdem proinde unis fidem habebit medicina. Fatetur adhuc idem ille candidus author, quæ proponit principia, mentis suæ inventa esse & ingenii fœtus, ea autem supposita adhibere, quibus adjuvetur in explicandis naturæ operibns & phœnomenis,

Itaque commenta erunt aut hypotheses, quæ dubitabilia semper sunt, suspectaque falsi, veritatis inveniendæ instrumenta. Adde hypotheses illas omnes, connexa esse, petita aliundè quam ab humano corpore, cui tamen exponendo destinantur; concesso igitur veritates esse, alienæ veritates erunt & elocatę, quæ cum inter se tantùm privatim comparatæ certæ sint, ambiguæ fiunt alteri attributæ rei; potissimùm quæ a natura insitas habet & proprias veritates; seu quæ suis durat & vivit legibus, quæ leges veræ sunt, confessæ & compertæ, at diversæ prorsùs & dissimiles ab iis quæ illi attribuuntur. Enimverò, ut ut veritas una sit, in quantùm veritas est, varias induit formas aut colores tractata ab eo qui tam summè sapiens est, quam supreme potens, quique modificationum materiæ non minùs dominus est, quam ipsiusmet materiæ fundi. Quo dato, immensum

quan-

quantùm & quoties fucum facere possint rerum facies? Etenim ubi architectatur omnipotens, ut operum myriades ab unica & eadem lege exire possunt, & unum & idem opus ab unica lege profectum formarum millibus potest vestiri. Porrò, ab errore cavere cui dabitur, si ad internoscendas illas omnes rerum ambiguitates, mutuatitiæ, conditionales & hypotheticæ res usurpabuntur, quas disjunctas, dispariles, perperamque connexas; imaginando doctus aliquis norit componere? fictio valeret, si, quod fieri nequit, numen aliquod artibus arcanis, aut singulis legibus plenè eruditum, quibus machina mundi regitur, eas leges humanæ menti aperire volens & explanare, *automa* fabricaret, iisdem actum motibus, cum iis quibus mundus agitur; motibus autem, quorum leges & regulas sensibus aperiret, quorumque artem omnem & ingenium omne palam proderet: fictione illa, qua constaret artem hanc manifestatam animam esse motuum plane similium iis quibus machina mundi regitur; liceret absque ullo allucinationis periculo, ex comperto *automatis* fabricati artificio, architectioneve illius manifestata, inferre causas & exponere, quibus mundi motus diriguntur. At verò sapientis erit, eandem, spondere felicitatem, ex instituta comparatione machinæ mundi cum *automate* quod imaginando finxit mens hominis, cujus ipse jussit leges, quas pro sinceris mundi legibus dat, has licet comperisse nusquam lubens fateatur, imò quamvis diversas eas esse ab iis quas Creator ordinavit, sponte recognoscat.

Posthac in animumne cujusquam cadet illius esse conditionis *vorticosos* motus, quos peperit una philosophiæ sagacitas, ut medentis mentem aptè ducant & feliciter, in cognoscendis dirigendisve circuituum motibus, quibus aguntur *microcosmi* vortices, hoc est in regendis sanguinis circuitus legibus singularibus in unoquoque viscerum, in quibus singulis proprios agit sanguis circuitus, propria fertur circuitus ordinatione, singularibusque ducitur motuum legibus? Sed jam commenti compertus error est, en se prodit commissi erroris argumentum. Cogites, amabo, quid sortita sit felicitatis apud sapientes, medicos imprimis, de formato fœtu fabula, quidve de ordinata corporis humani œconomia commentum juxtà *geometriæ* leges, quas ingeniosè inveniendo aptavit solerter nobilissimus author philosophiæ illius quam persequimur. Nullibi certè tam pulchrè nitet hæc philosophia mentis acie, ingenii sagacitate, animi capacitate. Interea totum architectionis illius admirandæ fructum requiris? ad illud mentis miraculum stupuere omnes, sed ad unam laudem authoris rediit ingeniosè fingentis animi illa virtus, virtus autem quæ laudatur & alget. Revera, exultans medicina aut superbiens, quod illi contigisset enascentem hominem aut formantem se suis sub oculis intueri, eò progressam penè jam se credidisset, ut naturæ altitudines intellexisse, aut penetralia illius ingressa sibi videretur; at deceptam se sensit, phantasma hominis aut simulachrum vidisse se animadvertendo. Unde consequitur toto hoc comminiscentis philosophiæ conatu, venturæ producendi hominis speciei novæ medicinam fuisse præparatam, sed a qua homini jam facto certi rediit nihil, incerri permultùm, discriminis ultra modum.

CAPUT IV.

Pergitur in iisdem.

ATOMORUM systema, ævi licet antiquioris, successit parùm feliciter apud medicos imprimis, qui illi aurem vix præbuerunt, & adhuc fidei minus, Atro enim carbone aut reprobrationis sigillo offerebat notata principia,

ex eo quod insecabilis aut individuæ materiæ tam inintelligibilis sit idea apud Philosophos, quam apud Theologos conceptus incorporeæ, sectilis tamen substantiæ. Sed systematis illius mendacia maximè intellexit medicina, comperto sibi argumento, ex immensa illa materiæ divisura, in quam abit succus nutritius, cujus in infinitum dividuitas. Quæ enim infinitas major quàm illa quæ aeris particularum est? at in auras diffiatur transpirando succus nutritius.

Chymia, quod omnem olim spem superasset, in medicina imperium tenebat nuper, illa ipsa veterum judicio habita indigna, quæ medicinæ ancillaretur, quodque stuporem auget circumcidendo se chymia hanc sibi fecit victoriam. Ex quatuor enim illius principiis quorum satellitio ne hilum adversùs veteris philosophiæ principia obtinuerat, duorum auxilio tantùm recentis philosophiæ clavum ambire ausa fuit & affecuta est. *Acidum* & *alkali* intelligas, quibus tempus fuit, sub quo illorum nominibus nihil non in medicina imperaretur. Equidem, non multo post tempore imperio ceciderunt, ita tamen ut in illo *systemate*, quod principatu usurpato dominium posthac occupavit, authoritatis multùm aut potentiæ retinuerit. *Fermentationis* systema fuit, quod super miserabilium ejusmodi materierum superamentis stabilitum est, sed citò venturam, quæ imminebat illi proximè ruinam admonebant vitrea isthæc aut caducaria fulcra; *acidi* enim & *alkali insufficientiæ*, quas in iis principiis arguebant ipsimet chymicæ artis principes, illius damno prævertebant animos omnium & avertebant fidem, qua de causa factum est, ut *fermenta* quibus famam fecerant *acidum* & *alkali*, casum illorum citò sequuta sint. Hinc decrescente illorum potentia; subiit animos dubitatio, non tantùm utrùm *fermenta* & *fermentatio* in corpore darentur, sed dubitatum quoque est, an essent ullatenùs isthæc principia, an alicubi adessent: unde videas non nomen majus aut majorem fidem fecisse sibi chymicorum principia, ut ut minui se passa sint, & ad duorum numerum circumcidi, quin imò, quò faciliùs emendanda se præbuerunt, eò apertiora impotentiæ suæ exhibuerunt argumenta. Enimverò, quamlibet cautionem adhibueris aut emendationem, quævis discriminatio fiat rerum quæ omninò dubiæ sunt, rerum incertarum erit qui veniet delectus. At a longo tempore durabat quinque principiorum chymicorum incertum, qua de causa veteri philosophiæ constanter ejurata fuerant, quòdque physica recens chymiæ paolo plus iis indulgere visa sit ne mireris, sic rependendum ei veniebat chymiæ munus, quo tria ex suis principiis refecta physicæ condonarat; unde id beneficii illi redibat, quod hac resectione tribus extinctis erroribus, quibuscum illi militandum erat, duo tantùm confodiendi supererant. Ipsamet medicina lucri non parum ex chymia reportavit *acidum* & *alkali* adoptando, usu enim suo recognitis horum quoque principiorum chymicorum mendaciis, ex innumeris erroribus quos apertè invehebant, edocta est quantùm intuta futura erat aut damnosa illa ars, cujus principiis correctis quantumlibet & emendatis in allucinationum millia inducebatur. Allucinationum causa inde erat, quod ab indole & ingenio medicinæ medicinam divertat chymia; iidem enim ac naturæ sunt, veritatis nimirùm & constantiæ medicinæ mores, moribus ergo chymiæ contrarii, qui iidem sunt ac ignis, dubii semper & fallaces, quæ suscipit enim, transformat semper aut mutat, vitiat aut adulterat, sic ut quæ parit, nova tot entia sint, tot *creaturæ* novæ, quas profert & edit. Hinc intelliges talis esse malitiæ chymicam artem, ut quæcumque attingit corrumpat, sapores, colores, molem, texturam; nihil enim ei objicias quod mutare non possit, aut pervertere tanta vi aut potentia, ut si quid prodat operibus suis tractatum aut elaboratum, alienum sit illud ab eo quod fuerit. Has subeunt mutationes chymicis artibus tractata corpora quæ duriora sunt & durabiliora, quales ergo tendiculas medicinæ non objicient iidem ipsi

ignes

ignes torquèndo liquores, ſuccoſve aut partes quæ teneræ erunt & molles, cujuſmodi ſunt ea quæ corporis humani ſunt, cum eorum principia elicere tentabit. Fruſtra erit ſuum in animum inducere ea tortura ſolvi ſimpliciter partium vincula. earumque ſolos mutari contactus, neque cogitabis talibus potentiis variari tantùm ſuperficies, aut novos contigiſſe molecularum ſitus? prætexunt, ſed perperam, ignes temperatos, arenis nempe aut cineribus, aqua aut vaporibus intermediis molleſcentes & mitigatos, ſinceros revera tot ignes cinere doloſo ſimulatos, quos chymia parat diſtillandis mixtis tenellis & mollioribus; his enim adulatoriis artibus, a chymiæ facinoribus in humanum corpus malè cavebitur; qui enim functionum œconomiam regit calor mollis & vaporoſus, diſtat quam longiſſimè ab ignibus ſiccis, caloribuſque uſtulatis qui chymiæ proprii ſunt; quæ quamvis nullam non induſtriam in auxilium vocaverit, nullaque non moderamina, eos qui reipſa humano corpori inſunt, non fervidos ignes aut non igneos calores male ſemper æmulabitur.

Errorum occaſiones tam multæ aut allucinationum tam multiplices cauſæ, natæne erant aut idoneæ veritati retinendæ in medicina? enimvero talibuſne auxiliis operum medicinalium ordinatio ſervari poterat, aut eorum protegi certitudo? hanc etiam ob rem, quæ certa e ſinu naturæ prodierat medicina, artis allucinationibus, & inconſtantiis indecorè mancipata, inhoneſtè ſerviit, nobilemque quam ab inſtitutione, ſortita fuerat ſimplicitatem exuens, ſomniis phantaſiæ & phantaſmatum deliriis miſerè famulata eſt. Interim hanc invaſere turbæ, iiſque circumcincta, medios inter ignes, *fermentationes*, *ebulliones* & *effervveſcentias* verſata eſt; *detonationes*, *deflagrationes* & *exploſiones* in exemplum datæ ſunt functionum, quæ corpori humano ſunt familiares; *exploſiones* imprimis dignæ habitæ ſunt quæ primarii aut principis viſceris opera interpretarentur; id eſt cerebri, cujus, ſi chymiam audias, *animales* quos parat ſpiritus, non ſecùs ac ignaria videbantur, aut *exploſionum* igniculi, quibus producendi muſculorum motus demandabantur. Idem erat ac diſſidium ordinis loco ſufficere, intraque medias pacis ſedes pondere belli cauſas; nimirùm intra ipſos nervos quos ordinatio aut harmonia ſpectat ſingulariter, ut pote cum ab eorum *tenore* atque concentu pendeat functionum omnis œconomia. Malum ulteriùs progreſſum eſt, nam ab animo ad manum, ſive a cogitatu ad uſum & exercitationem tranſiit. Pulchrè enim deluſi, & acquieſcentes libenter ſuavibus his deliriis medici, ad illorum exemplar & normam conſilia ſua direxerunt, opera illorum ex inſtituto Creatoris neceſſaria nata, ex arbitratu pendere cœperunt; medicinamque arbitrati ſunt induſtriam fingendi ſyſtemata, aut remediorum formulas obtrudendi methodum, eaſque affingendi *indicationibus* ad libidinem excogitatis, fictitiiſque cauſis quas invenerant doloſæ artis dulces præſtigiæ, Sic medicinam luſum æſtimaverunt, aut delectandæ mentis artem; ſic alumna ſapientiæ, opinionis ancilla facta eſt; denique animorum illa conſenſio, conſiliorumque concordia, unde tantus arti habitus honos, quandiù duravit idearum unanimitas, in deſuetudinem abiit, confuſa illa ars & tumultuoſa facta in babylonium cahos evaſit, ubi miſtis omnibus convenit nihil, factam enim idearum diſcordiam mox ſequuta eſt diſcordia vocum.

Sic creſcendo medicina decrevit, progrediendoque receſſit, viatoris inſtar qui eò aberrat magis, quò magis ambulat, ſimul atque a recto itinere declinavit, quem illa ſpectabat ſcopum eò minùs attigit, quò viam quæ eò ducebat minùs perſecuta eſt. Interim notata ſibi veſtigia premenda habebat, regulas nempe & notacula a Creatore ſuis in operibus ſignata, a quibus ſtatim atque evagari cœpit, omnis illius ad ſcientiam greſſus, ad errorem progreſſus fuit. *Omnis* tamen *caro*, quod concedendum, *non corruperat viam ſuam* in inquirenda medicina;

ex medicis enim non defuere qui illius vitæ quæ deſerebatur veritatem noverant, quamque relegendam eſſe credidiſſent, ii videlicet, qui *coram* ſyſtematum idolis *genua flectere* renuentes, ad illud quod veri habet medicina, conſtanter enixi ſunt; illudque utcunque palpando, intrà denſas opinionum caligines quibus medicina mergebatur, internoſcere ſategerunt; enimvero, quod humanæ mentis honori debetur, eò uſque non caligavit, ut veritatis fulgorem omnem apprehendere dedicerit, imò ſint non ſolùm, ſed & aliis ſentiendum dedit. Unde tandem aliquando a *ſyſtematum* inſania reſipiſcens, quæ tot errorum ipſi cauſa fuerat, eò tandem cognoſcendo progreſſa eſt, ut principia animadvertere magis ceperit, quam ſupponere. Hæc fuere naturæ leges, quas ſibi fecit in medendo regula, miſſiſque ſyſtematibus, & a fictione principiorum ceſſando, magiſtram agnovit naturam, cujus imitando mores, exempla mutuata eſt, & agendi rationes. Syſtematis illud genus eſt cognitionum congeries & coagmentatio, ſed cave ſuppoſitionem dicas, non enim fingitur, ſed revera exiſtens ipſi naturæ fulgitur. Nomen ſi rogas, *mechaniſmi* ſyſtema eſt, ſeu naturalium legum doctrina, ſola certè fallere neſcia, ut pote ſola quæ digito Dei ſignata eſt atque deſcripta.

CAPUT V.

De reduce aut rediviva Medicinæ veritate.

AT, ò vanas mentis humanæ curas! ò inutiles animi ſollicitudines! cum eſſentiarum ſcientiæ cupidior, primas rerum cauſas rimari agreditur! vanitatis enim anne datur argumentum lucidius quam ille rerum medicarum quem experimur, miſerabilis ſucceſſus, ab anteactis enim pluribus annorum millibus, quinam medicinæ rediit laborum ſuorum in inveſtigandis naturæ myſteriis exantlatorum fructus? Si requiras, *littus*, ut ajunt, *araſſe*, medicinam invenies, nam a quo cepit veritatis puncto, in eodem hærere adhuc ſe erubeſcendo confitebitur. Lamentabile damnum quo integra ſæculorum luſtra in tractandis erroribus miſerè decocta ſunt! impendium miſerabile, diutiùs & malè locati temporis in ſuſcipiendis difficilioribus conſiliis & operibus, dolos inter & inſidias ſimilitudinum analogiſmi & millium phantaſiæ ludibricorum, quorum fallaciis & fraudibus medicinæ periit inſtitutum a Creatore veritatis iter. *Ergò erravimus a via veritatis. . . . . Laſſati ſumus in via. . . . . perditionis & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus, aut Creatoris.*

Fortaſſis, in viam veritatis maturius rediiſſet hominis animus, at ambitione præoccupabatur, opinioneque iniqua in ea omnia quæ antiquam philoſophiam ſubolebant, adeo ut quidquid illam tantillùm referre videbatur tædio illi eſſet aut faſtidio. Interim palàm erat & obvia ratio quæ animos ab hoc præjudicio levaſſet: quæ ſic ſe habet, quamlibet verbis aut vocibus mutationem intulerint ſyſtemata, quantumlibet varia fuerint eorum elocutio, iidem ſubſtiterunt animi ſenſus, aut ideæ rerum. An pluribùs opus erat, ut ad unanimitatem rediretur? meliùs nunquid non hæc ſatis erant retinendis mentibus intra unanimitatis cancellos? Enimvero ſtatim atque de ipſis rebus convenit inter illos è recentioribus quibus è meliore luto præcordia finxit philoſophia, cum iis ex antiquis quos ad medendi artem ſapientia formaverat, dum, inquam, inter eos ita convenit, vocibus diſtantes, animi ſenſibus & principiis conſentiunt; quo dato, an aliquid erit quod naturalem animi ſenſum aut confeſſam omnibus notionem tantùm referat, quantùm communis

illa

illa consensio, arcanusve ille & probatus omnibus animorum concentus? sed ulteriùs adhuc hæc consequentia progreditur. Enimvero, abluditur a vero tam publicum, tam universalem animi sensum, illum ipsum esse quem omnibus concesserit Creator? nunquid non hic esset necessarius illi intellectus, aut naturale lumen insitum hominibus ad vitæ tutamen? unde liquet, omnibus illis systematibus revocari animos ad ideas communes, aut ideas naturales, quibus veteris medicinæ principia aut leges stabiliuntur, proindeque ad ideas illius medicinæ quam corporum salutis causa instituit rerum conditor.

Quod ut intelligatur, instituenda est comparatio utriusque philosophiæ notionum, verborum pondus perpendendo & locuti[illegible]um vim. *Calidum & frigidum* physicæ veteris amores erant & deliciæ, quæ *humidi & sicci* satellitio stipata, phœnomena quælibet naturalia interpretari, aut distinctas illorum ideas assequi pollicebantur. Hæc exceperunt diversæ materiarum species a philosophis recentioribus celebratæ, quæ plus minùs subtiles aut crassæ, plus minùs solidæ aut fixæ, plus minùs agiles aut lentæ, idoneæ plus minùs erant frangendis obicibus aut *resistentiis*, elocandis partibus aut suis emovendis sedibus, partiumque viciniis aut *contactibus* mutandis; factisque aut fractis partium fœderibus aptæ veniebant, sociandis moleculis aut dissociandis. In his omnibus corporum generationes, functionumque illorum rationes adumbrari putabant, patereque causas quibus illæ pergebant, fatiscebant, peribant tandem. *Sulphurum, spirituum salium*que cum *terra & aqua* facta connubia, rationes aperiebant, quibus nativa fiunt *amalgamata*, quæ compaginum species sunt, unde ducebant illarum ideas generationum, quæ in hominis & universi mundo observantur; ex iisque differentiis quæ sunt has inter multiplices materias suo singulas ingenio dissimiles, in aliis quidem *volatilitatis*, agilitatis, mobilitatisve causa, in aliis causa *fixitatis*, lentoris, aut gravitatis, ex iis inquam, differentiis nativas eruere satagebant rationes illorum interitus, qui nihil aliud esse videbatur, quàm mixtorum dissociatio, vel dissolutio. Ut ut sit plus minùsve hinc motus, potentiæ aut impetus, plus minùs illinc renitentiæ, hos omnes philosophicos agebant ludos.

Revera quæ ex his locutionibus idea venit, idea est luctarum, pugnarum, & *antipraxeon*, huc enim recidit unanimis physicorum consensus; in hoc consentientibus omnibus in unis *acido & alkali* omnes physicæ spes collocandas esse; fumosis illis pugilibus qui quandiu philosophicam occuparunt scenam luserunt soli. At sâlia hæc fatua facta in sterquilinium projecta sunt, ut pote inutilia & contemptibilia, simulque sapere physica cepit aliter, sed non aliter percipere. In scenam prodiit *mechanismus* qui omnia pressioni, renitentiæ, frictionibus & tritui, undulationibus denique, vibrationibus & oscillationibus attribuenda esse ostendit; quibus nominibus nihil aliud intelligendum venit, præter alternos motus ictus *systoles*, mutuosque nisus duorum corporum quæ luctantur aut pugnant. Jam verò *Peripateticorum antipathia*, intemperies, ardores, *antiperistateve*, cum his recentiorum luctis, renitentiis, ebullitionibus, *effervescentiis, fermentationibus* collatæ, anne isthæc omnia, alias ab iis quas modo memorabamus ideas repræsentant? an ab his dissimiles sunt illæ notiones, quas exhibent *oscillationes, crispationes, elasticitates & spasmi*? ampliùs, quas ex variis istis locutionibus elicit medicina *indicationes*, anne adeo variæ illæ erunt? humectes, diluas, fervores refrigerando compescas, restinguas *effervescentias* aut comprimas *fermentationes*; *acida absorbendo, concentrando* aut invaginando castigentur, figantur fixenturve; *alkalia* conterantur, subjiciantur; sanguinem dulcorare velis aut bilem mitigare; *alcalisatos* dicito succos quos temperandos suscipis aut adustos humores,

inde-

indene indicationes diſſimiles eruuntur? diverſane erunt quæ ſe dabunt remedia? anne ægrotanti veniet minùs levaminis, modò veniat, ſive *evectam* nimiùm bilem deprimendam ſuſceperit medicus, ſive bilem fervidam nimis temperandam fuerit aggreſſus? ſub his varia ſunt morborum nomina, quorum ideæ ſimiles ſunt quæ diverſis vocibus enuntiantur, ſed quibus quæ adhibentur remedia ejuſdem ſunt virtutis. In ſumma, compares *calorem nativum*, ſive *humidum primigenium* veteribus celebratum, cum *ſpiritu balſamico* a recentioribus decantato; illorum calores cum horum effervescentiis; bilis ardorem nuncupes, quod *exaltationem* dixere chymici, certè ejuſdem indolis peccamina ſunt, iiſdem modis caſtiganda, Sed, quod obſervabis, quæ ſub his titulis tegitur idea princeps, principii actuoſi idea eſt, nitentis ſemper in aliquam materiam quam domare aggreditur, aut ſubjicere; ex majori autem minorive illius materiæ renitentia, exurgit plus minùs vehemens, plus minùs regularis motus. Huc, cujuslibet ſyſtematis ſequaris ideas, reducuntur ſanitatis & morborum cauſæ, quæ hîc apparet variatio tota & ſola in locutionibus eſt, ſeu in vocibus variis quas uſurpant, in exponendis iis quæ prædictum motum minuunt aut augent. Hi *qualitates* accuſarunt, illi corpuſculorum, *atomorum* aut molecularum modificationes, aut ſitus varias rationes. Alii denique ſuccos ſalinos aut ſimiles materies diſſidii ac tumultus amantes, quæ, ut pote adverſæ ſibi mutuò natæ, viſæ ſunt fovendis diſſidiis, alendiſque tumultibus idoneæ. Igitur certa & conſtans eſt obſervatio, imo publica omnibus & confeſſa, ſanitatis & morbi cauſas a motu venire, cujus ordinatio, norma, aut regulæ, turbæ, impetus aut tumultus alunt aut mutant vitæ munia. An pluribus opus erat, ut obſervationibus medicina ſtabiliretur, iis autem quæ ex prædicto motu colligerentur; nimirum ex illius periodis, temporibus, intervallis, ordinationibus, ex illorumque omnium differentiis & circumſtantiis, ex temporum, ætatum, ſexuum, climatum & tempeſtatum varietatibus petitis? ſic facta fuiſſet medendi ars, quæ tantùm certi habuiſſet, quantùm obtinuit incerti, ex quo aliundè quàm ex obſervationibus creſcere voluit.

At impatiens & ambitioſa curioſitas, indecoram ſibi aut inhoneſtam arbitrata ſcientiam arctam adeo aut ſtrictioribus cancellis coercitam; ſpreta curta hac motus notitia, origines illius, cauſas & rationes rimari aggreſſa eſt. Ignis ille ſacer, arcana cujus condita cælo numini ſoli intelligenda erant, invido mentis humanæ auſo objectus venit: ita oblitus homo, qualis ſit entis creati conditio hac parte inſcrutabilis, quòd rationes & cauſæ quibus productum eſt ininveſtigabiles ſunt, ut pote in ſola conditoris voluntate poſitæ, horum omnium facto contemptu, hanc omnipotentis voluntatem, quam hominem ſubmiſsè ſolùm adorare decet, rimari tentavit, nitendo in vetitum, quod hominem celari manifeſtè voluit Creator. Enimvero creatum ens a producto ſic internoſces. In producto animadvertere eſt evolutionem partium quæ ſucceſſivè enaſcendo explicantur, ſigillatimque cognoſci ſe patiuntur: contra ens creatum acervatim ſe prodit, partibus omnibus ſimul & ſemel abſolutis. Facinori igitur imputaveris aut audaciæ, ſaltem hominis ignorantiæ cauſa fuit per ſingula eà cognoſcendi cupiditas, quæ in ente creato nuſquam nota fuere, nec unquam potuere noſci, quandoquidem creatum ens ſimul & ſemel productum ſe totum monſtret & abſolutum.

Hic non conſiſtit hæc veritas, alteram aperit, ope cujus & auxilio dedecoris non parùm & mœroris aſpuliſſet a ſe medicina, ſcilicet ab iis abſtinendo ſtudiis, quæ illi otioſa fuerunt & inutilia: ſtudiorum illorum pars magna fuit circa principia rerum aut elementa anxia nimis ſollicitudo; atqui creatio

pro-

prodit hæc principia, hic ergo miserè cæcutiens philosophia, obvia illa & in propatulo posita nescivit apprehendere.

Creavit Deus hominem & animalia, utrorumque mares & feminas, illaque confestim multiplicari jubet. (a) *Dixit Deus, producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia, & bestias terræ secundùm species suas..... creavit Deus hominem..... masculum & feminam creavit illos..... & ait..... crescite & multiplicamini.* Hic ergo hominem habes creatum, quoque momento creatus est, eo ipso generationis capacem, melius, sic illicò factum idoneum ut alios homines statim gignere possit. *Dedi vobis omnem herbam afferentem semen..... & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui.* Hic quoque habes herbas & arbores creatas, creantur autem una cum seminibus generis sui, quæ sinu suo condunt. At vero entia quæ è nihilo ita prodeunt absoluta omnino, quæ aliundè gremio suo condunt sui similium germina, num ejusmodi entia aliqua sui parte produnt modos, rationes aut causas quibus factæ fuerint conjunctiones, copulationesve partium corporis creati. *Fiat*, vox imperans, omnipotens hic sermo ex nihilo rem fieri jubet, & *factum est ita*, hocque unum & totum est quod aperiunt nobis Sacri Codices. Putabisne corporis creati nomine intelligendam esse partium compacturam, quæ a Creatore injuncta fuerit cuidam creatæ materiæ portioni, quas partes suum ad nutum postea ordinari jusserit? verùm an creatio quæ partitis vicibus fuisset absoluta, Creatoris omnipotentiam bellè saperet? Nunquid non attribuere est Creatori partitè operandi rationem, qualis ea est quæ in hominem cadit, ut pote tempori & materiæ subjectum? hanc iniquam conjectantis animi suspicionem avertunt Sacri Codices, tradentes creatam fuisse a Deo simul & semel terram, non tantùm seminibus imprægnatam multiplicibus herbarum, arborum &c. sed & ipsamet semina imprægnata seminibus omnibus, unde ultima per singula nascerentur sui generis plantæ & arbores; (b) *Protulit terra herbam virentem, facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & unumquodque sementem secundùm speciem suam.* Eniti posthac, ut in aspectum veniat quædam ars quam adhibuisset Creator in compingenda, ordinandaque hac terra, quærere artem est, ubi nihil est artis. Humano conceptu rem intelligere est, rem creatam illius instar quæ artefacta est concipiendo. At non eò tendit vera creationis idea. Creatio operatio est, quæ materiam supra omnes artis vires sublimat, quæve quas dixit Creator naturæ leges, conspiciendas exhibet, sed harum legum neque rationes neque modos aperit. Veritates sunt conclusæ sigillo; his interim tutò credas licet, reipsa enim profectæ ab authore qui falli & fallere nescius est, dignæ sunt quæ regnant & erudiant, pares splendori solis, qui spectantium se oculos perstringit, invisæ collustrant aut inaspectæ, de quibus enim nos erudiri volunt, ea tacitè edocent, mutorum præceptorum more qui nutibus solis nossent erudire. Porro leges illas intra ordinis sui limites spectare satis erit, eas observando juxta illarum, quò diriguntur instituti finem, sic enim quidquid intra se condunt documenti sponte produnt. Medicina imprimis ex iis nihil non capiet auxilii, si nil nisi utilis & necessarii exigat, hoc unum videlicet, causa cujus creata fuit, quodque ad ægrotantium sanitatem unice spectat.

(a) *Genes. c. 1. v. 24. &c.* (b) *Genes. c. 1. v. 12.*

CA-

CAPUT VI.

Data creatione terræ ſinu ſuo condentis plantarum ſemina, tum & plantarum ſuis cum ſeminibus ; dari principium, quod ut certiſſimum eſt & utiliſſimum, ſic unicè neceſſarium Medicinæ eſt.

SIngula ſic proſequuntur Sacri Codices in enarranda creationis hiſtoria, ut rationi paſcendæ non minùs quàm alendæ fidei utiles viderentur. At philoſophia inventæ veritatis ſenſum minùs cupiens, quàm vanitatis illius inveniendæ affectum, modeſtiæ minùs habuit, quàm ut in eorum cognitione conquieſceret, quæ ſi ratiocinationes illius ſuperabant, rationi non adverſabantur. Hinc meditationis locum occupavit ſermocinandi cupiditas, meditando licet quis in philoſophum evadat non eloquendo. Sic in inveſtigandis exponendiſve rebus facta ſedula nimis, pro ideis voces, verba pro notionibus uſurpavit. Hæc cum vera ſint de pluribus, de ſcientiis activis aut vitæ ſervientibus præcipue certa ſunt, enimvero cum Creatoris mens fuerit, ut ex neceſſariis nihil hominem deficeret, ſuis operibus ſupereſſe voluit ea ſapientiæ veſtigia, hoſque illis interſperſos veritatis caracteres, qui animum cupidum veri ad fructuoſas veritates direxiſſent. Igitur ſatis fuiſſet philoſophiæ utili & accuratæ, quæ nihil aliud eſt quàm *digitus Dei* naturam moderantis, ſeu meditatio ordinis & legum quibus illa regitur, illi, inquam, fuiſſet ſatis expiſcari veritatum cognitarum veſtigia, quæ cognoſcendarum principia evaderent. Sed aliò ſe contulit rerum novarum cupida curioſitas; mutuatitias imitari veritates aut eas in exempla adoptare, ad quarum modulum quærerentur, philoſophiæ vanitati conveniebat minùs. Intimas rerum eſſentias inveſtigare ambitioſas ſatagebat, quarum rationes & cauſas revelare pollicebatur, ſicque ceſſuras eſſe res ſpondenti jactantiæ, paulò lubentiùs creditum eſt. Igitur garrula phyſica facta eſt, & quæ meditationi olim vacabat, verboſitati indulſit.

Exinde in principia vindicarunt entium genus fictitium, & quod imaginando ſunt aſſecuti, concipiendo obtinuiſſe ſe putarunt. His allucinationibus ſi quæras quæ cauſæ fuerint aut occaſiones, has dabunt altitudines aut arcana naturæ, enimvero dum nihil non interpretari ſuſceperunt, nihil non prætenderunt intelligere, quod ſanè, ad ea quæ captum humanum longè ſuperant, ambitus erat. Revera Creatori cauſa, non hominis omnia facta ſunt, ut enim ſupremum ens & ſummè perfectum dedecet, ad aliquid eorum quæ illi ſubjecta ſunt & obnoxia opera ſua referre, nullum in creandis illis objectum præter ſe ponere ponit; *omnia propter ſemetipſum creavit altiſſimus*. Igitur licet homo majeſtatem Creatoris in naturæ majeſtate adorare teneatur, illius nuſquam muneris aut officii eſt, opera Creatoris aut illorum rationes inveſtigare. Veriùs credideris voluiſſe creata ut omnia hæc hominem celarentur, cum rerum eſſentias creationis myſterio voluerit obſcurari, quæ ſolas rerum creatarum ſuperficies oſtendit, ut pote quæ illas prodat omnino formatas, ſic ut ſingularem partium illarum ordinationem aut compaginem abſcondi voluerit, illarum quoque initia, progreſſum, verbo arcanas formationis illarum artes. Itaque cum tantùm inſcrutabilia ſint rerum principia, quantùm obſcura ea voluit eſſe Creator, audacioris animi ſolius erit, aut inſanæ mentis myſteriorum illorum altitudines rimari. Interim procul a nobis abeſt conſilium in-

cri-

crimen humanæ mentis vertendi illius impotentias, criminatio cadet in petulantiam consiliorum audacioris & ambitiosæ phantasiæ, cujus errores castigari tantùm, aut declinari allucinationes optaverimus. Missis ergo dolosis omnibus ad veritatem semitis, satis nobis erunt quæ nobis offerunt creatæ res cognitionum argumenta, quæ ea sola obscurant quæ vitæ tuendæ inutilia sunt, cui si utilia ea futura fuissent, revelasset utique Creator, qui cum necessariis nusquam defuerit, hæc quoque certè suffeciſſet. Amplius hîc videas præclarum benignitatis illius argumentum, insigneque sapientiæ illius moderamen manifestando pauca, pluribus quæ se dediſſent anteire voluit allucinationum occasionibus, ab erroribusque nos tueri; nam multiplices quæ se prodidiſſent sensibus obviæ veritates, totidem fortè fuiſſent errandi causæ; sed pauca revelando nobis, effecit ut falsi occasione semota, intra veri limites nos contineret, & quasi manu vel invitos ad necessariarum veritatum notitiam dirigeret. Quot igitur conjecturis in incertum productis parcitum fuiſſet, quot incertis opinionibus; quot dubitabilibus systematis, si sic instituti potuiſſet philosophia; ut illi Creatoris non dubitabili verbo, *fiat*, credere didiciſſet? Revera igitur corpora creata sunt; creata, inquam, omnia ante tempora, eorum autem gravida germinibus, quæ inposterum nascitura erant. Effatum est ipsiusmet æternæ veritatis, rem affirmantis voce illa jubente & definita, *fiat*; superstitibus nullis aliis operationis illius argumentis, omissa rei gestæ per singula narratione, tacita quavis alia expositione, nisi hanc admittas, vocem illam statim ut jussa fuit, executioni mandatam fuisse, *& factum est ita*. Nihilominus tamen, audax humana mens & curiosa, multa post a creatione sæcula, creationis opus per singula exponere aggreditur, illiusque rationes, modos & arcana rimari. At sapienterne erit cogitare, id illi contigisse felicitatis, ut in ea venerit mysteria quæ illi abscondita voluerit Creator; verius, nonne blasphemiæ genus est cogitasse, arcanum homini abscondi voluisse Creatorem, quod reluctante Creatore, spretove, quod jusserat, mysterio, potuiſſet intelligere? ratum igitur est & manifestum, attestante rerum conditore, omnia quotquot entia dantur fuisse creata, & illa quibus constant principia ignota esse atque recondita: tum quia seligente Deo creationis viam, omnem proinde removente copulationis ideam, mixtionis & compacturæ variarum materierum, unde varia entia fabricaret, illius operationis modos & artes abscondi volûit; tum quia quidquid vult, constantissimè verum est. At inde concludas licet, fieri non posse ut principia quibus nituntur, quæ hodie celebrantur systemata, vera sint, ut pote cum ea esse non possint creationis principia, hæc enim abscondi voluit Creator, nihilque illorum quæ abscondi voluit, illo renuente potest revelari, At quantùm latent nos principia rerum creatarum, patet tantùm & in conspectum venit principium a quo hæc ex nihilo prodierunt. Principium illud est suprema potestas aut voluntas suprema, quæ principia rerum absque principiis condidit, modis & rationibus eas instruendo, quibus se protegerent aut tuerentur, tum quibus in posteris renascerentur: iis, inquam, rationibus, quibus contulere nihil quod creatis rebus referant acceptum, sed quas a Creatore acceperunt situ, ordinatione & complemento suo donatas, quarum denique aut custodes sunt ut ipsæmet esse pergant, aut vicariæ ut illas in alia transmittant. Istud autem principium ut ut naturale & obvium, tamque verum, quàm certus est author unde venit, philosophiæ incompertum remansit aut inexploratum, & quantumvis simplex videatur & incompositum, revera duplex est, duo enim importat aut complectitur, creationem videlicet ipsorum entium, tum & in ipsis entibus creationem germinum, unde singulorum species producendæ erant. Itaque instituta,

tuta, ut decet, phyſica, & ad ea quæ illius vera principia ſunt revocata, ad duo tantùm tota referenda erit; ad entia creata ſuis munita modis & ordinationibus, ut eſſe pergant, tum ad germina in ipſis entibus creata, ſuo ſingula ſinu condentia entium ſpecies quæ futuræ ſunt mundi incolæ. Interim iſthæc ut naturalia ſunt, naturæ ingenium æmulantur, quamobrèm ad aliquid quod ſimplex aut incompoſitum magis eſt, reducuntur; illa enim duo, uno principio continentur, hocque unum principium erit creatio materiæ ſuis cum germinibus. Ad illud autem principium ſpectare fermè videretur antiqua hæc priorum philoſophorum opinio, qua ovo acceptam referri volebant mundi originem. Illi fortaſſis homines primi, a creatione mundi recentes adhuc, narrari audiverant quod ſubobſcurè ad ipſorum tempora ſervaverat traditio de ortus mundi hiſtoria; tunc fortè rumor erat de ſeminibus cum materia creatis, juxta vetuſti authoris hiſtoriam, Moiſis libros intellige quorum notitia aut fama narrantibus Hebræis ad illos perveniſſet; ut ut ſit, iſtiuſmodi opinio quæ per ſæculorum millia jacebat oblivioni tradita, nuperis temporibus revixit; enimvero quid aliud innuit ſyſtema ovorum quo evincitur in prima femina creata fuiſſe ova omnia quæ in ſingulis feminarum poſteris futura erant, quid, inquam, aliud innuit quàm ſyſtema mundi ex ovo naſcentis quotidie aut renaſcentis? ſi huic ideæ quæ hodie publica & confeſſa eſt, addideris non ſecus ac in quercus grande, in ſemine plantæ, veriùs in omnium plantarum ſeminibus delineatam videri naſciturarum plantarum non ſolùm ſed & arborum ſummam, aut compendium aſpici, quodque prodigium auget, ſi æquè verum eſt, in gallinarum & cæterarum feminarum animalium ovis, oculis aſpiciendas ſe prodere principes animalium exinde naſciturorum partes formatas, figurataſve; nunquid non creationis materiæ ſuis cum germinibus principium antiquis compertum videbitur, recentioribus acceptum, confeſſum omnibus?

His caracteribus & notaculis principii veritas aſſereretur; nihilominus tamen illud quod hîc tradimus principium bonis iis & utilitatibus adhuc donatum eſt, quibus deſtituuntur cætera principia quæ hominibus hùc uſque laudi fuerunt & uſui, quibuſque fandaverant artes aut ſcientias. Hæc enim finxit humana mens, illud inſtituit Creator & inſtituendo creavit; illa omnia multiplicia ſunt & compoſita, hoc ſolitarium eſt & ſimplex; omnia illa *hypothetica* ſunt & gratuita, hoc ſubſiſtens & effectivum eſt. Et revera *Peripateticorum* elementa, *Carteſianorum* materiæ, *chymicorum* principia fuerunt entium commenta, noſtrum autem principium in rerum natura eſt, obſervationeque multiplici factum ſenſibus obvium manifeſtatur.

Tot ac tantis muneribus dotatum principium, certiſſimè bonum ac utile eſt, ut pote allucinationibus nullis, nullis erroribus obnoxium. Igitur animum utiliter informare poteſt, certoque dirigere, regulas & leges ut certiſſimas ſic tutiſſimas dando: modò eas ſequi ſemper quivis intendat aut æmulari, eas autem nuſquam audeat prævertere. Fax erit menti prælucens, ad veritatem veſtigia firmans, dirigenſque conſilia, verbo, firmiſſima baſis, tumque fulcimentum eſt, quo immensè creſcet aut firmiſſimè ſtabilietur rerum notitia.

Quod ejuſmodi conditionis eſt principium, vel ſolum ſatis erit, ſolum enim veritate & certitudine cætera vincit; ſolumque neceſſarium eſt, quandoquidem ſolum ſit quo carere non liceat: denique quot conſilia, quot auxilia, quot lumina a cæteris contribuuntur principiis, afferendis his omnibus commodis hoc ſolum non impar erit.

Si illud explicandis pluribus naturæ phœnomenis non adeo ſervit, con-

cipien-

cipiendis pluribus sufficiet; si sermocinationibus curtum aut mutilum videatur; ideis & animi sensibus uberius est aut felicius, quantoque fulget minùs, tantò lucet magis. Hic enim hactenus impingere sueverant systemata, coli se jubebant, & venerari, dummodo principia ponderent, quæ satis fuissent explicandis naturæ phœnomenis, adeo ut majori reverentia dignius illud haberetur, quod explicandis pluribus par erat magis. Nec mirum, physicum enim virum cogitabant, qui naturæ opera exponeret, cum è contra physicus concipiendus ille sit qui naturam ex ipsius operibus noscere didicerit. Sic naturæ dominum agnoscere voluissent eum qui unicè auditor illius est aut interpres. Ad altiora fortassis aut majora contendere volet philosophia, at medicina modesta magis est aut ambitiosa minùs, aliunde satis habet, si suis possit felicibus frui votis. Hanc ergo de principio ideam habebis, cui difficilè adversabuntur, qui ex physicis viris, æquiores erunt *physicæ* æstimatores.

CAPUT VII.

Quæ habenda vera sit principii idea. Talem ideam, creationis principio convenire.

PRINCIPII nomine intelligitur veritas universalis, certissimè comperta, unde particulares, nedum cognitæ, veritates colliguntur. Principium igitur aliquid veri erit, solum enim verum ducit ad veritatem; aliquid erit cogniti, prodat enim se oportet ducatum præbens. Hinc a principio abierit suppositio omnis, omne enim quod supponitur, nondum ut verum agnoscitur, non enim supponeretur ut verum, si verum cognosceretur: imo verò quod supponitur, dubium adhuc est & incertum; atqui quod incertum est nondum habet veritatem; hanc igitur dare non potest, ea de causa quod non detur illud quod non habetur.

Hæc, de idea principii, si vera sint, tota illa principiorum turba, quibus stabilita fuere systemata, veritatis principia non sunt, nec esse possunt. Illorum enim si audias authores aut patronos, hæc erunt systematum fundamenta, cum sint suppositionum illarum bases & fulcimenta. Hæc ergo principia ex instituto aut natura sua ad hypothesin ordinata erunt; hujusque gratia facta, unde concludes illa esse *hypothesis*, non veritatis principia: jam verò *hypothesis* ex natura sua dubia res est; igitur ex natura sua erunt principia rei dubitabilis. Atqui naturæ rerum aut essentiæ sunt immutabiles, sequitur ergo hæc principia nata esse principia *hypothesis*, fierique non posse, ut usquam in principia veritatis adolescant.

De principio creationis non ita senties. Materia suis cum germinibus creata, constantissima veritas est, ut pote quam asseruerit æterna veritas. Non igitur haberi potest ut opinio dubitabilis, sed ut indubia venit admittenda propositio, antevertens omnes dubitandi aut examinandi causas, quam enim illuminat rationem, simul & evincit. Hæc enim vis est effectionis quam jubet aut operatur erroris expers aut mendacii authoritas, cui tutò te dedas licet, cuive cæci instar nulloque facto periculo credas te totum aut committas; cum enim ut potentiæ sic sapientiæ supremum hæc teneat dominium, fallere nec falli potest. Inde liquet tyrannidem non esse, non jussum obtemperantiæ officium, quo mentem hominis premat Creator aut voluntatem; sed collustrationis genus qua profunditur animus, aut convictionis vis qua præoccupat, exa-

men omne aut ſtudium præſcindens; omnipotentis enim ſapientiæ virtus eadem eſt, dubitationes prævertendi aut diſſipandi. Fortaſſis philoſophiæ cupidiori minùs erit ejuſmodi ſapientia, ex eo quòd pompoſiorem ſibi finxerit de principio ideam. Hinc crediderit aut juſſerit credendum nomine principii, illius affinis, quo indiget medicina, intelligendas venire ſimplices ſubſtantias ex quibus coaluerunt corpora, & in quas diſſoluta reſolvantur: illius ideæ ratio originem duxerit ex illa quæ in vulgus manavit opinione præjudicata, ſcilicet illud eſſe phyſici viri officium, deducendi naturæ effectus ex cognitis naturæ cauſis; quod ei, ut fertur, cedit feliciter, in quantùm ejuſmodi cauſas intellexerit, quæ principiis inſunt, unde coagmentata fuere corpora. Hæc ut ut de aliis vera fuerint, medicinæ ingenium non ſapiunt; unde ſupra fidem non erit, ideam principii quod phyſicam attinet, diverſam eſſe ab ea notione principii quod medicinæ convenit. Quantumvis igitur phyſicum eum agnoſcant iniqui rerum æſtimatores, qui de naturæ phœnomenis garrire novit, medicum eum putabunt ſapientes qui ſanare noverit, id eſt, qui ſanitatem didicerit tueri. Eſt autem ſanitas œconomia quædam aut ordinatio functionum, quibus alitur animalis vita, unde videas, ad redintegrationem animalis illius œconomiæ, unicè referri medentis curam. Poſthac decebitne medicinæ neceſſitatem injungi, partes eſſentiales internoſcendi, aut, ut loqui amant, principia definiendi, quibus conſtant partes, quæ illas exercent functiones? tamparùm certè iſthæc in medicum cadit cura, quàm in horologiorum opificem illa, inveſtigandi eſſentias partium ex quibus componuntur æs & chalybs elateriorum, rotarumve, quibus ſtant horologii mechaniſmus & ordo. Itaque a medico hanc amovendo ſollicitudinem, rimandi ſcrupuloſiùs, aut curioſiùs explorandi compoſitionis ptincipia, quibus conſtant *ſolidorum* ſtamina, fluidorumve miſturæ, illi ſufficiet erudiri de mutuis operis, quas utraque hæc ſibi ttadunt, de illorum elateriis, potentiis, aut viribus, de ordine illorum, *tendentiis*, proclivitatibus & directionibus, de æquilibrio quo continentur, denique de iis omnibus. quæ concordiam illam, concentum aût harmoniam ſervant aut reſtituunt. Hinc medicum, qui rector eſt aut moderator motuum quibus vita ſtat aut ſanitas, comparabis nauclero, qui motuum maris aut tempeſtatum explorator eſt; cum autem a nauclero non requires, ut compertas habeat ventorum, turbarumve maris arcanas rationes; neque ut phyſicam fuerit aſſecutus arenarum, aquarumve doctrinam; ut illi ſufficit littorum & vadorum noſſe varietates, rupiumque & ſcopulorum ſitus, loca & poſituras, procellarum genera, quæ maria nonnulla. aut quoſdam marium tractus agitare ſolent, anni tempora & cæli mutationes quæ has inducunt turbas; tandem, quæ tunc temporis, ſinguliſque ſub circumſtantiis adhibendæ nauticæ artes, quæ operæ tractandæ; obviam & facilem hanc inſtitues comparationem, a medico quoque non exigetur, ut reconditas ſanitatis & morbi eſſentias teneat, neque revelatas habeat eſſentiales *fluidorum* aut humorum compagines, elateriorum unde moventur rationes, nec denique cauſas unde vitiantur, turbantur & invertuntur: ſatis illi fuerit omnium illarum turbarum hiſtoriam callere, quo tempore veniunt, recurrunt, quantove pergunt, cæli mutationes quæ hæc inducunt, anni tempeſtates, regiones & temperamenta quæ turbationum occaſioni erunt, ſigna quæ portendunt, ſymptomata quæ comitantur, modos quibus finiuntur, effectus qui ſuccedunt; didiciſſe tandem quas uſurpabit artes, quos adhibebit modos, quæ auxilia, quaſve tractabit operas, ut microcoſmi turbas aut tempeſtates compeſcat, illaſque expediat feliciter. Num majora his aut utiliora exequeretur erudita magis medicina, phyſica curioſior aut cumulata magis doctrina? imo verò ſi abfuerint a medicina

ejuſ-

ejuſmodi felices eventus, inane nomen eſt eruditio, phyſica luſus, ſcientia vanitas. Igitur pompoſis his omnibus titulis etiamſi deſtitutum fuerit principium, omnem veri medicinæ principii ideam poterit obtinere, ideam puta rei unius quæ ad ſanitatem pandit iter, cum ſanitatis cauſa creata fuerit medicina.

Nihilominus tamen, quod hîc traditur principium, illius naturæ non erit, quæ ab illo penitùs removeat conditionem, quæ ideæ principii ut eſſentialis illi aut propria aſſeri huc uſque ſolita eſt. Ad veram principii ideam pertinere volunt, ut eſſentiales mixtorum partes revelet; id autem abundè exequitur *principium creationis*; materiam prodit unà cum germinibus ſuis creatam, plantas ſuis cum ſeminibus, ſemina tandem & germina ſeminibus univerſis & germinibus eorum gravida mixtorum, quæ inpoſterum producenda erunt: nunquid non illud revelare eſt *ſolidorum* ſtamina & primordia fluidorum, id eſt primas ſeu eſſentiales mixtorum partes? corpuſcula erunt ſuis munita organis, ſcaturientia è nihilo, unà cum ſuis potentiis, viribus & reſiſtentiis, agitatis jam aut agitabilibus, quibus corporibus inde naſcituris, ſervire poſſint. Nonne ſub illis corpuſculis videre eſt entia ferentia ſecum & condentia tubulos, ſuum jam ſitum & ordinem obtinentes, qui vivificos vehunt ſuccos, vitæque munia tuentur juxta ſibi juſſas a Creatore leges, ea vi eove impreſſo ab illo impulſu quo librantur, hoſque in fines quos inſtituit. Si addideris ejuſmodi mixta ſecum & in ſe habere poſterorum germina, an aliud concipere licebit quàm corpora è Creatoris manibus prodeuntia organis donata quæ in motum prona ſunt, aut ad motum ordinata ſemper, partium ſitus aut poſitûs ratione, legum, proportionum & harmoniæ vi, verbo, potentiarum & virium illarum impulſu quas iis inſerit Creator? ea poſita ſic rerum ordinatione quæ tam ſuo inſtituto certa eſt quàm eventu conſtans, cujus ſcientiæ genus in naturæ rebus homini veniet? Num ſcientia iſthæc quæ compoſitionis principiorum cognitio dicitur, id eſt ejuſmodi particularum, quas è materia deprompſiſſet Creator, ut ex iis corpora compingeret? at opus a creatione recens, quod totum formatum ſe prodit, hanc amovet conjecturam, illique adverſatur, quod igitur homini ſupereſt; naturam naſcentem explorabit, pandentem ſe in dies & monſtrantem ſe iis motibus a quibus initium ſumit, tum iis quibus evolvendo ſe creſcit & explicatur. Spondet ſapientia conditoris, huic operi præeſſe ordinem certum, intereſſeque conſtantes leges, quæ motus illos regunt, moderantur atque continent. Num philoſophum, quem unicè juvabit neceſſariorum ſcientia, cuique videbitur tam abundè providiſſe Creator, ambire decebit indubitabile minùs, aut immutabile magis principium, quàm illud materiæ motabilis aut motæ, ordinis & legum vi, quæ conſtantes ſemper & certæ ſunt? num aliunde ſcientiæ ſuæ normam indubiam magis, aut firmiùs ſtabilimentum optaverit?

Huic principio, opprobrio fortè erit, aut dedecori, quod ad *metaphyſicam* potius quam ad *phyſicam* attinere videbitur, nam, ut inquient, a fide aut a revelatione venit: cogitabunt ineptum eſſe & inopportunum a Codicibus Sacris naturæ rerum argumenta mutuari; jubent enim ſilentium Sacri Codices, interdicta quavis libertate, niſi credendi: objicient adhuc indignum eſſe confugere ad Deum in exponendis naturæ rebus, eligereque in creationis myſterio cœcutire, ubi de indagandis principiis quibus mixta conſtant, tum de illorum effectionibus erudiri juvaret. At o veritatis genus inſolens, quam phyſicæ vellent attribui, ſi ejuſmodi ſit ut veritatis ſupremæ vultum reformidaret, aut ad illius conſpectum metueret tentari, ne illi adverſari comperiretur! Si autem mentes non præoccupet ejuſmodi metus, cur nam veritatis

pri-

privatæ & ancillantis conditionem, ex principiis aut ſupremæ veritatis natura recuſarent? quandoquidem ex illa ſola ſcaturiat omnis veritas, nihilque quod verum ſit, illi queat adverſari. Sed iſthæc opinatio omnibus uſitata factaque vulgaris, ſcilicet indecoratum eſſe phyſicæ aut inhoneſtum, ſuas a Deo ducere rationes & principia, ab audacula mentis humanæ confidentia manavit, unde iniqua venit ſententiæ illius interpretatio; nam attribuere Deo id omne, quod negligerent inveſtigare aut non amarent, hominis animum deprimere eſt, qui ad intelligendum factus eſt: at in elementa ſcientiarum ſibi vindicare veritates ſenſibus obvias atque conſtantes, quarum luminibus humanæ menti præluceri voluit Creator, illique documento eſſe & conſilio; leges autem quæ ſimplices ſunt, concordes, conſentientes ſibi, amplius, quæ cognitæ ſemel, naturæ fideles efficiunt nos aut familiares, quos & ad numen ipſum ferunt aut ſublimant; certè hæc omnia adoptaſſe, animum nobilitare eſt, illius illuſtrare cogitationes, ſcientiæque pondus, vim & conſtantiam impertiri. Imo verò mentem humanam ad impoſſibilia cogere eſſet, ſi aliam philoſophiæ rationem æmulari juberetur; altiora enim meditando attingere nequit, niſi definitos a Creatore philoſophiæ limites tranſilire voluerit; quod ſic intelliges: ex operibus ſuis Creator unicè cognoſci voluit quas iis regendis adhibuit leges, quemque iis injunxit ordinem, quandoquidem hæc ſola ſint quæ obvia fecit aut manifeſta; ſigna ſunt quæ inſtituiſſe videtur, quorum ſeries & ordinatio, conſenſus & harmonia cognitionis principia ſunt aut inquirendi regulæ; (a) *ſint in ſigna & tempora & dies & annos*. Talia ſunt, ut ex Scripturæ Sacræ verbis intelligere eſt, quibus ſol & luna deſtinantur; nunquid non talibus quoque deſtinarentur *ſublunaria* corpora, illa ipſa imprimis harmonia mirabilis, quæ ex motibus & phœnomenis exurgit quæ in humano corpore conſpiciuntur? atqui, unquamne ſuſcepit aſtronomiæ prudens, orbium cæleſtium *analyſin*, aut illorum corpuſculorum ex quibus coaluerunt? unquamne inveſtigandam venire ſibi putarunt illius materiæ naturam, unde facti ſunt, ut illorum revolutiones, circuitus aut periodos intelligerent? motuum illorum leges, periodorum recurſus, *phœnomenon* concentum & harmoniam intellexiſſe ſatisfuit, ut illum veritatis & conſtantiæ gradum, quo præcellit *aſtronomia*, invenirent. Medicina, ſi ſua bona noviſſet, minùne profeciſſet, ſi bene conſcia tantarum ad philoſophiam commoditatum, quas in anteceſſum a natura habebat in illa ordinatione & conſtantia motuum animalis œconomiæ, in principia ſibi vindicaſſet illorum motuum regulas aut leges? norma ſtabilis erat ac firma quam illi præfixerat Creator, ſignum quod illi erexerat aut notaculum quo adjuvaretur regereturve, in iis quæ cognoſcenda habebat; dum è contra non tantùm illi abſcondit ea omnia quæ in eſſentiarum rerum notitiam ducerent; imo donavit nihil ex iis quæ illam potuiſſent adjuvare, Ratio quam adhibuit, ut mundum conderet, conſilii illius Divini argumentum eſt, illa creatio fuit, quæ cum arcanum ſit aut myſterium, mirabilem celat artem, qua nihil non è nihilo producitur; idque rationibus & modis inſcrutabilibus & inenarratis. At ut videtur illud non fuiſſe Divinæ mentis conſilium, id creando mundum, ut doctos homines aut eruditos efficeret, ita certum eſt ſingularem illi fuiſſe curam, creandi nihil, quod omnino bonum non fuiſſet, illiuſque conditionis, ut hominum utilitatis confeſtim ſervire poſſet. Hanc ob rem, mundum ut primùm creavit, illicò ad hominum uſus paratiſſimum eſſe voluit, ſicque perfectum,

(a) *Geneſ. c.* 11. *v.* 14.

ctum, ut commodis quæ hominibus apportabat citò serviret. Animalia statim a creatione perfecta, generationi habilia fuere, patrumque lumbis conditos fuisse Nepotes, (b) Sacrorum Codicum assertum est; è nihilo emerserunt arbores & plantæ suis fetæ seminibus, maturique creati fructus in pabulo fuere: igitur perfecta erant illa opera quæ creando Deus videnda hominibus atque palpanda dedit, sed modos abscondit & rationes quibus illa opera è nihilo facta & perfecta sunt. Hanc certè ob causam, quòd iis quæ necessaria futura erant hominibus operam dabat Creator; isthæc autem cognitio rationum & modorum creationis, de eorum censu non erat quæ hominibus futura erant necessaria. Similiter conveniebat ut illa omnia bona invenirent homines, conservationique suæ idonea; hanc ob rem ab illis mali ut omnem arceat suspicionem, examinis cujuslibet aut indaginis omnem ab illis amovet curam, ut bonitatem spondeat, a noxa securum asserendo illorum usum, quia optimè bona sunt, *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Posthac, internoscerene cuiquam dabitur in prima illa entium creatorum productione, aliqua principia quibus usus fuisset Creator, aut intelligere initiales quas usurpasset materies, ut illorum entium partes compingeret? ita sanè, principium illic aliquod animadvertitur, principium scilicet creationis, *in principio creavit Deus cælum & terram.* Hujus principii fidem facit quod postea legitur, *terra erat inanis & vacua, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Itaque quid inde colliget & affirmabit æqui amans & veri animus, de modo quo primùm producta sunt corpora? certè hoc unum, supremæ vocis imperio, è vacuo terræ illa prodiisse. Hæc si curiosæ menti pauca sint, veritati satis erunt; quæve hinc ducitur scientia, tantò certior est, quantò firmiùs ejusmodi principio nititur, quod eò minus errori obnoxium est, quò magis errori patet humana mens. Hoc autem principium, ipsa est Dei voluntas, potentior adhuc (quidquid arroget sibi philosophia) ad suadendum evincendumve quovis principio, quod invenerit solertissima mentis sagacitas, quodque ut plurimùm præjudicata opinio fecit, alit cupiditas.

Itaque ab admisso creationis principio, jacturæ nihil aut dedecoris physicis rebus impendebit, nam quòd illud a Deo mutuetur, non cogitandi, imo nec ut decet ratiocinandi jure physicam defraudat. Veritas est ipso ex fonte scaturiens, id est, ab authore totius veritatis prosecta, quæ omnibus hinc eruendis consequentiis stabilimento erit, statuendæque hinc scientiæ basi. Hac ex veritatis tam nitida scaturigine mananda certè purissima veritas; at lutulentas amarunt cisternas, siti aquarum, quæ non satiant, accensi; inutiles intellige aut amabiles fabulas, quibus delectari sategerunt, non erudiri. Sed auditur nulla adversùs veritatem præscriptio, ad illam regredi licet semper, sicubi facilem se dat & obviam, qualem nobis se præbet in creationis principio; ubi adhuc invenire erit, quidquid veri, certi & facilis jampridem suppeditare potuisset, ad promovendam medendi scientiam simul & peritiam.

(b) *Epist. ad Hebræos c. 7. v. 5. 10.*

CA-

CAPUT VIII.

Creationis principio vera Medicina elementa contineri.

PRINCIPII veritas asseritur cùm ad cognitionem ducit veritatum quæ investigabantur: quo concesso, verissimum medicinæ principium habebitur principium creationis, ut pote cùm nullum sit, quod tam facilè ducat ad veritates quæ medicinæ propriæ sunt. Imò, an illud argumento certiori indigere potuisset ut in principium naturæ assumeretur, id est, in principium illud, quod instituisset naturæ conditor? quandoquidem ideò tam longè (ut modò constabit) progredi potuit, tot circumstantiis par esse, tam singularibus aptari, in tot & tam longa temporum intervalla, sexuum, ætatum & regionum variarum adeò, tam multiplicium tamque dissimilium causa, quia in se condi monstrat digiti Dei signaculum, pingentis aut delineantis iter quod it ad veritatem.

Entia suis cum germinibus creata, entia sunt quæ sui non tantùm sed & aliorum causa, neque in præsenti tantùm, sed & in futurum vivunt: at ex eo quòd illa entia pullulando, per vices ultima in fæcula durare debuerunt, nu suo debuerunt complecti omnia entium germina, quæ frequentarunt terram aut frequentabunt. Adde, non ejusdem sexus fuisse illa omnia entia, neque eidem destinata cœlo, iisdem denique prætereundas fuisse varias ætates, induendas fuisse varias temperies, accipienda diversa instituta vitæ. Portentosam intelligentiam! sapientiam admirabilem! stupendam providentiam! quæ una in atomo, aut materiæ mica tam divitem instrumentorum suppellectilem complecti novit, in usus tam varios, in tempora tam longa, tam distantia, tot inter vitæ, sexus, ætatum conditiones, quodque mirabere magis, tam certò, tam constanter, tam unanimiter. Unde concludere est, omnia illa quotquot fuere, quot sunt & sunt futura, homines, animalia & plantæ, illis in entibus primùm creatis contenta fuisse atque concluſa. Num principia adoptare physica potest, quæ certiora magis sint aut constantiora, quæ majora possint, aut ad ulteriora ferri, in quibus plùs consiliorum, plùs legum, plùs ordinationis aut mechanismi recondatur? in his saltem pervidet medicina, unde quæ præcipua habet, fulciat documenta, suaque quæ utilissima erunt consilia firmet & opera.

Et revera, apertum illi sit & manifestum, in illis germinibus creatis, una cum omnibus necessariis entium illorum quæ ex ipsis nascitura erant conservationi, contenta fuisse vasa omnia ex quibus compingenda erant illa entia; tùm & illis præextitisse vasorum illorum situm, seriem & ordinationem, simul & aptitudinem quà ad longitudines sibi debitas pervenirent, convenientesque sibi & prodituris entibus diametros assequerentur; adde insitas illis fuisse suas *tendentias* seu proclivitates ad ea, ad quæ destinata erant, ut eos inchoarent motus qui temporibus & sexui convenirent illorum entium quæ nascerentur. Profectò, futura tot phœnomena, venturæ tot effectiones, portentosam vim supponebant, stupendamque potentiam: interim tanta virtus & energia, arcano consilio interruptæ pendent, aut suspensæ vacant, idque juxta fixum & imperatum ordinem, per plura sæculorum lustra, insuper sic otiantes & suspensæ, ab ordine suo, positura & situ nehilum deflectentes, ad ultima usque tempora durant. Enimvero motus ille aut vita, unde ens aliquod exoritur mille post annos a creatione, effectio est ipsiusmet potentiæ insitæ germini initio mundi, cum illud condidit Creator illo in ente, quod juxtà speciem illius primum fuit.

Tam

Tam multa longiſſimè proſpecta præſtitutave tanto temporis intervallo, fidem ſuperarent, hic ſtupens humana mens ad tanta totque miracula, unis materiæ atomis credita, penè renueret aſſenſum: obſervando imprimis, ejuſmodi fuiſſe illa miracula, ut non obſtantibus & invitis temporum incommodis, tempeſtatum caſibus, differentiis regionum, hominum & vitæ cupiditatum turbis & inſultibus edenda forent. Aſt evidentiæ rerum diffidere eſſet, illa enim a temporum ortu præſcripta, quotidiè ſuccedere videntur; hiſtoriæque deſunt & conjecturæ, quæ teſtentur illa unquam fefelliſſe fidem, adeò ut ex ea qua evenerunt indubitabili conſtantia, illa ipſa defutura nunquam, imò Creatoris inſtituto reſponſura ſemper, facilè intellexeris. Igitur entia primùm creata ſunt gravida non tantùm aliorum germinibus entium, quæ tempore ſuo proditura ſunt, ſed & hæc germina ſuo gremio complectuntur adhuc futurorum illorum entium partes, una cum ordinatione legum, regularum, & *mechaniſmi*, quæ in illis aliquando explicanda ſunt, motumque & vitam ſuſcitatura.

Medicinæ baſes & fulturæ ſunt, hæ veritates eximiæ; an certiores cogitabis? elementa ſunt aut principia, unde leges & canones illius eruuntur, ſcientiamne quamlibet noveris, quæ tam dignas nacta fuerit regulas aut colendas magis? medendi ſcientiæ præludunt, doctrinarum enim prjmordia ſunt, quæ corporis humani ſcientiæ, quò ſpectat medendi ars, ducatum præbent. Poſthac, medicinæ ſtudium ſi bene definieris, divinitatis meditatio eſt; ſive ordinis aut legum quæ inſtituit tueturve in rebus creatis. Annè præ illa excelſior philoſophia datur, cum illa ſit ſublimis ſapientiæ meditatio? anne ars præcellentior, cum hæc ſuo ex inſtituto condita ſit, ut Dei ipſius conſiliis ſe immiſceat, ſeu Creatoris legibus & ut iis ſeſe attemperet? Elementa quidem ſcientiarum ſunt quæ hominis ingenio accommodata magis videbuntur, ut pote quæ comminiſcendo ea finxerit; iſtiuſmodi erunt *hypotheſes* male fultæ, delectabiles & ingenioſæ conjecturæ, obſervationes dubiæ fortaſſis & ancipites, effectus aut adnotamenta ambigua: è contra ſuis in entibus creata germina, mirabiliſque ille quo inſtruuntur *mechaniſmus*, ceu divina illorum architecta ars, numinis ſolius opera ſunt, quibus nullam præſtitit opem hominis induſtria interea humanæ menti intelligibilia & comperta magis ſunt, dubitationis cujuslibet ſimiliſque vitii expertia. Perit fortaſſe omnis imaginandi vis in illa partium minutie, in illo regulari, conſentiente & abſtruſo *mechaniſmi* artificio, quod illas ordinet & regat exiles partes, quas fingere nequit aut ſibi repræſentare; perit adhuc in illa legum & regularum motus ſerie; quæ illi ſe prodet tantùm, quo tempore definivit Creator: at omnem illius veritatem & certitudinem intelligit animus, idque a fide non obtinet, unde ratio cogeretur, ſed a ratione ſuprema, unde colluſtratur. Revera, eo non pertingit animi ſagacitas, ut per ſingula concipiat reconditam omnem partium illarum minutiſſimarum poſituram, arcanaque compaginis illius rudimenta; neque illi daretur molecularum illarum naturas aut eſſentiam definire, aut ſapores illis proprios, ſimiliſve ſortis qualitates exponere; hæc quamvis notacula ſint aut ſingula, quibus elementa deſignare amant aut adoptare. At amabo, qualem fecerunt fucum! quos non fecerunt medicinæ ludos aut dolos, iſtiuſmodi vulgares elementorum ideæ aut caracteres! in his plus ſatis hactenus erratum eſt. Medicina, ut neceſſaria eſt, principiis aut elementis fictis ad arbitrium niti recuſat; quæ hic traduntur, ad ingenium illius facta videntur, aut accommodata magis, autoremque agnoſcendo qui ens entium eſt, certiſſima erunt & indubitata, etiamſi totam certitudinem ſuam a ſola verbi illius veritate tenerent. Illud enim eſt verbum ejus, ut quidquid vult citò operetur, ea illius voluntas, ut quidquid effatur illicò creet: *dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.*

Interim, quamvis nulla detur *analyſis*, qua obtineri queat partium illarum *diſſolutio*, quibus conſtant creata germina, illas accipi nolumus non ſecùs ac ſimplices partes omnis expertes compoſitionis; *homogenearum* partium compagines in illis conjicere ſatis eſſet, ut ſe daret compoſitionis alicujus idea. Inſuper, *organicæ* habendæ ſunt illæ partes, poſituræ & ſitus ratione, quibus a Creatore donatæ ſunt; ex hiſque partium poſituris veniunt mutuæ rationes, concentus & harmonia, unde altera exurgit compoſitionis ſpecies. Si objiciatur, ſic obtineri tantùm partium *integrantium*, ut ajut, aut indiſſimilium cognitionem, quibus germina creata conſtant, omiſſa partium eſſentialium notitia; memoriam refricare erit iſtiuſmodi elementorum ideæ, quæ prætermitti debet, ut potecum ad artis medendi profectum contulerit nihil, cujus artis ea erunt vera principia, quæ informant animum aut excitant ad medicinæ peritiam & uſum: atqui naturæ legum ſcientia, rationibus, proportionibus, *ſymmetria*, *mechaniſmo* & commodulatione partium corporis humani fulta, ſola eſt quæ facilius & uberius medendi artem amplificat, modò illa ponatur ſcientia tum iis in legibus, quas in primis entium germinibus inſtituit Creator, tum in creatis inſimul commensu & convenientiis partium illarum ex quibus componuntur; hæ igitur partes initiales verè ſunt aut elementares, quandoquidem una cum ſuis rationibus mutuis & deſtinationibus cognitæ ſemel, medentis animum illuminant, ad artiſque peritiam inſtruunt & uſum. Intereà ſi temeritati non imputetur, creationis rationem hic velle ſcrutari, factaque copia in ſecretiora germinum illorum compoſitionis deſcendere, paulò amplior de his ſcientia obtinebitur; videlicet ex iis quæ maxima mole ſunt, illa quæ ſummè exilia ſunt, æſtimando; anatomicorum more, qui in maximorum animalium organis, minimorum partes explorant. Atqui palam eſt, iiſdem partibus inſtructa videri adultorum corpora, quibus creatione donata ſunt eorum germina; nulla enim ars habetur nullave induſtria, quæ novas addendo architectetur in corpore, dum adoleſcit. Magnitudo quam creſcendo illæ acquirunt, nihil aliud eſt, quam filorum intactilium, quibus coaluerant germina, amplificatio, qua maſſæ plus aut molis ſibi fecerunt. Porrò quæ in adultorum corporibus habentur partes, ex omnium conſenſu, duplicis generis ſunt; aliæ ſubtegminis duri aut texturæ denſæ, *ſolidæ* dicuntur; aliæ ductiles ſummè non textiles, volubiles, laxæ, molles, ſociatæ non adhærentes, ſolutæ non diſſolutæ, agitabiles non diviſæ, unitæ ſimul & *aſyntheta*, *fluidæ* nuncupantur. In illis tum *fluidis*, tum *ſolidis* partibus adhuc ſe prodit motus reciprocus, alternans & mutuæ colluctationis, quo alitur univerſa animalis œconomia; ille ipſe eſt qui functiones omnes, digeſtiones, coctiones, ſecretiones, defæcationes aut *depurationes* regit, qui illorum omnium quantitatum, temporum & periodorum norma ac menſura eſt; denique ſtyli penduli & vibrati inſtar, quo horologium oſcillatorium animatur, omnium qui in corpore exercentur motuum ſymmetriam, concentum & harmoniam modulatur. Sed quod obſervandum maximè eſt, quæ ex illis partibus inceſſanter & efficaciùs moventur partes, tubuli aut vaſa ſunt; qui illa agitat, motus eſt *ſyſtalticus*, aut compreſſionis; denique vaſa iſthæc, liquoribus plena ſunt aut ſuccis, qui triti indefinenter & preſſi continuò, e vaſorum cavo exilire cogerentur, niſi curvaminum & angulorum figuris, directionibus & flexuris, ingredi cogerentur ductus aut itinera, quæ formant & offerunt curvitates illæ & anguli. Unde fit, ut illa vaſa formando mille circulos & orbes (quandoquidem curvanda veniunt millies & intorquenda, ut partium ſtamina firment) ſuccos illos in orbem aut circulum totiès ire & redire cogunt, quoties per multiplices vaſorum glomeres aut per varios viſcerum labyrinthos tranſmittenda. Multiformes concipito diſtinctoſve in microcoſmo vortices, intrà quos ſingulares aguntur circulationes, quæ

omnes

omnes ad communem toti corpori referuntur, ad eam nempe quæ intra majora vasa peragitur; quò, fluviorum instar qui ad mare regressi cum aquis illius confunduntur, singulorum viscerum succi corrivantur, universo sanguini miscendi. An mentis error esset aut deceptio, si assereretur universam hanc partium, potentiarum & motionum suppellectilem, nihil aliud esse, quam evolutionem quæ aperit & manifestat totam illam partium, virium motricium & potentiarum congeriem, quam in primis germinibus recondiderat Creator? quæ si vera sunt, prima entia creata, materiæ portiones fuerunt, in quibus universæ naturæ typos aut modulos finxisset Creator; quod si de femina interpretaris, in prima parente conditi fuerunt omnes omnium hominum typi, id est, compendia futorum omnium humanorum corporum aut rudimenta.

Sequitur ergò sanguinis circulationem & attenuationem, defecationes seu *depurationes* illius & *secretiones*, quæ in adultorum corporibus exercentur, fieri in iis & absolvi, potentiarum & virium, legum & regularum, pronitatum & *tendentiarum* illarum virtute, quas in primis germinibus instituit Creator. At singula hæc suis coercita fuere limitibus & conditionibus, cuique entium illorum tempus suum, terminum & mensuram affixit, adeò ut præfinitis temporibus pereundum sit omnibus illis. Inde videas ex corporibus esse non nulla quæ aliis longæviora sunt, illaque de causa primorum temporum hominibus tanta contigit longævitas. Rationem intelliges, concipiendo Creatoris fuisse potentiam & voluntatem concedendi primorum germinum nonnullis, longiorem potentiæ vivendi mensuram. Et revera, curnam curta hic fuisset Creatoris potentia, dùm in hominis est potestate, intrà oscillatorium horologium eam elateris & potentiæ mensuram coercere, quæ vibrata semel, ad menses aliiquot, sponte sua, nulloque per id tempus exteriori adveniente auxilio, oscillare pergat.

Inde concludas opus esse corpus humanum, quod primo ab ortu creatum fuit, quodque exinde moveri pergit, vi earumdem potentiarum, quas illi affixit rerum conditor, eandemque ad normam, leges easdem & regulas eundemque ordinem, quæ simul & semel in illo creavit. Igitur nihil habet, quod constanter non sit ordinatum, nihil quod regulatim jussum non sit aut institutum. Qui in illo exercentur motus definita habent tempora, concordesque periodos, suæ sunt enim vasorum quæ illos agunt mensuræ; sic ut universa animalis œconomia, una ordinatio sit a Creatore facta, suis stipata legibus & regulis quæ vitam tuentur & sanitatem. Utriusque conservationi præest medicina, quo in negotio regendo, dicerene sibi poterit leges, quæ plus habeant veritatis? anne regulis utetur, quibus constantiæ plus erit, plusve certitudis? hic suos habet typos non infideles, non intuta in his videbit exempla, quæ imitari, prosperare erit.

Posthàc, quid Medicus sit interrogas? spectator naturæ, consiliorum illius interpres, operum imitator: philosophia medici corporis humani motuum doctrina est, observandorum peritia, scientia observationum. Ampliùs, medicus aucupari debet agendi rationes quas usurpare amat natura, vestigia quæ terit, quos affectat calles, cursus quos sequitur, eventus quos parat, quos meditatur exitus; erudiri quoque de perfugiis & artibus quæ natura novit, de conaminibus quibus se tuetur ac protegit, verbo, de omnibus salutis rationibus quas illa docet, suggerit aut adhibet. Cautiones illæ omnes & circumstantiæ, ætatum discriminibus, temperamentorum, sexuum, tempestatum & regionum differentiis additæ, medicum illum sapienter erudiunt & utiliter, qui alumni naturæ titulo salutari amans, discipuli illius nomine gaudebit. Id studii vel curæ medico optabilius eò est, quò tutius succedere consuevit & felicius; ut enim veritate plenum est illud quod imitandum suscipit exemplar, incurrit falsi nihil aut erroris; exemplar enim est ipso Dei digito depictum, aut è veritatis sinu profectum,

veritatis, in quam, quæ Deus est, qui in germinibus corpora creavit, iisque in germinibus mechanismi leges, quæ facto temporis intervallo, in iis se produnt & explicant; hæ autem leges, illæ sunt, quæ medico sunt imitandæ. Habet igitur medicus, unde confidat, imitandam sibi dari sua inter artis opera veritatem. Incertitudinem si sentiat, ex sola illius culpa illa veniet, cum nempe aut vanas principiorum fabulas adoptare, aut peregrinas sibi dicere leges, aut extranea sibi aptare exemplaria voluerit; quæ omnia suggesserit male fida comparatio, aut *analogismus* infelix, qui plus aliundè curiositatis habet aut amœnitatis, quam utilitatis aut fructus, veri minùs, quàm delectabilis. Medicinalis hujus studii caput erit, felix in illud ingressus; hinc sequitur methodus quæ nihil nisi prosperi spondet, nascens enim & ab ovo, corpus humanum ut adhuc se habet a natura primoque ab ortu examinandum subjicit, ideoque priusquam illud fœdaverit, aut vitiaverit luxuries aut cupiditas. Obtinerene medicina potuit aut viciniora veri principia, aut similiora naturæ elementa?

CAPUT IX.

Oscillis suis emergens corpus humanum considerandum illi esse, qui veræ illius fabricæ ideam obtinere volet.

ALTERUM vitæ tempus est nativitas, priùs enim vivit, quàm nascatur infans. An incertum minùs vitæ brevis argumentum! quæ impercepta præterire cepit, meliùs quasi conscius ille esset futuræ brevis lucis usuræ, in antecessum vivit; at vita quæ precaria est, hanc enim aliundè mutuatur, a fecundatione scilicet. Hinc intelliges, infanti venire vitam a principio, quo ipse destituitur, cùm a causa exteriori fecundatio veniat. Ea de causa fieri non potest, ut germen, quamvis sinu suo condat animalis opus, vi propria se explicet ut animalis formam induat. A foris ergo est illa virtus quæ hanc evolutionem operabitur, unde spiritum fecundantem intra germen non contineri concluditur, ideoque expandi germen aut evolvi spiritus opera, qui in germine non est, sed qui ei contribuitur. Absit tamen putaveris curtas esse aut inutiles vires illas aut potentias, quas infinitas illi esse ostendimus, sed otiantes vires erunt aut potentiæ conditionales vel jugatæ, quæ sola concentus vi agunt; impages concipito, quæ aliis adjungi vel copulari indigent. Istiusmòdi sunt horologii partes, quæ quamvis perfectæ sunt & ut actioni convenit ordinatæ, vacant interim & otiantur, usque dum accedens extera vis illas exsuscitet aut provocet ad motum. Itaque ex plantarum seminibus æstimando animalium oscilla, ut in illis adumbrata videntur plantarum primordia, quæ emersuræ sunt; sic in his contineri putabis orituri animalis compendia, aut saltem partium ex quibus coaliturum est illius corpus rudimenta; solida hic sunt quæ situm jam præoccupaverunt & posituram, sic parata expeditave, ut illicò obsecundabunt iis tendentiis & pronitatibus, quas germinibus insevit Creator, quandò vis quæ illas in motum vocare debet aut ciere advenerit. Vis hæc spiritus est fecundans, profecta igitur unde manat ille spiritus; at a corpore manat loco & sexu dissimili; principium ergò motus a quo vita manat, *solidis* proprium non est, neque hæc possident principium aliud quo alatur vita, cum a quo vita venit principium, id omne agat aut operetur quod vitam fovet.

Certant inter se naturæ rerum curiosi, in definienda spiritus fecundantis natura, quos inter invenias qui spiritum illum pro vermiculo habent a quo germen

men animaretur ; hanc illis opinationem fecit circa piſcium lactes & ſimiles prolificos ſuccos habitæ obſervationes, in illis enim beſtiolarum, motacillarum ritu mobilium, myriades conſpicilla monſtrarunt : at beſtiolis quoque acetum ſcatet, nunquid illud in ſpiritum fecundantem adoptabis ? ulteriùs adhuc itum eſt, a quibuſnam enim mixtis phyſica recens, ſuis armata *microſcopiis*, beſtiolarum agmina non obtinuit? ergone ad beſtias philoſophia damnaretur ? fruſtrane erit organorum apparatus tam ſingularis ? incaſſum ergo ſexum addixerit Creator, ſpiritui fecundanti elaborando unicè dicatum ? dum vermiculi viles aut abjecta reptilia, liquoribus putridis aut communibus profuſiſſimè deſſeminata, officio huic nobili imparia non erunt ? Cæterùm, nunquid non ſatis erit medicinæ, cui obſervaſſe ea ſatis eſt quæ opera illius adjuvant, de hoc principio comperiſſe, tenuiſſimum illud eſſe, ſolertiſſimè ordinatum, impetu mobiliſſimum, velocitate perniciſſimum, virtute portentoſum, quandoquidem germinis fecundandi cauſa rapidiſſimè feratur, ad ipſum corporis centrum, ubi conditum eſt, iludque penitùs attingat, pervadat intimè, pandat, explicet ſuoque loco dimoveat. Quanam mirabili artis induſtria, miſſile aliquod versùs acervum tubulorum qui exiliſſimi fuerint & contorti multipliciter, evibratum, in unum ex oſcillis illorum tubulorum recta cadendo ſeſe inſinuaret, anguloſque, anfractus & curvaturas illorum præterlaberetur? hic tamen haberes rudem tantùm imaginem ingenii hujus principii fecundantis; hoc enim principium, ſpiritus actuoſus & agilis maximè eſt, motu ſuo & impetu, in directionibuſque ſuis conſtans & certus adeò, ut in germen illud certò & directò adigatur, exiguam illam materiæ micam, quam ingreditur cæca quadam apertura, quam ſolus concipit intellectus, non capit imaginatio; qui ſubit etiam diametros & ſeriem filorum intactilium, quibus animalis corporis ſtamina delineantur; qui tandem ea amplificat, penetrat, præterlabitur, vivificat.

Interim hujuſne principii naturam penitiùs reſeratam voles? Quod in fecundando germine, evolvendo ſcilicet illud & explicando operatur, nunquid non idipſum erit, quod evolutione facta protegit & ſervat intra corpus adultum? idem enim motus eſt qui utrubique pergit aut perſeverat : atqui motus quo corporis adulti vita conſervatur, ſyſtalticus eſt; quid ergo ſi ſyſtalticus quoque motus in fecundando germine conciperetur? unde colligendum ſupererit ſpiritum fecundantem eſſe nihil aliud præter ſpiritum elaſticum, aut elaterem qui ſpiritus eſt, qui inſiliendo germen invadet ſubibitque ea parte qua pervia eſt ſua cicatricula, indeque irrepens in fibras ex quibus texuntur aut fiunt corporis humani ſtamina, has aperit, implet, producit, præterlabendoque flectit, curvat, figurat; ſcalpturæ elegantis & eruditæ inſtar, quæ ex uno unius & ex eodem profectæ lineæ ductu, flexæ curvatæque millies, millieſque reflexæ, ſingulas & omnes figuræ partes deſcribere poteſt & delineare. Hæc principia ſimplicia certè ſunt, proindeque ad naturæ mentem & ingenium; nihil habent quod illius moribus proprium non ſit, hacque de cauſa minimè ſunt allucinationi obnoxia; deniqne una cum homine naſcentia videntur, tuncque ab omni hominum commento, imaginationeve exuta & aliena, ſinceras nobis produnt *mechaniſmi* rationes quas inſtituit Creator, hinceraſque quas juſſit motuum cauſas. Itaque in hoc conveniunt medicinæ & botanices ſcientiæ, quod cùm certa non fiat plantarum notitiam, quæ illas è terra enaſcentes intueri omiſerit; ſimiliter quas condit œconomiæ ſuæ leges corpus humanum, ſolis revelabit iis, qui incipientes illas & orientes in homine naſcente non neglexerit obſervare.

Hujuſmodi examine, quo primus ad genuinam philoſophiam datur aditus, liquet primùm corporis partes creatas fuiſſe omnes in germinibus, ſuumque quo aguntur motum, aliundè quam a ſeipſis habere. Partes autem illas ſolidas primò

fuiſſe

fuisse non incertum est, idque manifestaret *ovarii* texturæ conditio, firma enim & densa est, sic ut glanduloſam illam esse fermè creditum sit. Adde germini creditas esse leges & regulas in futurum exercendas, imò longo post tempori reservatas, cùm videlicet fecundabitur germen. At nunquid *liquidum* tam facilè moveri, mutari, vitiari, in alienasque propensum formas & posituras, par videbitur declinandis tot mutationum, tot vitiorum, tot peccaminum discriminibus?

Insuper motus est cujus opera quidquid germini creditum est, tempore præfixo evolvi debet, illumque motum a Creatore solidorum causa institutum fuisse, hanc ob rationem intelliges. Si aliquid motus acquirere potuissent *fluida*, à *fermentatione* sola id obtinuissent; at fermentatio fieri nequit nisi eo in loco, quem subire aut ingredi potis est aer externus, conditio certè, quæ in germine desideraretur; germen enim aut ovum materiæ mascula est, quæ calice aut capsula densa, spissave concluditur, intrà corpus altè condita, ab omni aeris externi contactu longissimè distans.

A *solidis* ergo oritur vita: indicio est motus qui vitæ prodromus est, is enim solidis proprius est & singularis; motus vibrationis est qui oculis se prodit, statim atque germen inchoat vitam, *puncti* videlicet *salientis* facie, quod illico manifestum se facit. Num aliud tibi fingas, quod *oscillationis* motum propriùs æmuletur, quodve ideam illius referat melius? Itaque exploranti corpus dum onascitur, quatuor se dant non incertæ veritates, quibus philosophia universa stabilietur. Primum Corporis partes quotquot illæ sint, in germine condi. Secundo Partium illarum numerum majorem de *solidorum* genere esse. Tertium Motu illas agi, cujus causas in se non habent. Quartus Motum illum *oscillatorium* esse. Quo dato, si observes, nihil adesse in adulto corpore aliud quam quod Creator illi dederat in germine (quandoquidem germinis evolutio sit corpus) compertum fit easdem esse corporis adulti partes, cum iis quæ in germine fuerunt: at ex eo quod partium quæ in germine sunt numerus major de *solidorum* genere fuerit, sequitur majorem numerum partium corporis adulti esse de *solidorum* genere. Rem suadebit *solidorum* pondus in corpore; dum enim sanguinis pondus (juxtà vulgi mentem) 24. librarum est, corporis massæ pondus est 100. & ampliùs librarum. Constat non minùs motum illum a quo alitur vita in adulto corpore, illum ipsum esse a quo in germine inchoata vita est, cùm nulla alia causa data fuerit, quæ vitæ motum redintegrare possit, cum semel desiisse ceperit; eam ob rationem propter quam fieri non potest, ut ad vitam revocetur qui semel mortuus est. Unde concludas motum illum, quo vita stat in humano corpore, motum esse qui *solidis* proprius est, id est, motum *oscillatorium*.

Hinc certè protegitur parùm, aut malè stabilitur *fluidorum* systema; enimverò tam in certum est fluidi multùm contineri intrà materiæ atomum, quàm verum illam atomum compactam esse plenamque partibus quæ majori numero densæ sunt & *solidæ*. Verùm si in minima corporis humani compingendi partem *fluida* veniant, annè cogitabis tantùm iis esse virtutis, ad illius tutelam aut conservationem? Inde quoque damnum capit & vitium spirituum animalium authoritas aut potentia; cujus enim commodi aut utilitatis erunt ejusmodi spiritus, si nascendo corpus munitum in lucem veniat sui motus principio, quod sibi non paravit, sed quod aliundè mutuatur? non igitur a spiritibus vim suam habet, sed ab eodem principio unde ortum duxit.

Interim, ii non erimus, qui *fluidum* aliquod germini inesse negaverimus. Sua altrice *lympha* imbui confessum est, non secùs ac albumine suo ovum; at huic *lymphæ* non insunt partes animalis essentiales, sed albumini solùm congener, animali nascenti prima statim a conceptu confert pabula. Sufficit nobis,

non

non aliud, ante tempus illud, lymphæ hujus munus fuiſſe, quàm illud quod vehiculi eſt, quo nempe diluantur germinis exſuſcitandæ partes, quove flexibiles ſint & produci faciles, arcendo ab iis quidquid aridi nimium foret & ſicci, quo tendunt illæ partes, quæ natura ſua denſari amant aut inſpiſſari.

Hæc ad deſiccationem in *fluidis* germinis pronitas, alterum ſuggerit argumentum *ſolidatis* partium quæ in illo continentur. Non enim *ſpiritus volatilis* eſt *fluidum* illud, non ebuliens ſuccus, non petulans aut tumultuoſus liquor qui ſponte fluat aut præterlabatur, qui ſaliat aut erumpat in motus, ſed ſuccus eſt mucoſus, partibus conſtans, quæ lentæ & ductiles ſunt, ideoque exporrigi faciliores quàm diffundi, factæque magis ut ſpiſſeſcant, quam ut eliquentur: tam inconcuſſæ veritatis eſt, nihil eſſe in germine quod aut ſolidum non ſit aut ſolideſcere non amet! Inde naturæ conſilia in *fluidorum* productione interpretari proclive eſt; res omnes ſunt mancipatui natæ, aut liquores ſervi, aut ſucci famulantes; *ſolidis* nempè, quæ illis ipſis imperant & dominantur, vel illorum operibus præſunt, ut ad nutum illorum ſerviant & abitrium. Subſtantiæ ſunt ex natura ſua patientes & ſubjectæ, *aſthenes* ſeu ultronei motus expertes, *ſolidorum* viribus ſervientes, quibus obedire unicè didicerunt.

At iſthæc lympha mater aut ſuccus ille primogenitus, nativam aut veram de ſanguine ideam aperit, ab hac enim manat primogenitus ſanguis. Igitur a lympha naturam ſuam ſanguis mutuatur & ingenium, non ergo ſe movet, movetur; lympha enim a qua gignitur, motûs nihil habet, quem recipit omnem a fecundante principio. Sed hoc principium *elaſtica* vis eſt, quæ germinum partes ad motum vocat. Igitur *elaſtica* vis erit non diſſimilis in corporis adulti partibus exercita, quæ ſanguinem movebit, hicque *ſyſtalticus* erit aut *oſcillationis* motus.

Verùm enimvero cum idem ſit adultum aut evolutum corpus humanum quod fuit intra germinis anguſtias coarctatum, ex ipſamet natura depromptum ſanè exhibet id omne quod inſtituit Creator ad functionum illius œconomiæ tutelam. Speculum ergo erit ei qui illius inveſtigationi ſtudebit, aut imitamentum undè diſcat quid operis illic geratur, quæ illic habeantur leges, quæ regulæ, qualis ordinatio rerum.

Sub his igitur naſcentis corporis humani rudimentis, quocumque vertas animum, ad *ſolidas*, *fluidaſve* undè conflabitur partes, materiam utrinque ductilem immenſe obſervare dabitur. Si ad germen ipſum, quod *ſolidarum* partium compendiolum eſt? ſub grani unius pondere, corporis pondus ad libras 100. & ultrà expectabis. Si ad germinis lympham, ſucci nempe illius tantillum quo roratur? ex roris ſtilla, ad libras 24. aſſurgendam tandem aliquando ſuccorum quantitatem intelliges. Portentum auget artis miraculum quo tantam molem attingit tantula materies; attingit, inquam, indiviſa enim ſibique cohærens ſemper exporrigitur, elongatur. Tractatum, ut moris eſt, aurum ad bractearum millia ducitur; ſed hanc longè ſuperat artem iſthæc induſtria qua ad tantam molem ducitur minimum primigenæ materiæ punctum, unde creſcit corpus humanum aut exilit, a ſaltu enim incipit vita ſeu a puncto ſaliente, undè ſalientes finguntur partes ſeu prima corporis ſtamina, quæ in illa vaſcula elaſtica emergunt; unde coaleſcit univerſa corporis humani compages. Sic partes everberatæ ſemel pergunt aſſiduè, hanc ad incudem in dies revocatæ augentur & adoleſcunt. *Syſtalticæ* illius plaſmaturæ rationem aperit plaſtæ ingenium; ſpiritus fecundans hic eſt, mille *elaterum* figuris & ſpeciebus conſtans, quæ vermiculorum imaginibus aut formis ebullientes oculos ludunt, ſua aliundè facientes portentoſa multitudine, ne fecundationi ullatenus deſint. Cogita ergo has machinulas elaſticas, mobiles aſſiduè aut aſſiduè motas, ut pote ſitûs nullius tenaces

naces aut quietis, quibus catulit seminalis succus, illas finge animo appellantes ad germina feminarum, aut ova, illa ipsa organa motùs, seu materiæ organicæ partes ad motum ordinatas à Creatore, sic ut ad mutuas operas institutæ sint, certè ipsum motum potiùs quam motùs causam accedere intelliges, maximè cum his partibus a Creatore jussiæ fuerint suæ ad motum *tendentiæ*, ordinationes, leges, quibus statim atque fecundatione quasi admonitæ sunt, illicò obsequuntur. Motus autem ille *elasticus* erit duplici de causa, *elater* enim est qui accedit, & elasticæ quas subit partes: subit, inquam, tubuli sunt etenim, qui germen constituunt, primæva partium corporis humani stamina, cava quorum ingrediendo dilarant parietes, qui quo valent renixu se comprimentes *Diastoles & Systoles* motus instituunt.

Corpus ergo hominis facilè comparaveris operibus malleo tusis, quorum partes percussura elongatæ crescunt. Corporaturæ genus est, quo ipsa *fluida* solidescunt. Hæc enim systoles ictibus subjecta, tubulorum quos pervadunt parietibus affricantur, adunantur, adunatique levigantur. Quo loci *solidorum* in *fluida* potentiam & imperium non immeritò miraberis, illis enim hæc ita famulantur, ut dempta ea qua partes *solidas* vestiunt & imbuunt mollitie, eo dempto humoris rore quo *solidorum* alunt *elateres* aut moderantur, nullius futura sint valoris aut potentiæ.

Hinc quoque *humidi primigenii* naturam colligere licet: *fluidorum* enim nomine venit isthæc *lympha mater*, ingenita ovo, quæ puncti salientis, non secùs ac corculi pulsibus tusa, intra primorum corporis staminum canaliculos cogitur, adhærescit, levigatur; lubrica enim cum sit, flexilis & sequax, duci patitur se elongari: parcarum hic agitari colum vides, *Lachesis* imprimis pensum volvi, quo hominum neret vitæ stamina. Lymphæ enim primigenæ filum quod occillando pinsit & format partium agitatio, corporis licium erit aut vitæ ellychnium, unde prima venit corporis alitura, undeque veniet sanitatis & vitæ fomes. Revera *balsami vitæ & sulphuris glorioſi* quo vitam ali tam magnifice asseverant, ne hil quidem aut umbram hic videre est, at naturæ non artis non fabulæ sectamur vestigia. Eandem experiuntur sortem *salium* quælibet gènera, munera quorum hic obliterantur ut officia: ast id si alicujus culpa, non nostra, sed naturæ erit, quæ hanc omnem onerosam suppellectilem in fingendo corpore humano repudiavit. Nec id temerè dictum suspicabitur, qui locorum angustias & brevitatem observaverit & materierum ingenium. *Salia* condidisse naturæ otiosum fuisset, quæ intra tam angusta ovulorum spatia coercuisset evolvendarum partium stamina. Salinum enim succum & fermentationi natum brevibus cancellis coercuisse naturam intra quos tumultuari aut ebullire non datur, salia est ejurasse natutam. Ex parte materierum judicium idem, par argumentum, succi sunt dissimiles & alieni ab iis quos philosophicus ignis fingere consuevit qui salis nihil, nihil *empyreumatis* olent aut referunt. *Lympha* pura est, unde oritur vita, *lympha* est unde alitur, sive unde crescunt corporis partes; lactei & mites utrinque succi, salium quorumvis expertes. Nec inconsultò, ductiles enim esse debuerunt & exporrigi faciles, non fragiles aut faciles rumpi, ne quæ ab uno grano, quod ovuli pondus aut magnitudo est, ad ulnarum milliaria, vitæ staminum futura erat extensio, statim ab ovo cessaret, aut in ovo frangeretur.

Posthàc quid sit *humidum primigenium* non tantùm inficiari nefas est, imò quid sit pervidet ille qui initia vitæ sedulus inspexerit, aut nativa norit corporis humani rudimenta. In eo filarium habebit ex fibrillis mollibus, succosis, produci facilibus aut extendi, quas intùs alit succus mollis, insulsus, tractabilis, unctuosus non pinguis. Undè veniet adhuc *caloris nativi* non illegitima idea; non enim deflagrando ardescit succus ille vitalis, sed igneſcit affrictu, non flam-

mat

mat ardendo, ſed calendo micat. At *ſolidorum* hic altera ratio ſe prodit, hæc enim attritu incaleſcunt. Calor ergo nativus genus calidi eſt quod educit non partium tumultus, non ſuccorum lucta, ſed quem concipit ſuccus compreſſus ab ortu, tritus continuò, aſſiduè pulſus; preſſus, inquam, non expreſſus, tritus non detritus, pulſus non expulſus, verbo ſaliens non tranſiliens; inceſſanter enim exercitatus ſemper, ſuis interim tubulis coerceri amans; erumpendo ſemper, rumpendo nihil, quaquaversùm fugiens, undequaque revertens; in orbes ubique motus, nullibi exorbitans, ire redire gaudens, exire neſcius. In his omnibus circuitionis motus habes imaginem, illius profectò quo conſiſtunt nativa ſanitatis & vitæ munia.

CAPUT X.

De naſcentibus in utero circuitus ſanguinis ac totius animalis œconomiæ legibus.

FECUNDATUM ovum pendulis tubæ fimbriis excipi, tubæque ductu intra uterum dirigi, ordinis ipſius aut harmoniæ miraculum eſſe concedet, penes quem erit fimbriarum ſitus & diſpoſitio. Partes enim illas laxas, longè pendentes, expenſas latè, altè, reflecti ſponte relevari, curvari in digitos & *ovario* ſic applicari ut illud apprehendant & arctè amplexentur, induſtriæ portentum erit. Adeò legum vi & ordinis imperio obſequitur corporis humani *mechaniſmus*! ordinis, inquam; illius ſupremi a quo creata ſunt in ovo hominum germina. Interim hæc pauca erunt comparata iis quæ tegit ovum, quæve ſinu ſuo gerit intra uterum evolvenda. Nam ſi ovum non ſecùs ac futuri animalis compendium, partium illius omnium lineaminibus fetum, ibidem deliteſcere poſterorum animalium germina tibi non in ambiguo erit: tot ac tanta tamen, prima prodigii initia ſunt; motum enim, ſitùs, ordinationum rationes, propenſiones, tendentias, directiones, determinationes quibus obnoxia erunt futura animalia, tum inconſpicuas adhuc futuri animalis partes inibi ſua velut in radice contineri quoque obſervabis. Si fidem ſuperabunt, adjuvabit vulgaris & frequens machinariorum ars! hi norunt jaculari miſſiles ignes, ſua ordinatione ita comparatos, ut per aera volantes, in ſtillas modò, modò in angues aut piſces deflagrando erumpant aut evolvantur. Tantillum illud eſt humanæ ſagacitatis: oſtendit ſaltem præſentes in rebus factas ordinationes aut diſpoſitiones legum, motuumque tendentia, *directiones* aut *determinationes*, in futurum poſſe ea injungere rebus, quæ dato tantùm tempore evolvendo ſe prodant.

Ovi igitur fecundatio, partium animalis non ſolùm evolutio eſt, ſed & Creatoris legum promulgatio; injuſſum enim tentat nihil ut emergat animal, quotquotve edit molimina: numinis ipſius conſilia ſunt aut imperia: revera aliquid ſpontanei habet, ſponte enim ſua ad opera fertur, ſed inſitæ proclivitatis effectus eſt, cujus inſtrumentum habetur non cauſa, fautor non author. Quod autem legibus omninò mancipatum ſit ovum, arguit intra uterum illius conditio, ubi propriis non tantùm quas in ſe condit legibus ſervit, ſed & alienis. Illic vita quâ vivit mutuatitia eſt, quaſive proprii ſanguinis circuitus regulis ſubjicî parùm illi fuiſſet, mutuatitiis ſe devovet & peregrinis; illis videlicet, quibus a materno corpore ſanguis ad fetum transfertur. Igitur hic ſecundus erit ſanguinis circuitus, quo carere nequit fetus, hicque a matre venit; tertius accedit qui a fetu ad *amnios* ſuccum progreditur. Unde intrà uterum triplici ſanguinis circuitu vivere fetum manifeſtum eſt; uno, qui primus eſt, qui intrà fe-

tùs corpuſculum peragitur; altero, qui ſecundus eſt, quo ſanguis a matre ad fetum vectus ad matrem revehitur; tertio denique, quo ſucci fetûs intra *amnion* tranſeunt, & ad fetum revertuntur. Ad mirabilis illius conſonantiæ proſpectum ſtuper animus; ſed talem concentum poſtulabat ineuntis aut formandi æquilibrii ratio, a quo cum fovenda veniebant in adultis ſanitatis munia, inchoanda erant in fetu vitæ officia. Quod ut ſuccederet feliciter ea opus erat ſanguinis copia, quæ fetus partes a flacciditate tueretur, quæ cum a brevi aut puſillo corpore curta fuiſſet, a matre ſupplenda veniebat, idque mutua circuitionis legum communione; ſed cùm aliundè ea ſit naturæ providentia, ut in neceſſariis abundare malit, quam neceſſariis deeſſe, ab iis a matre abundè venientibus ſuccis metuendum fuiſſet, ne exundarent corporis tenelluli partes; ſuperfluis ergò parandum fuit effugium, hicque ponenda erunt *ſecretionum* initia, rationumque illarum exempla. Fortaſſis, ſua *fermentorum* idola invocarent, qui ejuſmodi ſimulacris litare amant; ſed compendio ſtudens natura, ut ſimplicioribus ſic paratioribus inſtrumentis utitur: ſic ergò ab ea proſpectum eſt, inter evolvendas vaſculorum naſcentis corporis capacitates, quorumdam ex iis exitus aut diametros maturiùs explicari curavit & dilatari; epiſtomia putes; quibus elapſuris ſuccis aperuit vias. Mammillis infantis contigit id effluvii genus, quæ cum præ cæteris corporis partibus *arteriis lymphaticis* ditiores ſint, turgentis lymphæ, & in fetu exuberantis vi aut pulſibus illæ cedentes primæ dehiſcere debuerunt. Succis ergò nutritiis aut lympha copioſiori comulatum infantile corpus, hac parte levatur; his enim aperturis, quæ otiatur liquoris nutritii pars ne niſi moveatur vitium capiat, intra amnion reſervanda deponitur facta nulla, interim creſcenti corpuſculo jactura, ipſi enim annonæ loco venit reſidua hæc lymphæ portio, quam poſtquam eructavit mamillarum oſculis, ore ſuo ſugit, ejuſmodi ſuccorum reliquias in tantùm non faſtidiens, ut appetat magis; in hocque ex infantis corporis ſuccorum exitu, redituve ponitur tertius quem diximus ſuccorum circuitus; ubi obſervabis ſemper & ubique æquipollendi naturæ artem, qua dempto aut impedito ſuperpondio, æquipondium redditur aut conſervatur.

Aliarum autem adhuc animalis œconomiæ legum rationes aut exempla pandit id mechaniſmi genus. Hic enim fictitiæ purandi ſanguinis methodi mendacia recognoſcant ii, quibus medicis in rebus è meliore luto animus aut præcordia ficta ſunt. Diſcant quas vocant ſuccorum *ſecretiones*, neque *depurationes*, neque defecationes eſſe ſanguinis, ſed eliquationes ſuccorum; artes intelligo quibus ſucci teruntur, eliquantur, præparanturve. Hoc autem ut tutiùs ſuccedat; ſuccorum maſſam totam & ſimul natura comminuendam non aggreditur, ſed quam illius portionem uno circuitu ſubigere nequiret, ſubigendam alteri reſervat, ita ut illa portio ſuperſtes *ſecretoriis* credita, commodis committatur locis, unde ſanguinis circuitui de novo ſubigenda facilè reddatur: *cohobationis* genus eſt, qua eadem materies repetendæ ſæpiùs circuitioni ſubjicitur quandiù quibuſdam naturæ commodis & utilitatibus ſerviendum habet, uſque dùm eadem tractata ſufficienter in ſanguinem faceſſat: ſic *ſaliva*, ſic *liquor ſtomachalis*, ſic *ſuccus pancreaticus*, ſic *lympha* ventriculorum cerebri, ſic liquor ſeminalis, ſucci ſunt inutiles ſanguini, impares enim qui ſtatim illi adunentur, ſed uſque dùm ejuſmodi fœderationi fiant aliquando pares, ſerviunt interea alteri *animalis œconomiæ bono*, ſanguinis alveo poſthac reddendi, quandoquidem hi ſucci omnes ſanguini remiſceri conſueverunt.

Hic quoque conſpicies nutritionis ſpecimen aut formam, ſed quâ arte, quibus inſtrumentis, ex quibus materiebus peragatur augmenti genus, vix inveniet fidem. Artem vides ſine arte, adeò ſimplex eſt ac omni penè exuta ſupellectili! inſtrumenta cum materiebus & numero pauca & obſcura virtute; hinc

enim

enim *solidum* molle, illinc molle *fluidum*, utrumque nimirum mole: sapore nullum; minimum quidem, ovulum enim, quid inter tantas partes, in quas grandescit & extenditur? unius grani pondus, quo constat tota ovuli moles, in corpus septem circiter librarum intrà novem menses assurgit. Salia hic si scrutaris? nodum in scirpo quæris; si *systalticam* vim aut instrumenta tritus? molli pede fulciri rem fermè crederes, adeò hic omnia caduca, fluxa, instabilia! rimari cessas, mirari habendo satis. Mireris autem bene est, venerare, stupeas; at negligentis aut otiantis animi crimen declinando; hisque in tenebris cæcutire non ames quas inter splendescit non infidele lumen. Absconsa hic veritatis semina eruere contendas, Creatoris digito monstrante viam; studium accendat operis examinandi natura, veritatis authorem parentem habet; ututque inconcinnum appareat, nudumque pompa, emersuras omnium certissimas motùs & mechanismi leges sinu suo fovet. Membranæ sunt multiplices, validæ, densæ, quæ ovum circumvestiunt; fibrosa sunt quæ membranis includuntur partium animalis stamina, omnia proindè stringi, laxarive apta, toto denique spiritus fecundantis *elatere* plena. Hùc facit natura fluidi quo madet aut repletur ovum; non pura puta aqua est, sed succus mollis, succosus, natura sequax, ductu facilis, ovi centro fluitans; facit tandem quoque ovi positura, illud enim non omni sua mole, sed uno quasi pedunculo; utero adhæresci. Nùm aliquid intùs extùsque agitabile magis intelligere datur? perniciissimus elater a conceptu veniens, totam hanc agitat moleculam, quam movere pergit a matre veniens spiritus, à qua ut sanguinem seu sanguinis lympham apportant arteriæ, spiritus quoque seu nervorum succum nervi afferunt. His ex fontibus tot *elateres* profectos videas, ipsius umbilicalis funiculi ductu descendentes; oscillationes animadvertis, tot *undulationum* compressionumve agitatoriarum causas, quæ ovi membranas, succos & partium stamina movent, premunt agitant, agitant, inquam, eò faciliùs, quod tota ovi compages situ suo aut adhæsu fluitet maximè, succoque molli, lubrico & fluitante turgeat, frictionis primordia hic introspicere etiam licet, *diastoles* & *systoles* rudimenta, aut *oscillationum* initia, à quibus *systalticè* agitatæ partes, premunt, fricant, terunt, terendoque pinsunt, densant, compingunt fluidorum particulas & *solidorum* partes, quæ his artibus crassescentes molem sibi faciunt & corpus.

Pressionis aut *elateris* vim in ovo alit & auget uteri, quo continetur ovum, fabrica & situs. Musculus cavus est, constans fibris eò validioribus, quò brevioribus, quamvis ad eam produci debeant longitudinem, quæ ex loco qui grani unius moli continendæ par est, in illam evadat capacitatem, quæ corpori septem librarum continendo sit non impar. Igitur simul cum ovo crassescente, utero crescendum venit; vis est aut pressio lateralis quæ a parietibus uteri ovum vestientis ovo applicatur, unde partium ovi *tonus* & *elater* firmantur, ut sic stabilita fibrarum directione, qui *systalticus* est vitalis motus a matre meliùs transiret in fetum. Hac de causa *diaphragmati*, quod vitæ flabellum est, uterus subjacet, ut hujus *systoles* & *diastoles* ictus inter crescendo sentiens indesinenter fetùs corpusculum *systolen* discat, ad hujusque rythmum aut mòdos accommodatum oscillare.

Interim a prodigiosa illa vi *systaltica* repetita toties aut tam multiplici, propria aut precaria, metuat nemo, quasi fetus undique pressus, in ovo suffocari periclitaretur, ad æquilibrium tendit tota isthæc, quanta quanta est *systaltica* vis, ut pote quæ partium mille renitentiis temperetur. Sed hic non conquiescit ejusmodi moderamen naturæ; quod enim fetum intrà aquarum fluctuationes oriri voluerit, factum est ut agitabilis nasceretur, in undarumque *undulationibus* ponens oscillandi tyrocinia, *systoles* sensum conciperet aut disceret usum, *systoles*, inquam, quæ a mollibus initiis oriundo molliter progreditur. In eo se

prodit naturæ iſtud conſilium, quod *lymphæ* rore aut ſucco ovi & uteri partes imbui voluerit & mergi, ut *ſyſtoles* & preſſus undequaque venientis ictus, molliùs in fetum caderent; artificum more, qui tenellam habentes tundendam materiem, inſtrumentis panno veſtitis aut corio utuntur, ne quam levigare ſtudent partium compacturam, aſperent magis.

Ex hac eadem naturæ induſtria auguraberis cujus valoris aut potentiæ *fluida* futura ſint in adulto corpore, cùm in infantili *ſolidis* unicè ſerviant, quorum potentias aut adjuvant, aut moderantur, otioſa aliundè futura aut invalida. Hinc in ipſo vitæ limine, videas id omne quod virtutis eſt aut imperii a *ſolidis* venire, quidquid verò famulatùs eſt aut mancipii a *fluidis* exerceri. Neminem morabitur ſpiritus fecundantis notio vulgaris, nomine cujus, liquidi ſubtilis aut halituoſi ideam habet philoſophorum pars non minima; quidquid enim operatur ſpiritus ille animabilis, *ſolidi* titulo tenet. Re ipſa tam nobile movens, concepti ſemel aut accepti motus tam obſtinatè tenax aut imperturbatè, de ſolidorum genere ſit oportet aut familia, cùm quantælibet fuerit pernicitatis, *volatilitatis*, mobilitatiſve *fluidum* quodvis, dividuum maximè cum ſit, de impreſſo motu retineret eò minùs quò magis obviorum corporum occurſu de mole ſua, proindèque de vi ad motum amitteret, ſicque inceſſanter velitando citò frangeretur. *Solidi* ratio diverſa eſt, ut plus habet molis, plus retinet virtutis, cumque renitentiæ plus habeat, ideò fugax minùs erit, durabitque magis; hanc autem conditionem fecundationis ſpiritui deberi facile confitebitur, qui cogitaverit quàm diù, quàm longè, quàm fortiter durare debeat ſpiritùs fecundantis virtus & energia, quæ a creationis ſuæ momento multa in ſæcula, mille per generationes ſucceſſivè tranſmiſſa, duraret; vis enim illa fecundans ex illis germinibus eſt quæ a Creatore condita ſunt, ſic ut, cùm in prima matre poſterorum omnium ova creata eſſe intelligitur, in primo patre conditum fuiſſe ſpiritum omnium illorum ovorum fecundationi futuræ debitum concluditur. Ad quid enim ovorum illorum perditio, quæ fecundari nunquam potuiſſent? manca certè videretur iſthæc creatio, quod vitii cum cadere nequeat in Deum, hæc omnia ova, licet fecundanda neceſſariò non venirent, fecundationis capacia creata erunt, cumque in prima matre omnia poſterorum ova creata fuiſſe arguitur, ex eo quod phyſica cauſa nulla ſit, vi cujus ovum in feminino corpore compingi poſſit, ipſiſſima ratione qua evincitur vim adeſſe nullam phyſicam quæ ſpiritum fecundantem producere poſſit, liquet manifeſtè ſpiritum fecundationis, totum & unicè a Deo creatum fuiſſe in primo patre, & in illo ſpititu, creatum ſemel & ſimul ſpiritum omnem fecundantem in unumquemque nepotum illius tranſmittendum, aura cujus coævarum feminarum ova fecundari poſſent. Duplex erit igitur creationis miraculum, duplex namque neceſſitas ſexûs impotentiæ duplici providendi; ut in femina ſingula poſterorum ova, in mare nepotum ſingula germina a Creatore condenda veniebant. Jam verò operationi in hominum nepotes ultimos durabili, fluidum aliquod, quod idem ac fluxum eſt & inſtabile, aſſignatum fuiſſe a vero alienum eſt. Spiritùs fecundantis nomine meliùs cogitabis *elaterem* tenuiſſimum; hunc ſi flexuoſum, *undulantem*, mobiliſſimum, inquietem, ſyſtalticum, quaſi *oſcillantem* concipias, ſpiritùs ideam tenes verè animabilis; mobilis enim ille eſt & movens, qui ſua actus elaſtica vi intra locorum anguſtias has enitendo dilatare volet. At hoc ipſum eſt quod operatur intrà lubricum ovi ſinum ſerpens ſpiritus fecundans, anguſtatus intra arctiſſimas tubulorum capacitates quibus conſtant ovorum oſcilla, quæ primula ſunt animalis rudimenta; nititur enim in motum, niſibuſque repetitis, quod impetu uno aſſequitur, aggreditur altero, ſic alternatim agitur & agit, dilatat, ſtringit, denſat, aperit, *ſyſtolen* exercet; hæcque vis illa eſt *elaſticitatis* compreſſionis, oſcillationis, quam in adulto corpore

exer-

exerceri vides; vis autem ſolido inſita, advecta ab eodem, & exercita à ſolidis animalis partibus.

Fortaſſis, in fluidum competere meliùs videretur portentoſa vis illa inſerendi ſe aut penetrandi intra ultimos locorum receſſus; at *ſolidorum*, *elaterum* prodigia ex hoc uno exemplo intelligere dabitur. Spica graminea deglutita ore, intra pectus intruſa, per invia loca & cæcos exitus, ad ultima uſque cutis externæ vaſcula pervadendo, intrà coſtarum intervalla, apoſtemate ibidem facto, viridis & integra erupit. Hæc ſi valeat, craſſum & rude corpus *elaſticum*, ſi exiliſſimos tubulorum, ſtriſtiſſimoſque diametros dilatare, ſi minutiſſima illorum oſcilla tranſilire poteſt, in ancipitinè erit atomum ſummè *elaſticam*, ſeu *elateris* micam, irrequietam ſemper & irrequiebilem intra molles & lubricos, *ſyſtalticos* aut reſilientes canaliculos adactam, horum omnium preſſionibus acceleratum ire per orbes, per eoſdemque ſerpendo redire.

Hæc ſunt naſcentis ſanguinis circuitus initia, quem inchoant *ſolidorum* vires; cumque paucula ſit quæ ſuam hic ſociat *ſolidis* operam *fluidorum* quantitas; venit in apertum, quam parum imperii venturum ſit *fluidis*, in exercendis animalis œconomiæ functionibus; ſi geminis duplicis ſolidis potentiis imperium illud ſit comparatum, *elateris* nempe fecundantis & alterius qui *ſyſtalticis* embryonis naſcentis partibus creando inſitus eſt. Revera, non agendo operantur *fluida*, ſed *reagendo* agunt aut patiendo, in quantum agitari ſe patiuntur & elaborari. Quo labore? illo uno quo tantam tenuitatem aſſequuntur, ut exiliſſimorum vaſorum ductus ſubire queant & perreptare. Qua laboris induſtria? aperit oſcillorum ovi fecundati, id eſt primorum futuri corporis ſtaminum textura, ſitus & ordinatio, capillamentorum glomeres qui varii ſunt, quorum evolutioni ſervit fluidum intus perreptans. Succus ergò eſt mille per orbes aut circulos, per curvamina, plicaturas & angulos frangendus, pinſendus, tenuandus, eoque efficaciùs quod in brevi corpore quo breviores ſunt tubolorum circuli, eo numeroſiores ſint anfractus, anguli & receſſus, quorum omnium renitentiis, reflexionibus & repercuſſionibus millies repetitis, *fluidum* illud immensè tenuatur. Sed inde noveris, in quo ponas futuri ſanguinis eſſentiam, ſcilicet in tenuitate ſumma, exquiſita flexibilitate, fluxibilitate perfecta, ut ſanguinis circuitus, quo uno vita ſtat atque ſanitas, facilis, integer atque perennis ſervetur. Tenuitatis autem nomine cave intelligas disjunctas, diſſutas aut ſeparatas ſuccorùm particulas, in quas non ſecus ac *porphyrii* levigantis opera dividerentur & ab unione ſolverentur tritæ particulæ; tenuatum illum intellige ſuccum qui cum ductilis ſit & ſequax intra ſtrictiſſimos tubulorum ductus preſſus & anguſtatus in longa fila trahitur. Ductarii funis exemplum erit qui horologii motum producit eo longius, quo fuerit longior, quoque numeroſiores circum axem formarit orbes; vitalis enim ille ſuccus vitam eo longius protrahit, quo tenuatus magis in longum, in plures & faciliores ducetur orbes & circuitus.

Sed huc redit de *ſyſtaltico* illo motu famoſa difficultas: partium elateris cauſas quærunt, opinantes nullam ulli rei adhibendam eſſe fidem, cujus clara & diſtincta idea haberi nequit. Igitur ſtructuram partium doceri volunt, unde rationem *elateris* aut cauſam intelligant, quo inconceſſo, *elateri* partium aſtruendo aſſenſum renuunt.

At in vetitum niti eſt. Creata fuiſſe germina in confeſſo eſt, ſpiritum nempe fecunditatem in mare, tum ova in femina: at hæc ſunt *elateres* vitæ, qui proinde creati ſunt: homine ergo altiora ſunt, quæ quærere nefas. Neque philoſophiæ dedecori vertetur iſthæc confeſſio; ut regis enim, ſic Creatoris arcana celari bonum eſt, iis maximè in rebus quæ vitæ tuendæ neceſſariæ ſunt. Ejuſmodi enim naturæ ſunt ut in illorum uſu errandi locus aut occaſio omnes de-

declinandus veniret, ne hominum conjecturis aut opinionibus obnoxia facta hominum vita ſæpiùs periclitaretur. In condendo igitur humano corpore, creatione uſus eſt Deus, ut principia formationis illius abſcondendo, faceret ne iis malè poſitis in ſui perniciem homo abuteretur. Noverat quantùm ad curioſa *ſenſus & cogitatio humani cordis prona futura erant*. Ne ergo de principiis vitæ curioſiùs inquirendo errandi periculum incurreret, quæ ad tutamen vitæ ſciri opus erat, hæc unicè aperuit; corpora ſuis cum ſeminibus, ſeu ſemina ſuis in corporibus creata aſſeverat, in hiſque philoſopho conquieſcere neceſſe eſt; præterquamquod enim ulteriùs progredi non ſuccedit in rebus, quas abſcondi voluit manifeſtè Creator, inutile aliunde & ſcrutari res quæ compertæ ſunt aut ſaltem cognitæ ſatis, ut quidquid afferendum habent auxilii, hominibus apportent. Porro germina animalium ſuis in corporibus, ſpiritum fecundantem in mare, ovum in femina creata fuiſſe veritas nota eſt; & hæc philoſophia operibus medicinæ neceſſariis ſatis erit; ſimiliter quidquid ſpiritus ille virtutis habet & potentiæ, quidquid ovum continet poſituræ, ordinationis & *mechaniſmi*, in his germinibus condi quoque affirmabis: modus autem aut ratio qua ſingula hæc in germinibus coalueruut, arcanum Creatoris eſt, curioſioris animi cupiditate nulla violandum. Arboris ſcientiæ boni & mali exemplo, de qua comedere inconceſſum erat, ut ut pulchra oculis eſſet & delectabilis aſpectu, ſingularem illam & arcanam de germinibus ſcientiam, ut ut grata videretur interdici juvat. Nec aliunde fortaſſis repetenda, tardati rebus in Medicis progreſſus cauſa; nudam ſe videt & erubeſcit medicina! heu *lignum ſcientiæ* tetigit de quo comedere non licebat: ad inconceſſa cognoſcenda ſe contulit, primas rerum eſſentias aut eſſentiarum rationes ſcrutari auſa. Tutiora prementes veſtigia quæ nobis a Creatore revelantur, medicinæ felicitati ſatisfactura ea confiſi, ut unicè neceſſaria admittimus, expectantes inde venturum nobis illud omne quod cum ad neceſſariam corporis humani ſcientiam, tum ad medendi ſapientiam opus erit.

CAPUT XI.

De iiſdem pergentibus aut provenientibus a partu novis circuitus ſanguinis legibus.

VITA igitur evolutio eſt; corporis namque pars nulla eſt, quæ ſuo in germine creata non fuerit: cumque ſuæ ſint ſingulis partibus mutuæ rationes & convenientiæ, has quoque germinibus inditas fuiſſe conſequentia eſt. Sed a conſenſu rerum, proportioneve & harmonia manant convenientiæ illæ, imo animalis œconomiæ omnis leges, ſymmetria, conſenſus & proportio ſunt; partem ergo ullam evolvi concipiet nemo, quæ legibus ſuis concentus & harmoniæ defecta prodeat. Non ergo a partium corporis tantùm, ſed & a vivendi legum evolutione auſpicatur vita. Heu miſeram vivendi conditionem! ſervitutis cauſa vivitur; adeo legibus obnoxia naſcitur vita! cujus ad lucem profectus, ad leges progreſſus eſt. Hinc uteri ergaſtulo liber infans, alterum ſubit ſervitutis genus, nam qui a matre modò pendebat, aeris neceſſitatibus illicò ſervit, quandoquidem quem a matre habebat ſpiritum, ab aere ducit. Rupto vitæ funiculo, *umbilicali* ſcilicet, quo duce a matre ad fetum manabant vivificæ *oſcillationes*, aliunde trahendæ illi veniunt *oſcillandi* quæ ſunt vivendi cauſæ, quas ut abundè continet, ſic affatim ſuppeditat aer. Commune & pu-

publicum elaterium est, aut *elasticitatis* universæ promptuarium, unde afflatus a matre recens infans, novum addiscit *oscillandi* rythmum. *Oscillationis* enim novum genus est respiratio, cui illi necessariò vacandum est. Necessitatis ratio a pulmone venit, cui cum novæ sanguinis circulationi deinceps vacandum sit, *oscillandi* munere carere non potuit, quandoquidem *systalticæ* vis opera exercetur sanguinis quælibet circulatio. Manifestatio est recens oscillantis organi, pulmonis videlicet, simulque functionis novæ evolutio, at non novæ vivendi rationis; nam quibus legibus vixit in utero fetus, iisdem vivit editus infans, circulationis nempe & æquilibrii, ad quorum normam aut modulationem inposterum dirigendæ erunt omnes vitæ functiones.

Itaque ab æquilibrii legibus orditur respiratio, functio illa princeps a qua inchoatur propria seu spontanea recens nati vita; hîc autem miraberis concentus & symmetriæ vim & ingenium. Intra fetus corpusculum habentur pulmones, cor & sanguis, respirationis materies & organa, abest tamen respiratio, hac una de causa quod absit æquipondium; obnoxium enim organum est pulmo; qui sui juris unicè non est aut arbitrii, sed nutus alterius aut potentiæ, aeris nimirum solius, cujus spiritu animatus in motum agitur. Observatum superiùs est, qua ratione germine suo condita, suisque ad motum *tendentiis* instructa prima futuri corporis stamina, feriabantur tamen, usque dum fecundantis spiritus appulsu agitarentur; ratione non dissimili, pulmones ut ut in motum proni, imbutive *systaltica* vi, in fetu oriantur, absente spiritu motore, qui vim illam exsuscitet. At exinde mutila fermè videretur, aut manca circulatio sanguinis in fetu, in quo omisso ferè pulmone, per alias corporis illius partes, tota sui mole it reditve sanguis; sed rationem aperit spiritus *oscillantis* absentia, quod tamen oscitanti naturæ non imputabis. Architectorum more, qui ædificia debitis basibus aut fundamentis fulta erigere cavent, naturæ providentiæ erat in formandis visceribus eniti non tantùm, sed & iis firmandis studere, antequam cæteris partibus remotioribus & externis absolvendis allaboraret. Enimvero hoc pulmonum institutum est, ut licet partibus vicinis servire quoque debeant, remotis & distantibus tuendis servandisve maximam præstent operam, vi cujus evibratus sanguis ad distantissimas partes, ad cor remeare possit. Quo sensu, aspiranti antliæ pulmonem comparaveris, qui quò celeriùs susceptum in se sanguinem exprimit, alterum qui vi emboli cordis, non secùs ac impetu præstantis antliæ, in ultimas corporis partes pulsus est, ad exinanientem se invitando regredi cogit. Igitur posterius hoc officium aggredi debent pulmones in recens natis, partium enim alendo *tono*, substinendæque virtuti servire debent, interea dum molem suam augent & longitudinem.

Interim stupendo discas, qua sapientia, quove moderamine utatur hîc natura in tractandis, regendis, temperandisve partium potentiis; Clam sensimque explicanda erant fetus viscera, idque sanguinem per illa omnia leniter circumducendo, ne impetus fortior aut vehementior pulsus, quæ evolvendæ erant partes & elogandæ rumpere potuisset; hoc ut obtineret natura, hinc partes, quales pulmones sunt, quæ augendo sanguinis impulsui servire solent flacceſcere jubet, tantùm sic *resistentiarum* illis imponendo, quantùm iisdem potentiarum prope diem venturum erat; illinc resistentias arcendo ab iis partibus versùs quas sanguinis motum accelerari juvat. Hæc ars est, qua sanguinis moles a pulmonibus repulsa reflectitur, flacceſcentis enim pulmonis, adirique renuentis obicem sentiens, patentes & faciles ingreditur *foraminis ovalis*, & *tubuli arterialis* aperturas, pulmonemque declinando versùs *aortam* spontè fertur.

Hîc

Hic habes adhuc alteram filentis aut otiantis pulmonum functionis rationem; ſanguinis circuitus libertate, conſtantia, perennitate, recens nati vita ſervanda eſt; quamobrem viarum commodis & locorum facilitatibus a natura providendum erat, quibus omnibus ſic cautum eſt. Antequam (quod ab inſpiratione certè veniſſet) fervidior factus aut vehementior ſanguis, *elaſticitatis* plurimùm nactus, ſuccorum tramites turbaret, miſceretque calles, reſpirationem tardari natura curavit, dum aperiendis, concinnandiſque vaſorum *diametris*, formandis illorum capacitatibus, ordinandis, dirigendis, firmandiſve fibrarum *oſcillationibus* allaboraret: hoc conſilio novem menſium ſpatio, ſanguinem ab impetu præſervari voluit, ut mitiùs circumductus, miſceret nihil. Hic quoque alterum adhibet artis genus, tenellum puſionem, toto hoc temporis intervallo, lacteis & *lymphaticis* ſuccis nutriri inſtituit, ſuccis proinde pinguibus, mucoſis, glutinoſis, compingi facilibus aut adunari. Rei caput erat, qua induſtria ſucci illi intra vaſa præterfluentes, illorum parietibus adhæreſcerent; quo in negotio, mirabere naturæ ſagacitatem. Succos illos *lymphaticos*, unde exurgit alba ſanguinis pars, globulis mille reſpergi curavit, ſeu rotundis rubræ materiæ moleculis, volubilibus & ponderoſis. Quid inde? cordis embolo pulſi ejuſmodi globuli, vaſorumque *ſyſtole* & preſſu agitati, intra vaſorum *diametros* & anguſtias perreptant, tum inviſcati ſuccorum illorum glutine & impliciti, pandunt illos, dilatant, exporrigunt, vaſorumque parietibus applicant. Ulteriùs, hos globulos graves aut ponderoſos habebis non ſecus ac agitabiles, orbiculatas & volvi faciles maſſulas, quæ volutæ multoties & revolutæ, reptatu ſuo ſtipant, complanantve vias; harum ergo ſphærularum preſſu, pondere, affrictu, ſucci nutritii applicantur, vaſorum parietes poliuntur, levigantur viæ, fibræ flectuntur, contrectantur & molleſcunt. An aliunde paratiora ad futuram circulationem, aut expeditiora evaſiſſent vaſa? an ſolertior ars, aut ratio utilior, qua ſua humorum *determinationibus directionibuſque* oſcillationum, curvamina fibrarum, vaſorum flexuræ & anguli tubulorum elaborarentur? Interea ſenſim hic paulatimque enutritæ vaſorum fibræ, firmitudinis tantùm & *elaſticitatis* contrahunt, quantum illis opus eſt, ut venturis ſanguinis inſultibus & impetui obſtare poſſint & reſiſtere.

Feriantis in fetus viſceribus *ſyſtalticæ* vis argumenta adhuc alia produnt, intra cranium *cerebri* moles, intra pectus *thymi* magnitudo, in abdomine *hepatis* amplitudo, *lienis* ſaturi ſanguine rubor, *capſularum atrabilariarum* craſſities. In his omnibus reſides, ſtagnanteſque ſuccos omnes videre eſt, quos lenteſcere decebat, ut intimiùs & meliùs inſuccarentur prima partium ſtamina, quoſque cumulari oportebat, ne in partium augmenta pabula deficerent. Ut ut ſit duæ ſanguinis partes, rubra & alba, hic ex æquo torpere videntur; *cerebrum* & *thymus lympha*; *pulmo* & *hepar* ſanguine turgent; ſero opplentur *atrabilariæ capſulæ*, quas ergo prodromos renes facilè dixeris, ut pote cum renum functioni præire videantur, renum munia præoccupando; donec enim urinæ ſecernendæ pares evaſerint, combibunt ſerum, ſanguiniſque fluento reddunt. Cæterùm non inconſultò tot cumulari aut coacervari ſuccos putaverit ille qui attenderit ad futurum aeris effectum, cum in recens nati cutem ſemel irruerit. Ab hujus premente circumplexu adveniet repentina *elaſticitas*, qua ſubito preſſæ *ſolidæ* partes ſuffocarentur; niſi ſubjecto *fluidorum* obice aut repagulo ſuſtentarentur, quò exteriori potentiæ prementi obſiſterent. Id exercet officii *fluidorum* ſeu ſuccorum illorum vacantium renitens & *elaſtica* moles, quæ æquipondii vices gerit, ut intelligere eſt ex comperto machinæ *pneumaticæ* experimento, quo educto aere corporis animalis alicujus externo, in immenſum

um corpus animalis tumet & crescit: igitur ducto ab opposita ratione argumento, appellente aere externo suffocarentur compsessæ nimiùm partes, nisi contranitente elatere interno defenderentur.

Itaque formatis ut decet, stabilitis ordinatisve partium fibris, tubulis, positionibus, suo singulis partibus facto assertove *elatere*, editur infans, iis omnibus proinde munitus, quibus cum aere luctetur. Revera enim lucta est hominis vita, æquilibrio constans, aut æquali *fluidorum* cum *solidis* moderamine, tum & utrorumque cum aeris insultibus. Quid enim in corpore infantis facturum sit æquilibrium, cujusve futurum illud sit potentiæ, ostendunt repentinæ venientes illi a partu mutationes; non secus ac enim sydus novum quod microcosmum collustraret, vegetat corpus, novaque profert phœnomena. Hinc exercito intra recens nati corpus æquilibrio mutatur sanguinis circuitus facies; qui enim a matre ad fetum circumagebatur sanguis, suum intra fetus corpus circulum unicè agit; sic tamen, ut qui longius suos producebat orbes, latiùs eos exporrigat, nempe ad plura viscera, intra quæ efficacior a partu aut crebrior fit sanguinis circulatio; efficacior, inquam, ut pote cum illis apportet circulationis bona, id est apertam *secretionum* exercitationem: nam in utero non paucorum viscerum *secretoria* vacabant, quæ statim a partu incipiunt exerceri; talia sunt *pulmonum*, *jecoris*, *pancreatis*, *intestinorum* & *renum secretoria*, quæ in fetu silebant aut feriabantur, sed quæ in infante operari incipiunt, unde prodeunt sputa, lacrymæ, urina, feces, hæ quidem nigricantes primùm, *meconium*que vocitantur, paulò post ex albo flavescentes; facto hinc judicio *bilem*, quæ illas in utero deficiebat, has a partu comitari; sed unde *secretionem bilis* in fetu non fieri intelligitur, quandoquidem feces, quæ in fetu coacervantur, *bilis* colorem non referant. Inde quoque patet singulare instrumentum esse respirationem, quo utitur natura ad promovendas aut edendas *secretiones*, illa enim absente vacant, præsente exercentur: atqui sanguinis circuitus fructus est aut effectus *secretio*, eo enim tendit omnis sanguinis motus, ut elaborentur, digerantur, secernanturve proprii viscerum succi; exurgente igitur recenti aut nova *secretione* in aliquo viscere, singularem illi accessisse circulationem sanguinis facilè concludes. Ejus sortis sunt *pulmo*, *jecur*, *pancreas*, *intestina*, *renes*; ex his enim statim a cœpta respiratione *secretiones* se produnt; illis ergo novam accedere circulationem affirmabis: unde cum hæc viscera singulares sint propriarum secretionum officinæ, singularia quoque erunt privatarum circulationum organa.

Cæterum fecum excretionem *secretionibus* annumerasse error non erit; licet enim iis non accedamus, qui intestinorum saburras ab intestinis è sanguine secerni prædicant, ad *secretiones* intestinorum spectare credimus, ut pote cum intestinorum *secretionum* proventus sint; nam si non ab ipsis intestinis, saltem ab intestinorum *secretionibus* descendunt, quod sic se habent: quemadmodum apud chymicos *distillationum* species duplex est, sic in humano corpore *secretionum* modus est duplex, per *descensum* alter, alter per *ascensum*.

Quotquot è viscere egrediuntur, quales sunt *bilis*, *succi pancreatici*, &c. per *descensum* fiunt; quotquot in viscus ingrediuntur, qualis est chyli quæ intra vel trans intestina peragitur, per *ascensum* erit: at ex illo *ascensu* in intestina aut ingressu, *deliquium* fit aut *præcipitatio*, partis scilicet crassioris quæ intestinorum poros aut meatus subire non potuit, fecumque nomine venit; revera *secretionis* materies non est, sed reliquiæ ad *secretiones* pertinentes, ut pote à *secretionibus* deciduæ.

At amabo videas quam pauca sint quæ adhibet natura, in edendis tot & tam

tam multiplicibus *secretionibus* novis; toto menſium novem ſpatio vitæ fetus alendæ fermè ſatis erat intra majora vaſa aut intra corporis præcordia ſanguinis circulatio, vita enim ejuſmodi, *secretionum* auxiliis non adeo indigebat, maximè cum ſecernere tantùm aggrediatur natura, cum ſuperabundare incipit aut ſupereffluere. Id intelligere datur, tum eo ex tempore, quo *ſecretiones* principes in recens nati corpore apertiùs exerceri videntur, tum ex vaſorum genere & natura, unde exeunt. Priori obſervatione concipitur tum exoriri tantùm *ſecretiones*, cùm molem, ſitum, poſituras, & ordinationem, verbo, cum complementum omne & evolutionem ultimam partes adeptæ ſunt, quo tempore ſuccis graves aut ſaturæ, ſuperflui aliquid eructant. Id evincit, quod altera obſervatio eſt, vaſorum *ſecretoriorum*, natura capillamenta enim ſunt & ultimi vaſorum fines, proindeque de eorum numero, quæ ultimò producta ſunt aut exporrecta. Quandiù igitur explicandis, exporrigendis, evolvendiſque partibus allaboravit natura, intra majora vaſa potiſſimùm circuivit ſanguis; meliùs, intra ſanguinea vaſa quæ arteriæ ſunt & venæ. *Secretoria* enim vaſa, arteriarum parerga ſunt aut appendices ex illarum finibus exporrectæ; cumque evolutio ſit corporis accretio, ultimo evoluta fuiſſe *ſecretoria* vaſa, facilè credes. Ut igitur fiant *ſecretiones*, duo omninò requiruntur, primum ut evolutione formata ſint *ſecretoria*; ſecundum ut vis accedat quæ par ſit in hæc uſque vaſa pellendis, extrudendiſve ſuccis. Sed hoc ipſum eſt, quod recens nato contingit; quæ agitandæ per ſanguinea vaſa ſanguinis maſſæ in fetu ſatis fuerat emboli cordis potentia, expellendæ ſua per vaſa *ſecretionum* materiæ impar erat; alteram igitur illi aſciſci vim conveniebat, pulmonis nempe *ſyſtolen*, quæ *cordis* potentiæ addita, ſecernendos ſuccos pellit & expellit. Poſthac *ſecretionum* illarum artem omnem aut *mechaniſmum* intelligere ſi cupis? reſpirationis vi adiguntur ſua ad *ſecretoria* ſecernendi ſucci, eaque versùs pelluntur & determinantur, hoſque ſuccos perennata reſpiratio aut pulmonum *ſyſtole* trudit inceſſanter & extrudit.

Iterùm obſervabis, quam paucum quoque illud ſit, quod in recens nato mutat ſanguinis circulationem, quæ in fetu agebatur; id enim operantur *determinationum* ſolæ mutationes, unæque *directionum* & ſuccorum averſiones. Sublata *reſiſtentia* quam reſpirationis inexperti de cauſa flacceſcentes aut ſubſidentes pulmones, fluento ſanguinis objiciebant, patentes ſibi *arterialis* & *venoſi* tubulorum aperturas præterlabendo ſanguis ex dextro cordis ventriculo proſiliens, intra dehiſcentia pulmonum vaſa raditur, quo conſecutione quadam, undequaque & ex ſingulis viſceribus affluens novam circulationis faciem apportat. Illuc corrivantur, qui in viſceribus ſtagnabant ſucci, quorum acceſſione dum creſcit ſanguinis fluentum, decreſcit viſcerum moles. Hinc ſuam *jecur* amittit magnitudinem, areſcunt cordi aſſiſtentes tubuli fetui ſingulares & *umbilicalia* vaſa, *thymus* minuitur, ferè oblitterantur *capſulæ atrabilariæ*. Semel enim exſuſcitata reſpiratione, *oſcillationum* illa principe, cæteræ ſimul exſuſcitantur per omnes corporis partes, quæ compreſſæ laxatæque alternatim, ſuos ſingulæ eructant ſuccos, qui undelibet expulſi preſſive eo pelluntur, unde minùs illis reſiſtentiæ venit; versùs ergò majora vaſa, qualis vena cava eſt, hincque per dextrum cordis ventriculum ad pulmones, publicum maximè & potentiſſimum circulationis ſanguinis organum.

Porrò, quantum inde a ſe mutetur ſanguinis circulatio, intelligere eſt ex multiplici illo ſuccorum genere, qui novos ineunt circuitus, ſimul & ex partium aut viſcerum numero, quæ ſuccorum circuitui occludunt vias aut aperiunt. Quam ebiberat *lympha thymus* intra novem menſium ſpatium, *ſerum* quod ſanguini tranſmiſerant *capſulæ atrabilariæ*, *bilis* quæ in jecore reſederat, *ſanguis* qui per tubulos fetui proprios propipiebatur, novas ſubeunt vias, aut ad alia viſcera

ferun-

feruntur. *Thymo* pulmones, renes *capſulis atrabilariis*, *arteriali* & venoſo tubulis pulmones ſuccenturiantur; ſuas bili jecur aperit vias, quemque reſidem continebat ſanguinem, communi & publico circuitui reddit.

Has interea turbas omnes aut mutationes ſanus infans & illæſus ſuſtinet! cauſam imputabis æquilibritatis rationi, cujus opera ſit, ut quidquid motûs, virtutis & impetus exercetur in corpore, incogitante homine & inconſcio pergat. At verò ex eo quod a partu nihil novi ſibi det hominis corpus, quod æquilibritatis illius cauſa ſit, conſequitur unicam eſſe cauſam illius, quod tum in fetu, tum in infante habetur æquilibrii, eandem proinde quæ germinibus a Creatore credita fuit; quo dato, in ancipitine erit, ut originem ſic cauſam eandem eſſe ordinationis & conſtantiæ legum, quibus ſtat animalis œconomia, Creatoris nempe inſtitutionem, quæ in fetu inchoata, in infante pergit & in adulto exercetur? Unde rem omninò juſſam eſſe vitam concludens, cujus initia, progreſſus & ſtatus ordinata ſunt; ordinata autem ab eo qui ut omnipotens, ſic omniſcius eſt. An obſequii, mancipatus aut ſervitutis, an nihili hominis obſcura hæc erunt argumenta?

Hæc etſi multa ſunt, quæ de mutato ſanguinis circuituum ſtatu hactenus commemorata ſunt, altera ſupereſt non prætereunda, ſolemnis ſimul & neceſſaria infanti adveniens ſanguinis motuum ordinatio. Ea eſt, quæ ad *ſecretionem* animali œconomiæ maximè neceſſarium ſpectat, *ſpirituum* ſcilicet, ut loquuntur, ſeu nervorum *lymphæ* generationem. Revera, *lymphæ* illius aliquid intra fetus cerebrum ſecerni, nemo eſt qui neget; at ex quo exerceri incipiunt in recens nato tam multa ſenſuum & motuum organa, quæ huc uſque vacaverant; ex quo actus ſuos aut functiones ſuas iterare frequentiùs fortiuſve illa ceperunt, quæ in utero ceperant jam exerceri, ad cerebrum uberiorem appellere ſanguinis copiam neceſſum eſt, quæ uberiorem lymphæ copiam faciat.

Id boni a reſpirationis energia adhuc expectabis; naturæ enim ars eſt, quæ ſanguinis circulationem longiùs ferre novit. Igitur reſpiratione abſtinuit, quandiu debili, nedum ſcilicet firmato nervorum *tono*, ad molles adhuc ac tenellas organorum fibras, ut impetuoſum ſanguinem, ſic uberiorem *ſpirituum* copiam aferri periculum fuit; tum enim fatiſcente *ſolidorum elaterio*, languentibus proinde *oſcillationibus*, *fluidorum ſtagnationes* mille partibus contigiſſent, defectis nimirum iis potentiis quæ propulſum ſanguinem repellerent; at verò perfectis in infante nato organis, ſanguinis circulationem longiùs exporrigi cœptum eſt: quo autem mechaniſmo audies. Qui pulmones è limine tantùm ſalutando ſanguis ad *aortam* illicò reflectebatur, eoſdem accedente reſpiratione reſeratos ſubeundo longiùs pellitur, aut evehitur altiùs. Quam ob cauſam? ut longiùs cordi adveniens, altiùs repellantur & efficaciùs; videlicet ad ultimos uſque *corticalis* ſubſtantiæ receſſus, quo roralem lympham aut *ſpirituum* materiem exportet. Artem illic aut inſtrumentum adeſſe oportebat, quo ſingulis ſenſuum & motuum organis, ſuum quibuſque roris illius demenſum diſtribueretur, quas implevere partes tubulorum poſitiones; ſitus, curvaturæ; verbo, *determinationum directionum*ve rationes. Toto novem ſpatio menſium in id incubuit natura, ut cerebri tubulorum millia evolvendo, figuras illorum, poſitus & proclivitates ordinaret formaretque eorum menſuras, capacitates & diametros, his autem partium modulationibus accommodans ſe ſanguis appulſus, ſuum ſingulis tubulis demenſum dividit, quod circulationis & tritus legibus & potentiis tractatum, in ſuccos organis quibuſque proprios evaſit. Inde exurgit, ſuum cuique organo dari ſanguinis circuitum qui ſuo cuique proprio ſucco præparando laboret. Hujus rei fidem facit oculus, cujus humores, ſingularis & propriæ illi circulationis fetus aut opera ſunt. In alterum cor venit exemplum, quod dum univerſi

corporis circulationi ſervit, privato donatur ſanguinis circuitu. Unde ratio patet, propter quam tam numeroſis, tam variis, tamque multiplicibus vaſculorum glomeribus, flexuris & curvaminibus conſitum cerebrum videatur atque reſperſum, vaſculorum, inquam, mille *piæ matris* plicaturis fultorum; profectò per tam multos tubulorum mæandros, ſanguinem ferri decebat, ut multoties iterata ſyſtole atterererur, qui in ſuccum omnium tenuiſſimum evadere debebat; tot aliunde membranarum fulcris indigebat ſuccus ille qui quò ſubtilior erat, alieno indigebat fulcimine, quò in ſuis *directionibus* ſuſtineretur, ne aut vaporaret, aut ne deerrando *ſecretoriorum* oſcula præterlaberetur ſecretioneque ſua caderet. Solemne enim naturæ eſt, membranarum opera, tum ſuam partibus ſingulis tueri *ſyſtolen*, tum illam ad penitiora partium propagare. Sic omnes *corticalis* ſubſtantiæ ſinus ſubit *pia mater* tam conſtanter & aſſiduè; ut ipſum medullæ ſpinalis centrum ingrediatur, hac de cauſa quod ibi deliteſcat *cinericia* ſubſtantia, iiſdem quibus ſubſtantia corticalis uſibus dicata. Suis quoque membranulis cinguntur ſinguli nervorum villi, a quibus quidquid *ſyſtalticæ* vis habent aut potentiæ mutuantur. Ut ut ſit ex commemorata mirabili illa ſingularium ſanguinis circuituum ordinatione & harmonia, publica illa exurgit ſanguinis circulatio, qua regredientes ex ſingulis cerebri partibus ſucci ad cor revehuntur. Tam multa motuum concentuumve prodigia inceſſanter, ſimul & conſtanter fieri poſſe edocet æquilibritatis ratio, quæ cum *proportionum* legibus contineatur, ex inſita primùm a Creatore primis partium ſtaminibus ſymmetria & proportione, *æquilibrium* univerſæ animalis œconomiæ regimini præeſſe conſequitur; æquilibrium autem quod æſtimandum venit tam ex concordi circulationum ſanguinis, id eſt *fluidorum* motu, quam ex hujus conſonantia cum *ſolidorum* potentiis.

Sed huic æquilibrii neceſſitati aliunde adhuc providetur. Exſuſcitato, evectoque in recens nato, inſpirati aeris energia, inſimul *fluidorum* & *ſolidorum elaterio* (adeò ut ad ultimos uſque vaſorum fines, & univerſum corporis habitum fortiùs adigatur ſanguis & impetuoſius) periculum non leve fuiſſet ne ſanguis evibratus longiùs, æquilibritatis rumperet leges, aut incuneatus nimiùm, ad corporis centrum regredi nequiret, ſi potentia deficeretur, a qua ab habitu corporis retropelleretur. Sed talis potentiæ vices agit, nati recens corpori circumfuſus aer, qui quo maximè valet pondere & *elaterio*, æquipondii munus obit, cutem ſcilicet undequaque premendo, ſic ut pulſum ad habitum corporis ſanguinem repellat, cogatque ad circuitum: tantæ molis erat & negotii, illas artes, organa iſthæc aut inſtrumenta condere, quæ ſtabiliendo ſervirent, aut protegendo per univerſas corporis partes æquilibrio!

Mentis enim humanæ captum fermè ſuperat longitudo locorum, latitudo aut profunditas, receſſuum labyrinthus, meatuumque multitudo, quæ ſanguini in circulando permeanda ſunt: a capite ad calcem, a corde ad ultimam corporis peripheriam eundum eſſe ſanguini pro minimo erit, ſi conferas vaſorum multiplicium multitudinem immenſam, tum & illorum ſingulorum glomeramina, angulos & plicaturas; quarum nullæ præterlabenti ſanguini prætereundæ ſunt aut omittendæ, dato enim, quod in confeſſo eſt, vaſa eſſe ex quibus conſtat humanum corpus, eaque omnia plena eſſe; horum vaſorum ſingula ſuo ſucco plena eſſe conſequitur: porrò ex illis intorta glomeramina invenias, quæ evoluta ulnas 300. & ampliùs dabunt; unde ea exurgit immanis adeò vaſorum longitudo; ex quibus compinguntur viſcera, ut in longum exporrecta evolutave leucarum milliariorum ſpatia occuparent. Tales ſunt longitudines aut menſuræ, quas circumeundo ſanguis permeandas habet; poſthac tot vires, tot potentias aut elateria corporis œconomiæ tuendæ neceſſaria fuiſſe fateberis, ut tum com-

munis & publicæ ſanguinis circulationis, tum privatorum viſcerum aut partium ſanguinis circuituum tenor & conſtantia ſervaretur.

Difficiliores adhuc viæ aut aditus erunt ad partes, ſi denſæ fuerint, compactæ & duræ, quibus ſubeundis neceſſaria venit ſanguini appellenti vis eò major, quò ſolida pars minori ſyſtole donatur, quæ ſanguinis appulſus vel admiſſiones invitet aut adjuvet. Talis eſt oſſium conditio, quæ cum in edito recens ſolideſcant in dies, ſuccis ingreſſum omnem negarent, ni aeris affiatu pulſus ſanguis, reſeraret vias aut reſeratas ſervaret; tam longè enim ad vitæ tutelam propagauda eſt ſanguinis circulatio, circulationumque æquilibritatis aut conſtantia.

CAPUT XII.

De inſtituto à Creatore nutricatus genere, quò in recèns nato protegerentur juſſæ ab eo circulationis leges.

INSTITUTAS a Creatore fuiſſe in fetu circulationis, hujuſque conſtantiæ aut *æquilibrii* leges, evincit providentia illa, qua infanti nato proprium ſtatim parari voluit alimentum. Firmatis, ut oſtenſum eſt, partium potentiis, *directionibus* & elateriis, omni cura cavendum erat, ne tam æquabilis ordinatio interturbaretur; nimirum ut ſoſpes duraret tot in annos, quot præſtituerat Creator, cujus non in eo tantùm ponenda omnipotentia eſt, quòd res è nihilo condiderit, at in eo maximè, quòd ex nihilo conditas res, iis ornaverit dotibus & potentiis, quarum adminiculo in plures annos ſervari poſſint. Hoc ut exequeretur Creator, quas ſemel illis dixit leges, eaſdem ſecundùm conſilii ſui propoſitum pergere voluit. Sic, in utero compacturam *vaſculoſo-ſpongioſam*, *placentam* dixere, inſtituit, unde nutricatus mate. iam fetus traheret; a partu organum ſimiliter *vaſculoſo-ſpongioſum* aſſignavit, mammam intellige, unde lac ſugeret. Utrinque obſervabis compoſitionis & texturæ non abſimilis inſtrumenta, affinis proinde uſus & *mechaniſmi* futura, ſimilibus tandem obnoxia legibus. Unde *placentam*, mammam uterinam non malè dixeris, nam mammæ pectoralis inſtar, lacteum ſuccum ſeu lacteam *lympham* ſecernit in fetus nutricationem; neceſſariam illi adeo, ut ne ea careret a partu factus infans, curaverit natura, ut ſuccus ille locum non naturam, nomen non indolem mutans, in mammis illico paratus, nato recens in pabulum ſe objiceret. Naturæ autem titulo, nudum & ſine re nomen non accipies; architectícæ vis idea eſt ex proportionum rationibus & harmonia veniens; meliùs, ordinationis illius Creatoris legum, rerum ſeminibus inſitarum, quæ a matre ad infantem transferuntur. Qualis enim, amabo, manus quæ tam expeditum, tamque certum inſtituit uterum inter & mammas conſenſum mirabilem? ſic ut delinquentis uteri peccamina ſentiant & expient mammæ, cum bene ſe habente in gravidis mulieribus utero, tumeant lacteve turgeant ut plurimùm, languente verò fetu, aut minitante abortu flacceſcant lacteque plorent. At ſingularis adhuc & conſpicui magis uteri cum mammis amicabilis conſenſus argumentum eſt, alterna iſthæc officiorum & mutua reciprocatio, qua ceſſante a partu uterinæ mammæ alimonia fetus, mammarum ſuccedunt illicò vices, infantique in lucem venienti lacte litant. Vim qua enaſcatur id prodigii genus non aliunde requires quàm a directionum, *determinationum*ve rationibus, tum & a mutationibus *diametrorum*.

Memineris *lympham* fuiſſe *matrem*, ovuli cicatricula concluſam, unde

cepit

cepit *embryonis* nutricatio; neque præteribit ſucci *amnios* memoria, qui cum *lymphæ* illius primigenæ propagatio ſit, ingenii quoque illius dotes ſortita erit. Igitur quidquid illi *lymphæ matri* juſſit Creator, id omne retinuit ſuccus *amnios* nutritius, iis omnibus proinde gravidus proprietatibus, *tendentiis*, proclivatibus & potentiis, quarum ſemina condebat *lympha mater*. In hiſque habes congenitas *fluidorum* energias, motuumque leges, regulas & canones inſtitutos ab initio & ſolidis injunctos; à Creatore ergò manari vides utrormuque vires. Atqui juxta illas motuum leges neceſſum eſt, ut pulſus liquor & undequaque preſſus, eò recta tendat & adigatur, ubi reſiſtentiæ aut repagulorum minùs ſenties; hoc dato, ſubſiſtente a partu utero, tubulorum omnium ex quibus compingitur, quorumque opera ad placentam ſucci nutritii vehebantur, capacitates & *diametri* minuuntur: inſuper illorum parietibus conniventibus, preſſus fiunt, qui appellentes ad uterum ſuccos retropellunt, coguntque regredi. Ab ejuſmodi retrocuntibus ſuccis, ſanguinis *ſtaſi* aut *ſtagnationibus* mille objecta fuiſſent viſcera, ſed id ne contingeret mali, ita providit natura; mulierum pectori molles, laxas, bibulaſque partes adnaſci voluit, aſcititias ferè crederes, minuſque illis proprias, tam facilè iis carere poſſet illarum ſanitas, aut functionibus extraneis, aut peregrinis neceſſitatibus debitas, quandoquidem vacante utero ferientur. In partibus ejuſmodi quæ ad combibendum aut ſorbendum comparatæ ſunt reſiſtentiæ parùm, aut invitamenti multùm invenire debent ſucci ab uteri preſſu aut ſubſidentia expreſſi & remeantes. An alibi mirabiles mechaniſmi artes ſe produnt magis? anne *proportionum*, conſenſuum, conſpirationum illarum, quas rebus affixit Creator, quaſque omni humanæ mentis ſagacitati imitari nuſquam dabitur apertiora dantur argumenta?

Providam adhuc hîc obſervabis Creatoris ſapientiam, aut induſtriam architectantis naturæ; ſub primis illis partium formandarum elementis, arte opus erat, qua preſſim denſarentur ponenda illarum prima ſtamina, ut illis veniret durabile robur, conſtanſque firmitudo. Id omne firmitatis tantò magis neceſsarium illis erat, quantò major illis opus erat *elaſticitatis* virtus, ut animalis œconomiæ functionibus ſervire poſsent. Hoc ut ſuccedat, illa ſine arte ars quam adhibuit Creator in formandis embryonis partibus, ipſiſſima eſt qua natura utitur in firmandis partibus fetus & infantis. Quæ dudum fuit in ovo *lympha mater*, in utero facta *amnii* ſuccus, in lac a partu evadit; ſuccus ergo, ut ab initio ſummè diviſus, ita in *indefinitum* dividuus, ut poteenormiter ductilis, ad illam ſcilicet exporrigendus longitudinem, quam *embryo* granorum aliquot ponderis, ad plurium pedum & librarum molem crescendo aſsecuturus eſt. Unde ſuccum illum omnem intelliges, ut ſua in radice, ſuove in ovo tenuem mirabiliter, ita ſuo in progreſsu mirabiliſſimè tenuandum. Lactis ergo nomine concipies ſuccum *lymphæ matri* congenerem, hoc titulo nobilem, quod, quanta fuit *lymphæ matris* virtus granorum aliquot maſsulam ſic ampliandi, ut corpus, quale fetus corpuſculum eſt, in librarum fortè ſeptem aut octo molem emergat; tanta futura erit lactis energia, ut corpuſculum ſeptem aut octo librarum, in corpus centum & amplius librarum ampliet aut exporrigat. Hincne ſuſpicaberis differentiam aut rationem, quæ erit lactis inter & *lymphæ matris* tenuitatem, habere ſe ut 100. ad 7. at mirare magis, ne vel micam virtutis aut umbram eſſe in humano corpore, quæ a Creatore non manaverit. Potentiæ enim quid habet lac, quod non acceperit? acceperit, inquam, a *lympha matre*, quæ cum ab uno Creatore mutuata fuerit id omne quod tenet virtutis, ab eodem Creatore deſcendere quoque totam lactis energiam rectè concludes. Id autem virtutis, de tenuitate ſubſtantiæ lactis ſummè dividui accipiendum eſt; aliundenam enim illi veniret tantùm poten-

potentiæ? an a colore? albus est, omnium ergo colorum debilissimus, immo fermè nullus, tam splendet parùm! tam parum afficit! an a calore? vix tepidum est: an a mobilitate partium? spissitudini semper est proximum, tam facilè cogitur, aut coalescit! an a sapore? lacte quid dulcius? linguam feriens tam obscurè, palatum tam leviter vellicans. Hîc quoque igitur *infirma mundi elegit Deus*, ut alta faceret aut conderet magna. Unde procul hinc *salia*, *sulphura*, *spiritus*, non horum ratione operatur lac; opus erat partibus, quò plusquam capillarium tubulorum *diametros* clam & innoxiè subirent, subirent autem præterlabendo nerveas membranulas, ut crispari, lædi faciles. Sed quid non *spasmi* aut vellicationis non sensissent illius conditionis partes, a *salium* spiculis, ab igniculis *sulphurum*, a spirituum *explosionibus*? ad rem attinebat propiùs particularum minuties, quæ quo magis tenuatæ sunt & molis exiguæ, penitiora partium intimiùs penetrant; quæ quò plus massæ extenuando se & exporrigendo perdunt, eò minùs retinent impetus & motus, unde dociles & jugum passæ subsidere discunt, & quiescere amant: an aliquid ad nutricatus negotium & partium firmitudinem idoneum erat magis? hincque totam in adultis nutricatus rationem auguraberis.

Porro in lacte animadvertes *elateriorum* & æquilibritatis seminia. Vis illa resiliens & *elastica* in *puncto saliente* primùm observabilis, alternantis *lymphæ matris*, cum *systaltica* membranulæ qua continetur virtute, *elaterii* energiæ accepta tota referenda est. Sed hîc omnium quotquot futura sunt in adulto corpore *elateriorum* primordia recognoscas, quæ quam a fecundante spiritu conceperunt semel *systoles* & *oscillationis* vim ad omnes *lymphæ matris* posteros & congeneres succos, proindeque ad lac transmittunt. Contagii vim diceres, a partium affinitate, situ, *tendentiis* venientem, qua proclivitate & positura pares, sibi mutuò affrictæ partes, motus similes, aut pares motuum *rythmos* contrahunt. Id suadent succi nutritii cum ovuli *lympha* qua cum miscetur particularum similitudines; utrobique enim *elateriorum* millia concipito, iis similia quæ ab incubante aquis spiritu effusa fuerint in corpora omnia creata; intelligitoque ea a Creatore in motum comparata fuisse sic atque proclivia, ut committi secum & commiscerì solùm indiguerint, ut potentias ad motum, quibus gravida creata sunt illicò exerceant: agilium pugilum exemplum erit, qui luctari prurientes, inhianteque pugnæ, arenæ committi tantùm opus habent. At *succi nutritii* genus est lac, turgidum ergo erit iisdem elateriorum potentiis, quas *lymphæ matri* credidit Creator, easdemque quæ in hac fuerunt, vehet secum *oscillationis* & *æquilibrii* rationes.

At exinde *oscillationis* & *æquilibrii* exercitationes; in infantis corpore assiduè imposterùm agitandas venire ille intellget, penès quem erit partium infantis textura. Primùm se offert stomachus, ut tritus, sic *oscillationis* organum princeps, ad quem a mamma descendens lac, fibras illius vellicat, *systalticamque* vim illius promovendo, omnium totius œconomiæ animalis *oscillationum* maximè solemnem exsuscitat. Hinc enim intuere partem (stomachus est) omnium nerveam maximè, fibris *muscularibus* omninò contextam, totamque systaltica vi imbutam; de hac memineris, non ita pridem (in utero nempe) *oscillationis* officio eam vacasse, dum terendo, digerendo, coquendove *amnii* succo operam dabat: illinc observes appellentem succum (id est lac) *amnii* succo congenerem, hoc quidem ponderosiorem, at more illius *elateriis* gravidum; luctantium par nobile intueris, in arenam descendens & ad confligendum comparatum. Exorsuri ludi rationem & causam si quæris, aperiunt hinc ponderosioris in lacte quàm in *amnii* succo elaterii præsentia, illinc laxæ, deprimi exporrigive facilis membranosæ partis positus: videre videris aliquid grave aut

pon-

ponderoſum elaſticumve, ſtomachi fundum deprimens, quo inſita ſua vi elaſtica reſiliens, reciproci motus aut alternantis, id eſt *oſcillationis* ludum & rythmos exſuſcitat. His adde in infante lactente ſuctus vim & actum, quo agitatæ buccarum, pharyngis & œſophagi muſculares fibræ ad ſtomachum dirigunt *oſcillationis* undulationes. Porrò nota eſt atque confeſſa in cæteras microcoſmi regiones aut partes ſtomachi omnipotentia, adeò omnibus omnium partium affectionibus condolet! ſaltem comperti ſunt illius conſenſus & ſympathiæ cum ſingulis & præcipuis viſceribus, a quibus, cum offenſa ſunt aut impedita, redeuntes retrogradæque factæ *oſcillationes* mille mala ſtomacho apportant aut ſymptomata. Sic publicum eſt ſuccuſſo commotove fortius cerebro vomitiones ſuccedere; naſcente pulmonum *phlogoſi* aut inflammatione ægrum laceſſit vomendi cupido, unde tam mali ominis eſt vomitus, cadens in eos quos aggreditur *peripneumonia*, aut quos minatur *phthiſica* lues, obſtructo hepate vomituritio fatigat; utero laborante, aut in pallidis virginibus, aut mulieribus gravidis, aſſidui ſe produnt vomitus. Imò qua cum parte rationem non habet, aut non alit ſympathiam ſtomachus, quem lædit & ad vomendum emovere non infrequenter obſervatur *eryſipelas*, diſtantiſſimas licet & ultimas obſideat partes. Huc quoque pertinent vomitus enormes, ab impedito corporis habitu venientes, ſub primis variolarum inſultibus; tam verum eſt afflictis remotioribus corporis partibus ſtomachum condoleſcere!

Tot incommoda ſentit ſtomachus a cæteris partibus, ſed pauciora non ſunt nec minora quæ illis omnibus reddit aut infert. Teſtantur *cardialgiæ*, diri illi & exitiales affectus, ipſi non ſolùm ſtomacho, ſed & ad omnes corporis partes ſuam invehentes ſævitiem, ſic ut quaſi contagioſo malignitatis afflatu, validiſſimæ vires atterantur illicò; fatiſcenteſve univerſæ functiones fatale minitentur exitium. Huc accedunt tormina ſtomachi, ſeu *colicæ ſtomachales*, *hyſtericis* & *hypochondriacis* familiares, tantæ tyrannidis & imperii, ut omne corpus in conſenſum trahant, accitis primùm mille partium torſionibus, *ſpaſmis*, convulſionibus poſtremò ſuccedentibus, febre, *paralyſi*, *atrophia*, ſi incondita aut præpoſtera curatione tractatæ, in *chronicos* abeant affectus. Sed in univerſum corpus omnipotentiæ ſtomachi argumentum evidentius nullum ducitur, quam ab offenſa illa quam viſcera trahunt a prima, ut loquuntur, coctione, delicta cuius aut peccamina vix emendant ſuccedentes aliæ coctiones; quaſi tanti foret ſtomachi dignitas, ut vel illius errores revereri, aut adoptare tenerentur cætera viſcera. Ut ut ſit, eam eſſe paret ſtomachi *ſyſtalticam* vim, ut univerſo *ſyſtemati nervoſo* imperare videatur; ſed cum nervoſa ſint prima partium ſtamina, ſuſpicari nefaſne erit, nullam dari corporis partem quæ ſtomachi dominatus immunis ſit?

Eo ſub conceptu, ſtomachum habebis non ſecùs ac *ſyſtalticæ* vis modulatorem, *elateriorum* magiſtrum, qui quod intra pectus eſt circa ſanguinem cor, intra abdomen circa chylum ille erit, nimirum antliæ genus, hoc titulo præ corde ſingularis, quod ſuam tractando materiem, pellat non tantùm aut extrudat, ſed & elaboret ſimul & perficiat. Geminam enim in ſtomacho *elaſticam* potentiam obſervabis, alteram quæ confeſſa omnibus eſt, qua ſubigit cibos & coquit, quo nomine audit *chyloſeos* officina: id autem officii (& hæc altera eſt ſtomachi elaterii potentia) premendo exequitur, unde preſſus genus eſt *chyloſis*, prelumque aut preſſorium organum ſtomachus, exprimendo pellens. Huc uſque propagatam aut tranſmiſſam intueri eſt, inſtitutam a Creatore & ordinatam *elaſticitatis* energiam, quæ in *puncto ſaliente* exorſa moveri, in infante agitari pergit; cujus tranſmiſſionis inſtrumentum & via eſt ſtomachus, qui ſtationis intermediæ adinſtar *oſcillationum undulationes* a matre deſcendentes in ſe ſuſcipit.

Mo-

Motuum propaginis aut *communicationis*, ut loquuntur, vis est, qua consecutione quadam a motore ad mobile transit motus. Revera, ex quo à fecundante spiritu, intra ovulum excitari motum semel cœptum est, ab *embryone* ad fetum, a fetu ad matrem, a matre ad infantem incessanter is ipse motus successit. At ne locorum distantiis, missilis, cujus hic partes lac agit, labasceret vis, loco opus erat, unde aucto mittentis robore, missilis crescceret impetus aut redintegraretur. Is locus est stomachus, qui quò magis membranaceus est, eò nerveus est magis, elasticitatis proinde majoris capax. Reipsa, naturæ solitum aut familiare est, membranaceas adhibere partes, ubi elaterii plus opus est. Sic tunica densa est, quæ ovum cingit; membranaceus est sacculus *embryonis* corpusculum; membranæ sunt quarum medio grandescendo natat fetus; in quibus omnibus singulas fetus augminum epochas animadvertere est, juxtà quas accretionis gradus in fetu numerabis. Similiter, ne infanti perirent illæ ipsæ vires, imò ut acquireret eundo majores, promptuarium comparandum ei fuit, ubi cumulatis *elaterii* potentiis, oscillationum vires cumularentur. Huic officio se offert membranaceum quoque organum, stomachus videlicet; totus membranis constans, nervorumque fibris mille textus, sicque ad sentiendum paratus, ut quæ non sentiunt oculorum tunicæ, furialiter vomitu repellant *convulsæ* stomachi membranæ. Annæ ad *oscillandum* paratius aliquid aut expeditum magis? tam tenero textu parti opus erat, quæ appellentis lactis mulcimine agitanda veniebat, ut *oscillationes* per universum corpus perennaret. Ut enim ab elaterii potentia venit, quod sanguis a corde prosiliens ad ultimos usque viscerum recessus permeet, ab energia quoque elaterii stomachi venit, quod chylus stomacho pulsus, ad cor usque perveniat. Posthac non erit unde mireris virtutis tantùm stomacho tribui, ut pote cum chylo caracterem vivificum affricare debeat non solùm, sed & singulis partibus *tonum* parare suum, aut proprium *oscillandi* rythmum. Melius *oscillationis* opus est aut effectus chyli caracter, aut conditio singularis a propria stomachi everberatione proficiscens, qua tractatus modulatusve chylus ad circuitum habilis fit & ad nutricatum; adeo ut tum ad singulos universi corporis tubulorum *diametros*, curvamina, posituras dirigi, flecti, accommodarique se patiatur; tum ut nullis non tubulorum parietibus affigi se finat & adaptari. Tot autem naturæ consiliis aut necessitatibus ita provisum esse voluit Creator: non tantum prima rerum germina inter & corpora, quæ his ex germinibus emersura erant partium necessitudines aut affinitates, ordinisque legum harmoniam, concentum & symmetriam instituit, quæ impressos primùm motus, aut factas primùm *elateriorum* primigeniorum vibrationes ad postera corpora transmitterent, sed & pabulo cavit, quod partium functionibus tuendis esset idoneum, illarumque legibus, mechanismo & ordinationi concordaret.

Lac maternum pabulum illud est; in quo videas suis in operibus perennantem se Creatoris ordinationem, in illa videlicet similitudine lactis aut convenientia cum *lympha matre*, ceu succo illo primogenio, quem ovulo insevit Creator, ut in *embryonis* pabulum cederet. In utroque intueri licet substantiæ paritatem; pura enim puta aqua neuter est, sed in ambobus animadvertas succi aliquid aut glutinis tenuissimi; uterque constat laxis, mollibus & ductitiis particulis, iisque *homogeniis*, similis proinde aut cognatæ conditionis, textus & naturæ non adeò dissimilis, adeò ut quod de illis conceperis, de his certò affirmare liceat. De *lympha matre* nosti, illius fuisse tenuitatis, ut intactilia germinis stamina quiverit subire; compertum habes fuisse illam duci aut in longum exporrigi facillimam; denique ab illius particulis ut ut insipidis fermè aut fatuis, id omne roboris aut *elaterii embryonis* partibus venisse, quo grani unius massula in

corpus ſeptem librarum potuerit grandeſcere. Ex his omnibus lactis naturam æſtimabis; tenuium erit partium, aptum proinde ſubeundis tenuiſſimis infantuli partium *diametris*; ſummè ductile erit, ad illum longitudinis gradum habile, quem creſcendo acquirunt longiores adulti corporis fibræ: nec te emoveat lactis ſapor dulcis, *elaterii* enim illius capaciſſimum eſt, ope cujus per tres annos grandeſcet factus infans. At inde concludere in proclivi eſt, par eſſe lac augendo firmandove partium *tono*, neque proinde impar tuendis *oſcillationum* directionibus. Poſthacne impar erit ſervandis ſanguinis circuitus legibus, tandem perennandæ totius œconomiæ animalis ordinationi? roris enim inſtar, ut ut minutiſſimis *elateriis* turgentis, quo vegetant plantæ, roralis ſuccus eſt lac, cujus particulæ ut pote tenuiſſimæ, maximeque penetrabiles, fibrarum interiora ſubeundo, tubulorum quos formant parietibus, aſſiduo illorum *oſcillantium* affrictu corporantur, quibus *elaterii* firmioris energiam faciunt eò majorem, quò ex moleculis tenuioribus ſimul & mollioribus exurgunt. Exemplo erunt mechanicorum *elateria* quæ (ſi durabilia & valida voluerint) curant non ſolùm ut chalybs. unde emergent, ecoctus maximè & expurgatus ſit, *grani*, ut loquuntur, *tenuiſſimi*, ſubactique maximè & molliſſimi, qualis eſt *chalybs Damaſcenus*, qui cùm exquiſitior ſit, granis quoque conſtat minutiſſimis & albeſcentibus. Porrò ut chalybs qui diutiùs ſub malleo ſudavit, in lamellam ſummè *elaſticam* exporrigitur, ſic ſuccus lacteus intra mammas matris, ut decet excoctus, intra infantis ſtomachum, ſuccedenteſque illi canales & tubulos preſſus, tuſus & expanſus, in *elaterium* validiſſimum tenuatur.

Nihilominùs tamen ab illa *elaterii* energia, partium *ſymmetriæ* timebis nihil, aut ſanguinis legum *harmoniæ*; lactis enim rore, dum vegetat corpus, mulcetur, quantùmque roboris lac prodit, tantumdem condit & edit dulcedinis. Rigidæ, nec aſperæ ſunt lactis partes, quæ tubulorum villos mordeant aut aſperent, non tumultuoſæ quæ inſiliant, non ſeditioſæ quæ turbent, ſed ſociabiles quæ movendo agunt & agendo vellicant; ſociabiles puta, congeneratas, familiares, innutritas. Quippe ſic eſt; ab ovo veniunt, quæ obſervantur in adulto corpore lactei aut *lymphatici* ſucci cum partibus quas imbuendas aut rorandas ſuſcipit commercia, evolvendorum enim inſuccandorumve futuri corporis ſtaminum cauſa condita eſt *lympha mater*, vices cujus ſuſtinet maternum lac, & *lymphæ matris* nutui obtemperaturæ creatæ ſunt enutriendæ partes; creata igitur, juſſave has inter & illam mutua conſpiratione aut conniventia, ſibi incem ducatum ſponte præbent, aut obſequium reddunt. Iſthæc fortè mentis humanæ voluptuosè ſomniantis luſus aut commenta dices; ſed veritatem enucleabit creationis ſic mediatæ ratio.

Rei minuties eſt, aut materiæ punctum illæc germinis maſſula, quam ovum dixere; interim tam arctos intra limites ſummam corporis contineri concedunt, corporis autem quod ſi ex intuitu judices, ſex pedum altum eſt, ſi ex tubulorum, quibus conſtant illius partes, plicis & glomeribus metiri volueris, ad ulnarum millium millia aſcenſum intelliges. Eò uſque cum exporrigendis partibus *ſolidis*, inſimul elonganda venit tantula exigui *fluidi*, *lymphæ matris* ſcilicet quantitas. An amicabilis magis ſocietas? an major conſpiratio aut indiſſoluta magis? verùm aliundenè rectiùs duceretur inſitæ partium *elaſticitatis* origo? obvium eſt, *elaterii* aliquid contrahere ea omnia, quæ diutiùs plicata ſunt aut convoluta; adeò ut ſi denſiores aut crebriores, preſſæ magis aut multigenæ fuerint plicaturæ longè plus iis veniat *elaſticitatis*: adde quantò plus deprimitur *elaterium*, tantò altiùs reſilit. Hæc cum vera ſint, quàm prodigioſam aut immenſam acquirent *elaſticitatis* potentiam ovuli partes, quæ cum concipiendæ vix longitudini debitæ ſint, tam arcto tamen loco glomeratæ concludun-

tur?

tur? ad quantamlibet enim brevitatem contrahatur intra ovum futuri animalis partium ſumma, illarum nullam creſcendo revelabit, quæ inibi præextitiſſe defuerit. Ovorum ergò nomine concipies glomeramina vaſorum multiplicium, quæ plexa ſunt multoties, flexa & convoluta, quæ fecundatio pandit & explicat, exporrigitvè & evolvit nutricatio; unde reſilitionis genus erit qua curvatæ partes reflectuntur, dilatantur & in ſitus novos diriguntur; quod cum hinc potentiæ alicujus vim, illinc partium renitentium reſiſtentiam importet, naſcentis creſcentiſvè *elaterii* corporis partibus primigeniis inſiti ideam obtines; *elaterii* autem eò efficacioris, quò magis ductitio ſucco alatur aut foveatur. Qua enim arte pinguibus imbuere ſolent & inſuccare pelles & coria, ut mollia fiant ſimul & ductilia, qua induſtria oleis ſua tueri norunt & enutrire *elateria* mechanici; artibus iiſdem natura novit corporis partium ſtaminibus cum mollitudine ductilitatem, & cum ductilitate elaſticitatem conciliare. Idque totum artis (ut decet naturæ ſimplicitatem) in exiguo poſitum eſt; primùm in *lympha matre* ceu primigenia, tum in poſtgenita lympha ceu ſucco nutritio, aqueo, ſi credas oculis, at revera rorali, ditiſſimoque non ſpiritibus, ut loqui amabant, ſed ejuſmodi particulis, quæ ſuam partibus vim, *elaterium* & *tonum* ſufficiunt; verbo, illius virtutis aut energiæ, qua totam firment corporis *ſymmetriam*, univerſamque animalis œconomiæ *harmoniam* tueantur. Cuneos fortè cogitares, qui partes ſtatuminarent, at rigiditatem mollitudini ſufficere eſſet: *mechaniſmum* alterum ſuadet lymphæ conditio, ſuccus enim eſt villoſi aliquid habens aut lanuginis, lanuginis autem glutinoſæ, mollis atque ſequacis: villos ergò in *lympha* recognoſcas viſci aliquid habentes, internis vaſorum parietibus aſſiduo ſuo affrictu adhæreſcentes; ex his autem ſeriatim adunatis lamellæ coaleſcent, quæ vaſorum parietibus inſtratæ, fibris illarum, ſtratus novos ſupplendo, nutriendis ſerviunt, eædemque, ut pote renitendo ſequaces, tunicarum *elaſticitatem* ſervant aut augent.

Id ut ſuccedat faciliùs, ſic a Creatore cautum eſt. Succum nutritium qui ſanguinis pars alba eſt, globulos inter, qui partem rubram conſtituunt, eoſque verſatiles, lubricos & volubiles verſari voluit; adde intra vaſorum parietes compreſſiles, *ſyſtole* continua agitatos, qui utramque ſanguinis partem albam & rubram premunt, miſcent, pinſuntque & pinſendo pellunt. Annemodus utilior, aut ſagaciòr ars fingi potuiſſet, quæ ſanguinis uſibus reſponderet melius? ſingularibus motuum generibus, aut neceſſariis pulſionum directionibus addici ſanguinem non conveniebat; ſed his omnibus occaſione data morem gerere: itaque a natura factum eſt, ut coaluerit ex moleculis rotundis, flexibilibus, lubricis, nullius directionis ſpeciei addictis, imo pronis in quaslibet motionum ſpecies. Intelliges ſanguinis globulos, quos habebis non ſecus ac phalangas, quibus alba pars illius aſſiduè & neceſſariò volvatur. Inde certè ſanguinis circuitui facilitas venit & promptitudo; ſed alterius uſus adhuc erunt ſanguinis illi globuli, ut enim orbiculi verſatiles ſunt, rotando agunt, rotatuſque ratione, lympham in qua pervolvuntur, ſeu partem ſanguinis albam quaſſant, pandunt, attenuant, vaſorumque lateribus applicando affigunt. Verùm, ut *elaſticitati* partium, in quarum alimentum ceſſurus erat, utilis quoque eſſet ſuccus nutritius, cavendum adhuc erat, ne expanſus nimiùm aut plus ſatis in longum exporrectus, ultrà *elaterii tonum* elongatus, *elaſtica* vi caderet ſua; neceſſe ergo fuit, ut interea dum partium *ſyſtole* levigatus everberaretur, in elaterem curvari cogeretur, aut intorqueri. Id officii præſtant iidem ipſi ſanguinis globuli, qui rorati aſſiduè, ſucco nutritio ſe veſtiunt, ad ſuamque rotunditatem illum fingendo curvari docent; & ad elaterium formant, inſimulque aſſuefaciunt illum vaſorum præterfluen-

dorum flexuris mille, curvaminibusque illorum accommodant. Tanta fuit providentia Creatoris, qua nutritium succum ad circulationem informari voluit & erudiri.

CAPUT XIII.

De durantibus in infante cœptis, & soboleſcentibus in adulto novis ſanguinis circuitûs legibus.

AB ubere recens aut ablactatus infans, juris ſui aut arbitratus eſſe videretur, finito enim materni lactis commeatu, ceſſent oportet *elateriorum* commercia. quæ ſibi a Creatore manantia mater infanti ſueverat. Quæ ſi vera ſint, proprio marte, privatoque mechaniſmo ſua ab ablactatione vivit infans, miſſiſque alienis viribus aut potentiis, ſuis vigere diſcit. Ita ſane erit ſpectando mirabilem illam corporis humani ſymmetriam, ſtupendum *fluidorum* cum *ſolidis* concentum, incomprehenſam functionum harmoniam; quid non enim potentiæ: quid non virtutis ſpondet tantùm induſtriæ, ſapientiæ tantùm quod artem ſapit minùs quàm miraculum? Si addis non incertam ſupremi opificis providentiam, qua operis ſui tempora menſus eſt & annos, in proclivi erit aſſerere profectam ab omnipotente Conditore fabricam, improtectam non exiiſſe ex illius manibus, nec eorum ullo fuiſſe defectam, unde ſponte ſe ſervet aut tueatur. At illud miraculum auget, quod quantum illud induſtriæ prodigium eſt, tantum eſt infirmitatis portentum. Quidquid enim pulchri, quidquid magni condit aut prodit, id omne creatum eſt; ideoque ex ſe & per ſe nihilum ſapit; unde obtinet nihil, quod ab alio non teneat. Vera hæc eſſe de iis ex quibus conſtat corpus humanum, nemo eſt qui neget, de iis autem, unde duret atque fervetur, æquè vera ſunt. Undequaquè foris obſideatur, periculum impendet; quæ intrò veniunt, minantur inſidias; id omne diſcriminis urget eò propiùs, quò minùs eſt evitabilis horum omnium cum corpore neceſſitudo, ut pote quorum nullo aut afflatu carere poſſit aut contactu. Relictum ſibi tot inter diſcrimina infantile corpus nihil non incurriſſet mali, niſi id auxilii quod matri crediderat Creator, in iis omnibus condi adhuc curaſſet, quæ ablactato-infanti uſui eſſent. In hoc poſitum erat lactantis cum lactente commercium, ut inſtitutæ primùm a Creatore *æquilibrii* leges, a matre in infantem tranſirent; ſed ejuſdem virtutis erunt & auxilii, quæ infantis uſui venient, tanta cura providit ſummus rerum Conditor legum ſuarum perennitati atque tutelæ! hanc ob rem, ut unica ſui cauſa hominem condidit, hominis gratia inſtituit res omnes creatas. Inde fit ut habeat nihil rerum natura, quod obnoxium non ſit, ſeu quod de aliquo non pendeat: hoc facto diſcrimine, quòd cum rerum creatarum caput homo ſit aut Princeps, illius cauſa imprimis omnia condita fuerint. anne in perniciem illius aut exitium? Creatoris conſilio repugnat, quo hominum vitam ad certum annorum numerum definivit; cujuslibet igitur potentiæ fuerint univerſæ res, quæ hominem circumſtant; ut ut inimicent aut adverſentur tam dira vi, ut hominis corpus depaſcere valerent, tantæ potentiæ nuſquam erunt, ut inſtitutum Creatoris aut conſilium prævertere queant. Igitur hinc alteram adhuc ſibi vindicabit medicina veritatem, quæ ut creationis principio ſtabilimento eſt, ſic illius artis certitudinem adjuvat; pro comperto namque habebit nihil inesſe rebus, iis etiam quæ homini inſolentiùs inſultare poſſunt, quod definitum de vita hominis conſilium antevertere valeat; ampliùs a Conditore ſupremo

crea-

creatis rebus illud omne insitum fuisse, quod attingendo illi vitæ termino definito necessarium est.

Ea inter quæ a mamma infantem excipiunt, ceu quæ ablactati infantis alendæ vitæ serviunt, aer est. Cujus usus illi fuerit ab utero recenti ostensum est, cujus utilitatis, eidem ablactato, futurum sit, hinc palam erit. In cunis aut intra lactantis ulnas vagiens recens natus vulgatum est, quanta cura, parcimonia quanta, aeris usura possit indulgeri, cum enim a matre secundus tantùm alter sit aer, tenellulas adhuc pusionis partes depasceretur, si tota qua pollet vi, in eas agere illi concederetur. Ab ablactatione tale nihil infanti metuendum est, finito enim mammarum ministerio, ut vegetiori cibatui, sic fortiori aeris effectioni ferendæ par evasit; unde palàm & liberè aeri commisso, virtutem illius haurire datur plenius, quæque sugendo aut primoribus tantùm labiis delibare inevoluta elateriorum semina concessum illi fuerat, plenis buccis evoluta aeris elateria exsorbere licet. Neque temerè putaveris majorem *elasticitatis* aeris proventum ablactato venire, id boni efficit crebriùs exercitata inspirata aeris reciprocatio; cum enim quæ otiata fermè fuerant lactentium membra, moveri in ablactatis incipiant aut exerceri frequentiùs, sive molles inter & lentas deambulationes, sive dulces inter ludos, agitatoriave inter crepundia, in his omnibus retractandis, agitandisve infantibus venit non inutile corporis exercitii genus. Hinc intra pulmones irruens sanguinis impetus & copia major, *diastolen* illorum urget & auget, in appellentisque aeris elaterium nititur fortiùs, quod premendo exsuscitat: inde lucta major crebriorve aerem inter & pulmones, a qua quassatus magis, flabellatusque frequentiùs sanguis, agiliùs circulando ire redireque suescit.

At nullibi evidentiùs se produnt perennatæ sanitatis & vitæ leges, quas primùm instituit Creator, quàm in edulis quæ ablactatis infantibus propria sunt. Lactaria sunt, pultes & *panatellæ*, exanguia igitur exanimalia, non carnaria, sed de eorum familia, quæ alendis hominibus primùm designaverant supremus rerum Conditor; eò enim luxuriæ nondum pervenit, ut ut hodiè facta anormis, gulæ insana cupiditas, ut pulmentorum loco, intrita carnium aut jura suffecerit, in ablactatorum alimoniam. Igitur quæ illorum cibatui sunt, ut simplicitatem naturæ sapiunt aut benignitatem, sic Creatoris benedictionem referunt. Non enim sanguinem, non carnes aut animalia instituerat in hominum nutricationem, sed herbas & legumina, quorum prosapiæ sunt pulmenta quibus aluntur ablactati infantes. Itaque, quæ siluisse videbantur aut evanuisse tuendæ sanitatis leges, quas matri in fetum & infantem transmittendas indiderat Creator, in ablactatorum eduliis reviviscunt. Materno lacti vaccinum succedit, quod ut ut originis conditione diversum, in eò simile est, quod utrumque composituræ similis sit, exæquo constans iis globulis, quibus ipsum sanguinem constare conspicilla ostendunt. Certè, non ambiguum indè duceretur argumentum vaccinum lac non minùs quam maternum corpori humano nutriendo par esse, quandoquidem hujus ad instar, iis moleculis constare deprehendatur, quæ essentialibus partibus affines sunt aut congeneres. Tria igitur habes, maternum scilicet, vaccinum lac & sanguinem, quæ quamvis specie, colore & natura differre videantur, in uno tamen conveniunt partium essentialium concentu, texturæque parilitate, nec dissimilibus ad motum eumque similem *tendentiis*; in quibus omnibus instituti a Creatore ordinis vim qui animadvertere renuerit, ipso sub Sole amabit cæcutire. Quò loci mirabere providam simul & beneficam Creatoris manum! è nihilo emergens homo, nihilque nisi adscititium habens, eorum quæ tutelæ suæ necessaria erunt nullo destituetur: putabis de novo creari in dies artes & instrumenta quæ illum protegant;

stu-

ſtupendi quidem prodigii conceptus eſt, ſed quem longè ſuperat quod enarramus creationis miraculum. Quas enim germinibus dixit ſemel Creator motus leges, illæ ipſæ in embryone & fetu, in infante & matre, in ablactato denique & iis quæ ablactati nutrimento ab eodem Creatore inſtituta fuere, unæ ſunt; utrobique enim & in omnibus obſervabis eaſdem potentias ad motum, *tendentias* eaſdem, mutuos partium poſitus; ubique mutuas ad invicem conſpirationes, tamque reciprocos & amicabiles ſitus, tam ſimiles agendi rationes, ut in idem & unum conſpirare hæc omnia, tenderevè palam ſit.

Fidem auget rerum indoles, ex quibus fiunt infantium pultes, propria ablactatorum nutrimina; farinæ ſunt, in quibus refricari videtur *lymphæ matris* primævæ fetus alimoniæ memoria; quod enim ovo gallinarum albumen eſt, quod ovulo mulierum nutritia lympha, hoc ipſum farina eſt tritici grano. Pulpæ genus eſt, aut ſuccoſa materies tanta elaſtica vi pollens, quanta vegetationi futuræ opus eſt, tantæ *ductilitatis* capax, quanta neceſſum eſt, ut in culmos plurium pedum altos, eoſque plurimos & multiplices exporrigatur. Hoc in propatulum ut veniat, numeraſſe ſatis erit non minùs quam ariſtas centum quæ ex unico grano egerminare poſſunt. Sed cùm a pandente, vegetanteque illo lacteo ſucco; qui diluta farina eſt, illam obtinent proceritatem, tantumque aſſequuntur numerum, intelligitur quantùm diffuſilis ſit oportet, *panſiva* aut elaſtica vis illius ſucci, qui appellentibus terræ & roris ſuccis turgidulus, tam longè lateve ſe diffundit. Porrò hæc omnia ſi cum ovuli mulieris fecundationis comparaveris, iſthæc inter ſe non minus quam *ovum ovo* ſimilia comperies, eaſdemque Creatoris leges utrobique recognoſces; quæ enim ab infante ab ubere matris ſemoto ab alienari videbantur in eduliorum viribus & potentiis, ad infantem poſt liminio redeunt. Sed illæ leges circulationis ſunt leges, a quibus incepit vita embryonis, eædem ipſæ erunt quibus impoſterùm pergent in ablactato infante circulatio ſanguinis & vita.

Tam facilibus & obviis dapibus, ex herbis nempè & oleribus, ali debebat & ſuſtentari hominis a creatione recentis, peccatique fatalis inexperti vita: imò verò, victu tam parco, tamque ſimplici enutrita, vix tandem aliquando ceſſatura fuiſſet innocentis hominis vita, quæ vel a perpetrato primi parentis ſcelere, ad plura annorum ſæcula durare potuit; fortè etiam durare perſeveraviſſet, niſi jugo mortis aut imperio ſtrictius adhuc & de novo gentem humanam mancipaſſet univerſæ *carnis*, ut habet Scriptura, *viarum*que illius corruptio, hoc eſt integra morum perverſitas. Exinde enim providente Creatoris miſericordia, ne *hominibus malum proni* pullulantia in dies peccamina ſecundo diluvio eluere cogeretur, peccandi occaſiones antevertere voluit, gulæ impotentiæ indulgendo carnium eſum, ne inobedientiæ facto jam periculo, in vetitumque niti ſolitus homo, inconceſſas animalium carnes glutire auderet, qui poſthabito Creatoris mandato, interdictum fructum attingere veritus non fuerat. Indecorum carnium eſus titulum! triſtem epocham! interim tam infelices dapes perditè amat Chriſtiana gens! carniſpriviumque ferè haberet non ſecùs ac ſanitatis aut vitæ ſcandalum! carnibus tamen carere potuiſſet, quandoquidem acta carnium copia, minui manifeſtè cœperit hominum vita. Ergonè conjicere vetabit Religio, amoris aut clementiæ argumento fuiſſe, de non edendis carnibus ſancitam a Creatore legem, qui hominem condendo ut maximè longævus eſſet, iis illum aſtringi voluerit eduliis, quæ conſilio divino, prorogando ſcilicet vitæ termino conducibilia magis erant: inde ſolvendo es illi objecto, quo carnium utilitates elevant aut protegant; utiles quidem aut conducibiles ſanitati eſſe eas Creatoris indulgentia, qui patris optimi more, *ſcorpionem pro ovo, ſerpentem pro piſce* non dabit; at indidem colliges, oleribus utiles eſſe minùs,

nam

nam utrobique licet recognoscas Dei beneficia, in oleribus tuendæ hominum vitæ assignatis observabis Creatoris opera sua condentis providam sapientiam, in carnibus verò concessis Dei miserentis indulgentiam. Has ergo & adoptat medicina, sed qua ratione producendæ vitæ idoneas minùs sanxerat illas Creator, conservandæ sanitati ut aptas minùs eas tamen indulgebit.

Rationem ostendit corporis humani textura. Primo confesso habetur, licium illius ex vasculorum filis innumerabilibus textum esse, tum & maximam *fluidorum* seu sanguinis iis vasculis contenti partem, albam esse & *lymphaticam*; hoc ipsum confirmante calculo, quo patet decuplam esse in sanguine albæ partis quantitatem; quibus si addideris, qualis est partis albæ sanguinis ad rubram ratio, talem circiter esse, ejusdem illius albæ partis quantitatis ad solidarum partium mãssam, qualia sunt 20. (quod in homine robusto sanguinis mensura est) ad 180. (quod in eodem massæ corporis pondus esse potest) facilè intelliges quæ alendo corpori humano aptiora erunt edulia. Hæc certè erunt quæ gravidandis insuccandisque *solidis* partibus magis erunt idonea, cùm eo tendat nutricatus ratio, ut molis plùs & magnitudinis sibi faciant *solidæ* corporis partes. Sed aliunde compertum est, albam esse vel *lymphaticam* sanguinis portionem, quæ in nutrimentum corporis cedit: concludendum ergò superest, aptiora esse nutricationi edulia, unde sanguini redibit portionis albæ proventus major. Ejusmodi indolis erunt animalium carnes, quæ suo quem præ se ferunt rubore, sanguinis partes quibus turgent ob oculos ponunt, rubram nempè illius partem? ex adverso expendas olerum, fructuum, seminumve succos; albidi sunt & *lymphatici*, de *mucilaginum*, pulparumve genere, ad *lympham* sanguinis nutritiam proximè accedentes, colore, vultu, sapore; affines diceres aut cognatos, tam bellè *lympham* nutritiam referunt, aut æmulantur.

Perperam elevabis carnium conditionem, hoc titulo, ut ajunt, præ oleribus commendabilem magis, quòd illæ succi plus habeant & juris, hujusque cocti meliusque subacti; qua de causa, ut stomacho negotii minùs facessunt, in vasis tenuantur magis, faciliùs distribuuntur, uberiorique transpirationi excernuntur.

At hic malè sanus est vulgi medicorum error. Quasi affirmares ideò præferendum esse vino *spiritum vini*, quod defecatior sit, subtilior, coctusque magis; sed quanto sanitati offendiculo esse consuevit ejusmodi conceptus, malo suo experiuntur, qui *inebriaminibus* ejusmodi delectantur; invenias enim neminem qui stomacho laboret frequentius, adeò ut cruditatibus nemo objiciatur crebriùs quam qui *spiritui vini* indulserunt. *Sed ne extrà oleas*. Saltem palam est eam esse indolem succorum, qui ex oleribus proveniunt, ut cum alba sanguinis portione meliùs congruant; quibus de causis, iisque pluribus, modo dictum est; alia tamen addenda venit ratio quæ rem evincit. Coctio major quam in sanguine appellant, a rubedine concluditur, ex purpuræ enim nitore bonitatem sanguinis afferunt & defecationem; atque in globulorum lubricorum maximè & volubilium coagmentatione positum esse sanguinis ruborem sensibus demonstratur, argumento non ambiguo, nutricationi incongruam esse partem sanguinis rubram.

Est enim nutritio linitûs genus aut incrustationis, qua nutritiorum succorum particulæ, non secùs ac tessellæ tenues internis vasorum parietibus filatium, lamellatimque applicantur, affricantur & adunantur. Conveniuntnè tali trulliſſationi globosæ particulæ, lubricæ imprimis & volubiles, ut situs omnis & quietis impatientes, sic quoque elabi gestientes? Congruens certè magis erit lenta materies, mollis & flexuosa, adhæsus amans & compactionis; qua cum si conferas oleraceos, farinarioſvè succos, si illorum particularum textum,

figu-

figuram, colorem, habitudinem; quàm proximè accedant ad albæ ſanguinis partis ingenium & conditionem recognoſcere erit; proindeque nutricationi præ carnariis ſuccis maximè idoneos.

Indultum igitur a Deo carnibus animalium alendi jus agnoſcendum eſt, ſic tamen ut ſecunda Creatoris voluntas, cujus prior aut primaria hæc eſſet olerum prærogativa. Sine pœnitentia enim ſunt dona Dei, unde quæ illo creante ſemel inſtituta ſunt atque conceſſa, conſtanter perſeverabunt. Itaque olera ſunt adhuc quorum clientelæ creditæ ſunt ſinceræ Creatoris voluntates primaque decreta: (a) *Dixit Deus, ecce dedi vobis omnem herbam..... olera virentia & univerſa ligna..... ut ſint vobis in eſcam.* In his ergo condi voluit nutricatus energias, potentias aut leges, quas in humano corpore exerendas, explicandaſque haberent, tùm & convenientias, quibus cum humani corporis *mechaniſmo* & ordinatione congruerent; ſubintelliges circulationis leges, his enim continendis deſtinata fuiſſe olera liquet, in quantùm a laudabili chyli conditione manat ſanguinis circuitus felicitas. Verùm, quod oleraceorum eduliorum jus imprimis elevat, boni nihil aut tolerabilis habent ad nutricationem animalium carnes, quod non ferant acceptum ab oleraceis; nam quòd in laudabilia alimenta adoptentur, annè alia de cauſa, quod ex herbarum ſuccis coaluerint. Hinc carnes animalium, quæ ex aliis animalibus vivunt ex alimentorum *eachymorum* claſſe expunguntur; talia ſunt, *urſus, leo, corvus, accipiter*, &c. quæ animalium carnificina nutriuntur. Sic & inter cupidias & mera gulæ irritamenta numerantur potiùs *anſeres*, & *anates* qui ex inſectis, imò & bufonibus veſcuntur, quam inter optabiles dapes. Contrà dilaudantur quæ juniora ſunt animalia lacte materno madida adhuc & tenereſcentia, tum quæ ſelectioribus herbis paſcuntur, aut pinguioribus inſuccantur ſeminibus. Interim, ut ut aſpernabiles non habebis nomine hoc ſolo commendas animalium carnes; memineris id omne boni ſucci ab oleribus provenientis, quod in corpus noſtrum tranſmittunt, a primæva conditione ſua deſciviſſe. Fecerunt enim animalium ſtomachi eritus, vaſorum periſtole & ſucci illius in carnescompactura, *antinomiæ* genus, quo a primævis partium poſituris deflectentes ſuccorum herbarum quæ comeſtæ ſunt, particulæ ab iis quæ a Creatore poſitæ erant prioribus regulis recedunt ſervinntque ſecundariis, eis nempe quæ corporis *mechaniſmo* præſunt. Unde, ni obliteratæ, obſcuratæ ſaltem, corporis animalium mechaniſmi virtute, hujuſque imperio fractæ aut adulteratæ Creatoris leges, tuendæ corporis œconomiæ cujus cauſa inſtitutæ fuerant, pares minùs ſunt. Indene repeti dedeceret, ut primi ſic & noſtri ævi invectam hominum vitæ brevitatem?

Hoc omne ut in proſpectum veniat, vegetationi plantarum nutricationem corporis comparabis, inſitionique accretionem illius. Sub hoc conceptu herbæ ſuccum habebis non ſecus ac dilutum quoddam ex taleolarum myriadibus, quas creatione inſevit aquis rerum Conditor. Hinc concipies, herbarum ſuccos ipſiſſimas eſſe aquas quas in principio creavit Deus ejuſmodi germinibus ſeu taleolis fetas quas terræ combiberunt, & quas ſorbent herbæ, hæ autem ab animalibus comeſtæ, in illorum carnes faceſſunt. Porrò taleolarum exemplo (quæ arborum ſegmina ſunt hinc & inde truncata. obvia proinde perviaque aſcendentibus e terrarum ſinu ſuccis) omnem nutricationis artem intelligere datur. Solutis intra hominis viſcera animalium carnibus, taleolarum quæ in eos tubulos, ex quibus coaluerant carnes ceſſerant, demolitio fit. ſic ut eædem illæ taleolæ, non ſecùs ac cylindrici tubuli, hinc & inde pervii, *lymphæque* ſan-

(a) *Geneſ. c. 9. v. 3. Geneſ. c. 1. v. 29.*

ſanguinis patentes, ſeriatim vaſculorum internis parietibus, ut terræ ſuperficiei taleolæ, inſerantur & adhæreſcant; has taleolas ſubiens & perluens ſanguinis *lympha* dilatat, implet, vegetat, ſuoque glutine ferruminat & unit. Inde venit diſcrimen quod intercedit ea inter quæ ex carnibus, & ea quæ ex oleribus ſunt nutrimina; quæ ex demolitis carnibus proveniunt, rudera ſunt ſuccorum qui in ſubſtantias herbarum coaluerant, materiaturæ ergò quæ cum in compoſitionem corporis alterius venerint, proprios ſibi fecerant ſitus, ſingulareſve expertæ fuerant poſituras; quibus ut aptarentur, nativas quas a Creatore, hominis immediatè alendi cauſa, ſuſceperant *directiones*, deponere debuerunt & exuere, ut ea quæ animali nutriendo conveniebant induerent. Secùs fuiſſet ſi olera ipſa immediatè homini alendo veniſſent, ipſiſſimarum enim Creatoris legum, *tendentiarum*, juſſarumque *directionum* non infidi cuſtodes, bona tam multa, tam ſingularia commoda humano corpori integra omnia & intemerata apportaſſent, quæ immutata, inalienata ad Creatoris mentem functiones illius regerent, œconomiamquæ tuerentur. Poſthac quænam ſint, carnes, an olera, quæ humano corpori nutriendo aptiora ſint facilè judicabis, quæve ſanguinis circuitûs tutelæ, perennitati & ordinationi fuerunt utiliora.

Intereà adoleſcit pueri corpus, vegetationumque ritu quæ in plantis eò tendunt non tantùm, ut in molem ſibi debitam aſſurgant, ſed etiam, ut de ſe emittant fructus; ſimili fit, mirabilique providentia, adoleſcendo corpus humanum, privato & individuo ſibi non ſolùm proſpicit, ſed & ſoboleſcendo ſpeciei providet aut poſteritati; hinc quaſi illi parùm fuiſſet ea protuliſſe organa, quæ vitam illi aſſererent, tunc expromit ea quæ vitam ex ſe prodituris ſuppeditent aut originem. Itaque matureſcente puero, non ſecus ac exorientia ſidera, emergentia videas organa; in his enim advertere eſt vegetationes novas functiones, opera nova, imò verò renovata mundi renaſcentis primordia; ubi mirari ne ceſſes beneficam æquè ac omnipotentem Creatoris virtutem! ille ipſe miſellus homo quem vidiſti nuper ortum è nihilo, ecce eò virtutis & potentiæ jubente Creatore ſic elevatus, ut proferendo de ſe hominum mundo par eſſet; quanto enim poſterum numero ex ſe proferendo ſuffecit conditus primus parens, tanto ſufficeret hodiernus homo. Prodigii illius futuri pignora ſunt aut teſtimonia teſtes in viris, in feminis uterus, hæ enim partes quæ hactenùs ſibi ſolis ſervierunt, usûs alieni mox erunt. Privato namque officio fungi pertæſæ, publico aut communi ſe devovent.

Labente tertio circiter annorum luſtro, corporis œconomiæ venit iſthæc nova facies; qua nata cauſa, aut qua data occaſione, perſpicuum facit partium utrique ſexui ſingularium conditio. Evolutio fuit, quæ huc uſque facta eſt corporis humani efformatio, ſed evolvendas inter partes explicantur ultimæ, quæ denſiùs complicabantur; quo dato partis nullius tardare diutius debuit evolutio quam teſtium in viris, & in feminis uteri. Teſtis filarium eſt unici tubuli qui continuus eſt, non interciſus, ſed orbibus mille aut flexuris diſtinctus, tamque multiplex, ut evolutus in trecentas & ampliùs ulnas exporrigatur; ubi ſi conſideres loci anguſtias, partis molem, longitudinem ductus, diametri exilitatem, induſtriam naturæ, operis laborem, breve ſenties inſumpti temporis intervallum. Simile offert naturæ miraculum uteri fabrica: Cavitas eſt vix aliquot lineis ab origine lata, tanti ſpatii illa ætate facta capax, ut corpus pede uno & ampliùs longum condere poſſit; fibrata pars eſt, cincta fibris vix digito longis, quæ ad palmas plures elongari poſſunt. Addideris tubulatam eſſe partem illam aut *vaſculoſam*, unde concludes in utero ut in teſtibus, vaſa eſſe aut ductus, qui ad longitudinem tantam prodocuntur; utrobique enim majorum corporis vaſorum ex-

porrectas appendices concipere datur, quæ cum vasis unde producuntur continuæ sint, ejusdemque cum illis diametri & figuræ, quæ cylindracea est, tùm & similis posituræ & directionis, resistentiæ nihil fluento succorum, qui a majoribus vasis afferuntur, objicient; imò verò patulæ ut sunt, invectos ex iis succos sinu suo aut capacitate ultro admittent. An ut illic torpendo itagnent, consideantve? ab animalis œconomiæ legibus abhorret isthuc moræ genus. Sanguis ergò, ut pote sequax, tùm & undequaque pressus protensos tubulos subeundo pererrat, illorumque flexuras peragrando circulat. Itaque ætas aut tempus est quo microcosmo orbes novi adnasci consueverunt; viris alter, quem testes in puberibus efformant, alter feminis, quem in viris maturis uterus effingit; quos cum circumactus intrà illorum ductus sanguinis necessario pervadere debeat, cuique sexui sub puberibus annis propria advenit circulatio sanguinis, eadem legum serie mechanismo eodem qui generalem ceu communem universo corpori circulationem cœpit perfecitve.

At verò cujusque sanguinis circuitus singularis terminus est non infrequens, succi alicujus circulatione elaborati *secretio*, quæ neque hic defraudabit, utrobique enim *secretionem* cuique sexui singularem succedere videas; in altero partis albæ sanguinis, qui succus seminalis est, adolescentibus singularis, rubræ in altero, qui sanguis menstruus est, adolescentulis proprius. Hincne temerè conjiceretur sanguinis partem principem esse illam quæ alba est, ut pote cum nobilioris sexus functioni propriæ designetur? ut ut sit quantùm duplici huic, naturæque duplicis, *secretioni* contribuat sanguinis circulatio, intelligitur illo ex renovamine quod sub pubertatis annis sexui utrique contigit. Juvenes narium hæmorrhagiæ fatigant, mentum illis lanugine vestitur, vox gallulascit; in feminis mammæ sororiant, prodeunt menses: in utrisque naturæ fit redintegratio, tantæ virtutis aut energiæ, ut egerminante pubertatis ætate sponte cessent chronici affectus, qui assiduas medentium operas eludendo, cuilibet medicaminum omnipotentiæ obsurduerant. Microscomo jubilæum tunc temporis contingere diceres, quo anteacta peccamina naturæ delerentur, aut illius obliterarentur delicta. Tam singularis eventus causa est in illam ætatem cadens absoluta partium evolutio, aut organorum illiusmodi perfectio, qua illorum tubulis contigerit elaterii satis, tùm & modus, mensura, *tonus*, capacitas & exitus, quæ *secretionibus* exercendis opus sunt. Ultima quasi manus est organis imposita, illam iis addens firmitudinem; qua tuitioni suæ retineant necessaria, superflua eructent; superflua dices, non impura, bonis etenim tam abundè dives natura, vel bona profundit. Ubi memineris *secretiones* illas, suo quasque sexui singulares, opera esse naturæ elaborantis bona, non ejicientis inutilia; quandoquidem eametipsa quæ modò *secernit*, ejus naturæ sunt, ut sanguinis circulationi aliquando reddita prosperè cedant, animalisque œconomiæ lucro apponi possint. Igitur, quæ sub pubertatis annis enascuntur circulationis novæ leges, eò diriguntur non tantùm, ut novi succi *secernantur*, semen nempe in viris, in feminis sanguis menstruus, sed &, ut hic & illud intra sanguinis fluentum redeuntia circulent non infeliciter. Reipsa ad sanguinem remeare semen ostendit cœlibum exemplum, qui vel *se castrarunt propter Regnum Dei*, vel *cum mulieribus se non coinquinaverunt*, qui certè feriante aut refide semine, morborum iliade afflictarentur, nisi apportatum a sanguine in dies, tam citò & innoxiè sanguinis fluento reportaretur. Eiusdem est fortunæ menstruus sangnis, qui in prægnantibus cohibitus, periculi nihil (si demas ineluctabilia gravidatis incommoda) sanitatis aut vitæ muniis apportat. Quomodo prosperè microscomo cedant aut commodè tam procellosi motus, variantes adeò vicissitudines, conversioneſque tam subitaneæ, intelligere est ex acquisita par-

tibus,

tibus, ſtabilitave circa pubertatis annos mutua *ſolidorum* cum *fluidis* ſymmetria, indeque manante œconomiæ animalis & legum circulationis harmonia; quippe huc uſque perennata eſt vis eadem aut potentia, a qua, ut pridem exorſa ſunt in protoplaſto germine primordia vitæ, in adulto corpore matureſcunt aut explicantur ſanitatis munia.

CAPUT XIV.

De ſanguinis circuitûs variantiis in Ephebis & in Virginibus; in Prægnantibus & Pueris; tùm & in lactantibus feminis.

SANGUINIS ergò circulationis augmentum & amplificatio illud eſt, quod ſexui utrique, ubi maturuerit, accidere conſuevit. In altero enim, qui virilis eſt *ſecretio* ſucci eſt; cui cum ſanguine remiſceri & circulare moris eſt; in altero, femineo ſcilicet, ſecreti ſanguinis excretio eſt, familiaris adeò ſanguinis unde exiit maſſæ, aut amicabilis ut illi cum temporis ratio poſtulat, ad ipſammet innoxiè regredi detur. Interim phœnomenon omnium, quæ ephebis accidere ſolent, author ille ſuccus eſt; ſic ut, molles & ignavos videas ſeminares aut eunuchos, imberbes, & omni ut virtute, ita & dignitate nobilioris ſexus miſere defectos. Unde pubertatem vegetationi non malè comparabis, ætas enim eſt novo fecundata ſpiritu, ſub qua non ſecùs ac ſub novo benignèque aſpirante cælo, omnia revireſcunt non ſolùm, ſed & egerminant nova. *Solidorum* elaſticitati amplificatæ, milleque elateriis, quæ regrediendo revehit ſeminalis ſuccus, exſuſcitatæ id omne imputabis. Alterum *lymphæ* genus eſt a *lympha matre* deſcendens, elaterioque primogenio fetum, unde animatæ pubentis nerviceæ partes, *oſcillationes* ebulliunt; a quibus de novo tuditati vaſorum parietes, quos vehunt ſuccos quaſſant vegetius, terunt, attenuant, eoſque circulationi habiliores reddunt, faciliores, expeditioreſque. Hinc *ſpirituum*, ut loqui amant, uberrima ſeges, meliùs nervorum *lymphæ*, ceu *ſucci nervoſi* copia major, creſcere tantò ſolita, quanto crevit lymphæ ſanguinis attenuatio. In his autem omnibus cernere eſt eoſdem naturæ in operando mores, eaſdem leges, par ingenium; etenim vitæ munia inchoavit & organa elaterii vis, eadem hæc complet & abſolvit; a circulationis legibus cœperunt, circulatione ſanguinis amplificantur; cœperunt a *lympha matre*, deſinunt in *lymphan*, *ſeminalem* nempe, quæ cum ovo fecundando par ſit, mater quoque erit excludendi fetûs, quem in lucem profert. Hic aliundè obſervabis non inutilem naturæ ſagacitatem, imò utilem commodis ſuis & uſibus propriis ſervientem; ſeminalis enim ſuccus; cujus cudendi cauſa integra abſumpſit annorum luſtra, ut primùm numeris omnibus abſolutus eſt, circulationis ſanguinis, ut optimæ parenti a qua natus eſt, quaſi gratus vices vellet rependere, obnoxium ſe reddit, ſuaque illi mancipat officia, cui dum ſuam acceptam refert exiſtentiam perfectionem reddit & complementum. Vivifica aura eſt, ſtimulo cujus aut eſtro vellicata fibrarum elaſticitas, ut vividiorem, ſic potentionem exſuſcitat *oſcillandi* vim; hoc autem ſubſidio opus erat promovendæ ſanguinis circulationi ſub pubertatis annis, ubi protractis longiùs & exporrectis plurium partium tubulis (*ſeminalibus* inprimis, quibus teſticuli glomerantur ea denſitate, ut inter centum ulnas & ampliùs reſolvi queant) e tam longinquo remeabilis ſanguis ad cor revehendus erat. Inſuper aliud commodi

ſanguinis circulationi exinde redit, impetus nempe vis, quæ cum a diſtantiis non parùm adjuvetur, eo fortior illa erit, quò longiores diſtantiæ fuerint; quo conceſſo; impetus quantùm accedet illis partibus, quæ centenariis ulnis creverint? artes hæ ſunt, aut leges ſub quibus humanum corpus elaborari vides; unde intelligas, quàm parùm ſit illud quod inſumitur materiæ, quam multùm induſtriæ, quod adhibetur! fluidi pauxillum eſt, quod in teſticulorum uſus cedit, perplurium ulnarum eſt, quod *ſolidis*, (tubulorum nempe menſuræ) adjicitur. Revera, quidquid augminis veniat corpori dum pubet, quidquid complementi detur omnibus illius functionibus, harum nulli tantùm additur, quantùm animali; partibus nullis tantùm, quantùm nerviceis. Hinc ſenſus acuuntur, ſapit mens, imaginatio colluſtratur, quæ quidem omnia ad animam ſpectant, at corpori ſingulare & proprium eſt vitium augumentum, quo pollent puberes, adeò verùm eſt in regimine œconomiæ animalis, deberi primas *ſolidis*, quorum complemento ac robori ſingulariter allaborat natura! interim, illud mediocre non eſt, quod *fluidis* contingit boni, namque tunc temporis ſanguis tenuatur, purgatur, perficitur; at ut hoc concedendum eſt, neque diffitendum alterum illud, totum hoc quod *fluidis* accedit optimi, aſcititium illis aliunde eſſe, a *ſolidis* nempe commodari, ut pote comminutionis, defecationis & *ſecretionis* omnis authoribus aut cauſis. *Solidorum* energiæ aliud argumentum eſt gallulantium vox ſeu raucedo pubentibus familiaris; ſonorum enim inſtar qui organorum ſunt effectus, organicarum partium modus aut effectio eſt iſthæc vocis vitiatio. Cum ergò chordarum ritu quæ plùs minùs tenſæ ſunt, plùs minùs acutus eliditur ſonus, ſimiliter deflecteute in puberibus gutturis fibrarum *tono*, primò abſona fit vox, uſque dùm illo ut convenit modulato clareſcat; fidicinum exemplo, qui dùm lyræ nervos tendendo, modulantur, inconditos primò & ſtridulos edunt ſonos, uſque dùm concordes illi facti modulate pulſentur & jucundè ſonent. Huc quoque facit barbæ germinatus, qui fibrarum cutis elaterii preſſus aut conamen ultimum eſt, quo excluſi pilorum bulbi protruduntur & germinant. Interim nec caſſæ, nec ſpuriæ ſunt ejuſmodi fructificationes, non ſecùs ac enim veri frutices ali poſtulant; in his ergò ſingulariter quoque circulabit ſanguis; qua lege, quo ordine, quo artificio, arguit tubulatorum ejuſmodi ſurculorum elaſticitas, menſuras, textus, & cum iis omnibus lentor & teneritudo, in annos tamen durabilis.

Clanculum, inconſciiſque fermè viris, ſanguinis eorum circulationi contingunt ejuſmodi acceſſiones; at manifeſtæ ſunt & obviæ ſenſibus quæ feminis accidunt. In his ipſa ſanguinis purpura excernitur, meliùs, ipſemet purus putus ſanguis foràs effertur. Igitur amplificatio quoque eſt ſanguinis circuitus, qui cum plures per annos ad uterum per arterias advectus per venas immediate ad cor revehebatur, tertio tandem labente annorum luſtro, carceres tranſiliens elabitur. Ratio eſt elaſticæ virtutis argumentum, quæ in adultis virginibus, non ſecus ac in ephebis dictum eſt, ætate matureſcente creſcens, ut preſsùs aut oſcillationis vegetioris, ita fortioris impulſus aut impetus capacior evaſit. Sic eſt, at aliam eamque propriam magis cauſam oſtendit in hunc ætatis articulum cadens vaſorum arterialium evolutio. Arteriacus enim tubulus eſt quodlibet excretorium vas, quem emergere oportet, antequam *ſecretio* prodeat aut exerceatur. Neque remorabitur ſucci ſecreti color cujuſcunque vultus aut faciei ille fuerit, arteriacus tubulus eſt quo educitur. Unde ſucci qui excernitur ratione, arterias non malè divides in ſanguinales, quæ ſanguinem ipſum arterialem vehant, & *lymphaticas*, quæ *lympham* arterialem excernant. Neque ſomnianti phantaſiæ dabis iſtud arteriarum diſcerniculum, innuit enim *puncti ſalientis oſcillantiſque* in illo ſucci albo, ad arteriæ

eſſen-

eſſentiam non omnino pertinere, ut ſanguinis purpuram contineat. Ut ut ſit, adoleſcente utriuslibet ſecus corpore, ſtupendum quàm densè egerminare neceſſe ſit *lymphaticas* arterias! vix enim concipiendo es, quoto numero enaſci oporteat *excretoria* vaſa quæ excipiendis mille ſuccis in dies emerſuris parata ſint. Interim vaſculorum *ſecretoriorum* numerum aſſequi ſi cupias, oſcilla numerabis, quibus eructantur ſecreti ſucci, namque tot ſunt *excretoriorum* exitus. Horum milliaria oſtendit inſpecta cutis ſuperficies, cujus ſingula ferè puncta, exitus ejuſmodi centenarios conſpicillis exhibent, tennes adeo, ut cæcorum emiſſariorum more fumanti ſanguini vaporarium in cute continuò parent. Hæc autem ſpiracula, pro tubulorum excretoriorum extremitatibus habenda eſſe conſtat, ea ex obſervatione non ancipiti, qua compertum eſt, nullum eſſe fluidum, quod ſui vaſis exſors ſit; porro vas illud arteriæ ſanguinali continuum eſſe evincit *injectio*, quæ ex idoneo liquore in arteriam ſanguinalem facta, in *lymphaticas* arterias tranſit. Immenſæ ſpiraculorum ejuſmodi, quæ *inſenſibilem perſpirationem* externam ſecernunt, multitudini, ea ſi addas quæ *inſenſibilem perſpirationem* internam fundunt, quibus omnes & ſingulæ membranæ madent, quibus viſcera fumant, quibus denique lenteſcunt fibræ, molleſcuntve numerandis, quæ illis oſtiolis continuæ ſunt, *lymphaticis* arteriis impar evades.

At quorſum, inquies, memorandum iſthuc non numerandarum arteriarum novum genus? videlicet ut cæterarum *ſecretionum* exemplo, *menſtrui* ſanguinis ſecernendi artes, rationes, *mechaniſmum* & leges intelligere detur; maximè cum partes inter omnes corporis humani, ulla vix ſit, quæ præ utero, *lymphaticis* arteriis luxuriet magis. Cum enim omnium maximè dilatabilis ſit, impluvii genus factus eſt, *lymphaticis* arteriis, non ſecus ac colliquiis aut elicibus undequaque pervius, quò perpluente undique roſcido ſucco aſſiduè madens, flexibilis fieret & ſequax. Verum, præter hunc, qui cæteris *ſecretoriis* communis eſt uſum, alterum obtinent *lymphaticæ* uteri arteriæ. Hic uſus ut in proſpectum veniat, memineris oportet, infinceras ſemper eſſe corporis quaslibet *ſecretiones*, cum eniſi tantæ non ſint rigiditatis tubulorum quibus excipiuntur, vehunturve diametri, quin appellentium ad ſe ſuccorum impetui cedendo aliquatenus dehiſcere queant, miſceri ſe illæ patiuntur, de ſuccorum, unde delibantur maſſa ſpirantes aliquid, aut evehentes: hinc liquet quantùm obſequibiles factos eſſe *excretoriorum* tubulorum parietes, dilatarique dociles oporteat, qui vi aut arte, ſuum ultrà tonum hiare non recuſant. Vis illa, qua morbidè coguntur diametri vaſorum, aut violantur tubulorum capacitates, & unde turbatis confuſiſve *ſecretionibus*, enaſcuntur morbi, aliàs tradetur, ſed artem qua vinci ſe concedunt, aut amant oſtendit uteri fabricatio aut *mechaniſmus*. Quindecim annorum hoc opus, hic labor eſt, qui a natura inſumpti ſunt in cudendis aut elaborandis tubulorum uteri menſuris, proportionibus, *tono*, diametris & diſtantiis. Uterus enim cavum viſcus eſt miris mille modis glomeratum, tubulis compactum brevibus, ſi ex eorum menſura præſenti judices; longiſſimis autem, ſi futuram proſpicias. De diametris idem eſt, in præſentia auguſtiſſimæ ſunt, in futurum dilatabiles maximè cochleis comparabis, quæ in ſe recollectæ breviſſimæ videntur, dum in ſe deſcendunt, at longiſſimæ cùm ad motum ſtimulatæ in longam tenduntur alvum. Sic eſt de uteri canaliculis, intra ſe coacti breviantur, at quaſi *vermiculari* motu explicarent ſe, in longum exporriguntur. *Elateris* genus habent mechanici aut artifices, quod *cochleam* nuncupant, anne exemplar hoc eſſet *elateris* illius, quo elongant ſe uteri tubuli? indecora fortè, maleque conveniens cum Creatoris majeſtate comparatio eſt, tolerabilis tamen, in quantùm humani conceptus

adju-

adjuvabit infirmitatem. Interea, innati partibus *periſtalticí* motus aut *oſcillatorii* argumentumne dari poteſt evidentius? at motus illius proprium eſt, a tubulorum principiis ad illorum fines ſuccos quaſi undulando deducere, adeo ut quò longiùs exporrecti fuerint tubuli, a diſtantiis longioribus *oſcillando* ille motus ſuccos reducet a diſtantioribus locis. At ecce vis illa, ſcilicet impetus quo cum deſcendens ſanguis per arterias ſanguinales, in *lymphaticas* arietando ſolito fortiùs diametros earum cogit, *tonum*que violat, unde proſcida *lympha* cui uni ſe ernendæ natæ erant *lymphaticæ* arteriæ, ipſiſſimum ſanguinem excipiunt, ſecernunt, funduntque. Phœnomeni illius comitem habes aliam cauſam, in *plethora* nempe, non generali quidem, quæ corpori univerſo oneri ſit, ſed particulari, quæ uni utero ſit incommodo. Dum per quindecim annos creſcendo ſeque evolvendo in vaſculorum numeroſiores orbes flectitur, ſinuaturve uterus, nova circulanti ad ſe ſanguini parat aut aperit implenda ſpatia, nova proinde illius ad cor reditui nectit moras; hincque nova veniunt legenda ſanguini, relegendaque veſtigia, quibus in circulando tardatus lenteſcit, lenteſcendoque congeritur in dies aut cumulatur, ſuaque gravis & pulſus mole, fortiùs irruit per arterias ſanguinales, quæ ſuccorum pondere moleſtatæ, vehementiùs premunt ſanguinem, & in *lymphaticas* in quas finduntur, adigunt. Sed cum ejuſdem poſituræ & directionis ſint *capillares* arteriæ tum ſanguinales, tum *lymphaticæ*, ut pote ex eodem trunco manantes, ex accedente preſsûs & impetus majoris vi intelligitur adacto ſanguini cedere debere *lymphaticas*.

Ullibine architectantis naturæ induſtriam mirabere magis? interim animadvertere ibidem eſt admirabilem non minùs providentiam; quod cæteris *ſecretionibus* moris eſt, ad *menſium* ſecretionem non attinet, ut enim continua, hæc eſſe non debuit, inſtituenda fuere temporum intervalla, ad quorum leges recurreret. Humani enim generis ager uterus eſt, cui ut terris ſerendis ceſſata ſua opus erant; revera ut aſſiduis nimiùm imbribus ebria terra, ſalis infatuati inſtar, ad nihil valet, ſimiliter continuò exuperante ſanguine ſatur uterus, fecundationi evaſiſſet inidoneus. Igitur ut rori fecundanti, ſic menſtrui ſanguinis utili rorationi, ſuæ ſunt dictæ leges, inſtitutæ ſuæ periodi, quæ menſis unius factæ ſunt; ſed qua arte, qua ratione aut arcano, ex eodem uteri fabricæ *mechaniſmo* eruitur. Narratum eſt, quemadmodum præoccupatum ſit quindecim annorum ſpatium in concinnandis, explicandis, ordinandiſve tubulorum uteri menſuris, proportionibus, commenſu, diametris, idem erit ac cogitaſſe, toto hoc temporis intervallo occupatam fuiſſe naturam, in formando, intendendo, modulandove fibrarum elaterio & *tono*. Sed elateriorum ſui ſunt intenſionis gradus, ultimumque rigiditatis punctum, quò cum aſcendit intenſa elaterii vis, ſua non ſecus ac laxata ligula retenditur; ſimiliter, cumulata lenteſcentis intra uteri vaſcula ſanguinis mole, ſuum ad ultimum intentionis gradum evecta fibrarum elaſticitas, ad nativum, unde extendendo ſe hæ receſſerant *tonum* regreditur, quemque combiberant ſanguinem redeundo ad ſe, ſeque deprimendo intra uterum eructant. Intra uterum, inquam, ubi alterum habes naturæ ſagacitatis indicium: mirum enim, quantùm conferat illa uteri cavitas, ad determinandam illam *ſecretionem*; hac *mechaniſmi* lege, qua preſſu aut *oſcillatione* pulſus liquor, eo ſponte evocatur ubi reſiſtentiæ minùs eſt; porro a tergo pulſus intra uteri vaſa ſanguis, horumque preſſu ad fluendum coactus, intra uteri cavum ubi minùs reſiſtitur, neceſſariò & certò dirigitur, derivatur, tandemque delabitur. Igitur in arteriis *lymphaticis* alterum obſervare eſt tenſionis gradum, qui nativus eſt, proprium formans illarum diametrum, propriumque fibrarum *tonum*, unde reſultat ſingularis ca-

paci-

pacitas, quæ *lymphaticam* ſuccum unicè admittendo expuit ſanguinis purpuram, tum & alterum qui adjicialis eſt, quo aſcendunt vaſorum fibræ, cumulatorum ſuccorum *plethora* turgentes. Adjicialis hic gradus is eſt quo perveniunt ſuum ultra nativum *tonum*, & innoxiè extendi ſe patiuntur *lymphaticarum* arteriarum fibræ. At iſtiuſmodi extenſione quaſi ſtimulata illarum *elaſticitas* ſe recolligit, in ſeque redeuntes vaſorum parietes, quos continent ſuccos premendo exprimunt & evacuant. Sic definitam habes menſuram periodorum, quibus recurrere debet menſium eruptio, cogitando menſuram hanc eandem eſſe cum illa temporis quo currente naſcitur intra ſanguinales arterias ſanguinis moles aut exuperantia talis quæ recludi aut dilatari cogat *lymphaticarum* capacitates. Atqui arietanti ſanguinis moli ingreſſum per menſem integrum intercludunt *lymphaticæ arteriæ*, quo exacto ab eadem adacta mole dilatari ſe ſinunt harum diametri; igitur intra menſem eò molis & impetus aſſurgit intra ſanguinales ſanguis, quibus non poteſt non cedere *lymphaticarum* arteriarum elaterium & *tonus*; menſibus ergo ſingulis prodibit iſthæc evacuatio. Sed quod prodigium auget, ad dies tantùm aliquot, abſque nimietatis periculo pergere hæc ſuevit; ut enim amica vis eſt, quæ *lymphaticis* arteriis facta eſt, amicè quoque componi cito ſe ſinit, idque ut eorumdem organorum, ita earumdem legum ratione; certo argumento, proprium ac genuinum eſſe omnem illum *mechaniſmum*, qui hîc in exponendis naturæ phœnomenis uſurpatur; in quo ſemper & ubique videas ſimplicitatem in multiplicitate mirabilem, ſtupendamque in ſimplicitate multiplicitatem. Etenim evacuationem hanc permiſit fibrarum elaterium, comprimit elaterium; fluente ſanguine detument arteriæ ſanguinales? decreſcunt ſimul ſanguinis moles & impetus, perit & illa vis *lymphaticarum tonum* aut oſcilla cogens. Verùm cum non adeo violatus fuerit *lymphaticarum tonus*, quin in ſe redire poſſint aut detumeſcere illarum parietes, vaneſcente mole unde tumebant, in ſe recolliguntur, ad nativumque redeunt *tonum*, ad ſuas capacitates, proprioſve diametros, unde lymphatico ſucco admittendo iterum redditi pares, *ſecretioni* illius unicè vacant. Sed eadem opera ſanguini admittendo impares facti omnem illi claudunt aditum, qui aliunde intra ſanguinales arterias repreſſus, ad venarum ora, a quibus ad lymphaticas arterias deflexerat, reflectitur, illarumque ductu revehitur ad cor. Interea, per cæcos & vorticoſos vaſorum quibus denſè texitur uterus, mæandros repere coactus ſanguis, lenteſcendo per uterum ambulat, in quo molis aut exuperantiæ in futurum menſem primordia poni obſervabis, ſic enim in dies detumendo minus quàm intumeſcendo vaſa, erumpendum ſanguinem cumulant ſenſim, ad menſtruamque evacuationem ſe accingunt.

Sic itaque ſe habent animalis œconomiæ res; in puncto quovis, quolibet in articulo explorandam ſuſceperis adminiſtrationem illius, eundem Creatoris digitum vides inceſſanter operantem. Quas in condendis germinibus, quas in fecundandis ovis dixit leges, eaſdem in formando fetu, in edendo illo educandove adhibitas intueris; eaſdemque denique quibus creſcit, adoleſcit, concipit, generat. Revera, gravida facta mulier, earumdem quoque opera ab imminentibus inde periculis ſibi cavet: *directionum & determinationum molis & impetus, capacitatum & diametrorum* mutationibus functiones viſcerum abſolvi, immutarive oſtenſum eſt; non diſſimilibus immutari innoxiè aut alio transferri in prægnantibus menſtruam ſanguinis excretionem hinc intelliges. Enimvero a violatis *lymphaticarum* arteriarum *diametris*, aut iis præter morem dilatatis in virginibus prodeunt menſes, ab iiſdem præter morem conſtrictis retinentur in prægnantibus. Re ipſa, conſtrictionis uteri genus eſt conceptio, qua de cauſa ingravidationis indicium non leve eſt, regionis uteri obſervata depreſſio: ſeu

ſemi-

ſeminalis aureæ eſt complexus, unde titillatæ quæ uterum ſuccingunt tunicæ, vellicantur, arcanaque & miti criſpatura in ſe redeuntes, *lymphaticarum* arteriarum dehiſcentia priùs oſcilla conſtringendo claudunt. Elaſticam vim concipito, qua firmantur tubulorum illorum parietes, hique connivendo magis, appellentibus aut derivatis huc ſuccis, reſiſtentiæ plus objiciunt aut repagulum fortius, unde quanto faciliùs ad uteri cavum, molleſque & patulos versùs tubulorum exitus deducebant ſuccos ab arteriis ſanguinalibus deſcendentes *oſcillationes*, tanto faciliùs illi retropelluntur, retropreſſis arctantium ſe tubulorum *oſcillationibus*.

Sed hic videas in *lymphaticas* ſubitò verti arterias, quæ modò ſanguinales erant; illæ enim ipſæ quæ excernendo ſanguini *menſtruo* in virgine ſerviebant, in eadem imprægnata ſecernendæ fetui *lymphæ* nutritiæ ſe commodant. *Metamorphoſeos* ejuſmodi rationem edocent *placentæ* cum utero adunationis ars & uſus. Inoculationis genus eſt, cujus opera vaſa matris cum fetus vaſis uniuntur, tum & decapulandi modus, quo è corpore matris ſuccus nutritius in fetus corpus transfunditur. *Placentæ* namque ut bulborum radicularum capillitium eſt, vaſculorum nempe capillamenta ex *chorii* ſuperficie egerminantia. Sed cum plantarum radiculæ vel in ipſas petrarum rimulas inſinuando ſe, ex ſolo vel infelici aut ſicco, id ſibi faciunt humoris; unde creſcant utiliter; ratione non diſſimili, ex ovuli tunicis emergentes vaſculorum tubuli (*a*), in uteri, quo devolutum eſt, vaginulas incidentes, radices figunt, ſuguntque ſuccos. Vaginularum autem nomine intelligas prominentia uteri oſcilla, quæ offerentibus *placentæ* radiculis, reſiſtentiæ minus objicient; revera obiciſne minùs veni & quàm iis ex uteri vaginulis quæ vocant, & in quas dehiſcere conſueverunt? in virginibus arteriæ ſanguinales? illæ enim vaginulæ oſcilla *lymphaticarum* arteriarum ſunt, quæ in gravidis a ſanguinalium officio ceſſant. Hinc liquet cujuſmodi ſit placentæ cum utero inſitus, inoculatio certè ejuſmodi vaſorum, quæ vehendæ nutritiæ *lymphæ* dicantur. Præterquamquod enim tali ſucco devoventur *lymphaticæ* arteriæ, talem quoque ad fetum apportent neceſſe eſt inoculata placentæ vaſa. Hæc igitur de *lymphaticorum* claſſe erunt, quæ ab arteriis uteri *lymphaticis* ſuccum ſorbentia ad fetum vehent, niſi fortè de *lacteorum* genere habeas, ut pote cum lacteum ſuccum fetui ſuppeditent. Saltem, quidquid ingenii adhibet natura, quidquidve habet apparatus in ordinando tranſitu lactei ſucci qui ab inteſtinis in lactea vaſa, & hinc in venam *ſubclaviam* aſcendit, hanc omnem imitetur artem in ducendo commeatu, qui a matre ad fetum deſcendit. Illic habes canalem aquarium, quo lacteus latex ad venas elevatur; hic quaſi aquarium vides quo lactea lympha in venas tranſit. Illic cernere eſt orbiculatæ compacturæ genus (meſenterium nempe) ex *membranis*, *glandulis* & *lacteis* vaſis conſtans; hic obtines *placentam* aut orbiculatam aggeriem, ex *tunicis*, *glandulis* & *galactophoris* vaſis perpluribus conſtantem. Igiturne *placentam meſenterio* comparabis? ſaltem cum non diſſimilis ſit in utroque apparatus, cum par ſit ars, parque officium, concludendum ſupereſt *lacteorum* quoque fui generis cauſa conditam aut inſtitutam fuiſſe *placentam*: unde *lactea* erunt aut *lymphatica* vaſa, quæ cum arteriis uteri *lymphaticis* inoculantur. Corporis ergo humani materiatura erit *lymphaticus* latex? ſed aliudne ſuadet aut prodit *embryonis* alituræ, fetuſque corpuſculi color, habitudo aut compactura? idipſumne non refert aut repræſentat annonæ genus

aut

(*a*) *Vid. Berger de nat. hum.*

aut conditio, quæ fetui intra *amnium* congeritur a reipſa ponito mixtam ſanguinis purpuram per *placentæ* vaſa ad fetum transferri, ſaturo colore rubro delibutum eum deprehenderis? imo, quod omnem eam conficit rem, an ſanguinis parte rubra, ea nempe quæ globuloſa & volubilis eſt aptè compingi crederes & ſolidè fingi corporis partes? Profectò ut ſe habet corporis humani membratura, quæ *vaſculoſa* eſt, ſeu tota ex tubulis ſtructibilibus conſtans, ex iis illud componi debuit materiebus, quæ ductiles eſſent & in fila exportigi faciles. Porro iſtiuſmodi materies ex lymphatico ſucco meliùs expectabis, qui cum lentoris aliquid habeat & glutinis, in longum protendi, & in ſtrata denſari facilè poterit.

Itaque ſingularis eſt matrem inter & fetum ſuccorum circuitus, non enim ſanguinis, ſed *lymphæ* erit; adeo ut *meſenterii* vice cujus inter membranas & *glandulas* ſerpendo repunt *lactea* vaſa, unde per canalem intermedium ſcandendo in *ſubclaviam* venam chylus tranſmittitur; membranaceum erit fragmen *placenta* dictum, matrem inter & fetum interjectum, cujus inter tunicas & glandulas ab utero ſorbtus *lymphaticus* latex, per *lymphatica* vaſa intra *venam umbilicalem* transfundetur. Si te morabitur nondum comperta ſatis horum vaſorum hanc intra venam apertura, ab errore te tuebitur confeſſa illa naturæ lex aut ſecundùm quam ſemper & ubique obſervabis, nullibi *lymphaticorum* exitus, aut aperturas niſi intra venas dari. Quod ergo intra placentam dari *galactophora* ſeu *lymphatica* vaſa compertum ſit & publicum, nullamque illic haberi alteram ab *umbilicali* venam, hanc intra deſinere & aperiri illa vaſa pro comperto erit. Sed aliunde communi animalis œconomiæ regulæ repugnat inoculationem fieri poſſe venarum umbilicalium cum arteriis uteri, *anaſtomoſin* enim venæ cum arteria uno ore pernegant omnes *anatomiæ* principes. Eandem ob rationem, crederene committas pro venis habenda eſſe *galactophora* illa vaſa, quæ cum uteri arteriis inoculantur; de genere arteriarum erunt, *excretoriorum* nempe illorum vaſorum in quæ findi deſinendo ſolent arteriarum trunci. Hoc ſub reſpectu *placentam* habebis non ſecus ac fragmen aſcititium, ſed glomeramen ex trunculis tubulorum arterialium, qui appendicum inſtar aut additamentorum arteriarum finibus adnaſcentes, tubulos earum elongant, earumque continuant officium. Interim, ut arteriis truncorum moris adhuc eſt, poſtquam ex lateribus ſuis excretoria protulerunt, in *lymphatica* vaſa deſinere, hoc ipſum hic quoque indubitanter uſu venit, *arteriarumque placentæ* finibus neceſſariò ſuccedent *lymphatica* vaſa, quæ quam exceperunt *lympham* intra *umbilicalem venam* eructabunt.

Inde ſe proferunt *lymphatici* laticis gemini fontes, unde aleſcit fetus, hinc enim proventus non mediocris illi venit a *lymphaticis* intra *umbilicalem venam* dehiſcentibus; illinc tamen uberior alter a tubulorum illorum ſecretoriorum myriadibus, qui intra *amnium* undequaque ſudant, adeo ut omnis *amnii* capacitas tota perpluat humore nutritio, eoque tam copioſo, ut balnei loco eſſe potuiſſet.

Ut ut ſit duplicis quoque circulationis intra *placentam* habes argumenta, *lymphæ* ſcilicet nutritiæ, quæ a matre in fetum tranſcolatur, tum & ipſius ſanguinis, qui ab arteriis *umbilicalibus* in ejuſdem nominis venas materna *lympha* turgentes præterfluit, ad fetus hepar regreſſurus. Adhiberi autem debuit iſthæc miſcela, hinc *lymphæ*, ſucci nempe compactilis, unde ſternerentur prima partium ſtamina, illinc ſanguinis purpuræ, globuloſæ ſcilicet & circumvolventis ſe illius materiæ, quæ palangarum more ſuper ſuccorum ſtrata volvendo ſe illa denſaret, levigaret, complanaretque. Aliundene meliùs ſolidandis partibus potuiſſet provideri! at inſimul arguendane unquam veniet in medi-

medico *ſolidorum* cura, quæ in architectante natura tanta fuit! aliave de cauſa quàm quòd inde mananda erunt partium *elater* omnis, energia, *tonus*.

Interea, ut fontium ſua ſunt aquarum receptacula, ſic & illius *lymphatici* laticis ſuum eſt promptuarium; hoc erit uteri globatus apex, fetus capiti impendens, qui illi quaſi cælum erit; rorem vitæ ſtillans, affatimque fundens *lymphaticum* imbrem. Enimvero intelligas durante toto ingravidationis tempore, quo grandeſcit fetus, creſcere quoque uteri amplitudinem, inſimulque ſanguine multo omnia hujus cumulari vaſa; unde cum in ſanguine partis rubræ quantitatem longè ſuperat *lymphatica* pars, quæ alba eſt, hujus copioſam *ſecretionem* fieri debere facilè quivis intelligit. Interim durabit ſolùm hæc *ſecretio*, quandiu appellentis ad uterum ſanguinis impulſui cedere recuſabit *lymphaticarum arteriarum elater*, quem illico ſtrinxit ingravidatio. Huic antehac cedere & dilatari ſingulis menſibus utero moris fuerat; is enim modus illius & menſura eſt in virginibus, hac dubio procul de cauſa, quòd ultra menſem, ordinario impulſui obſiſtere nequeat elater uteri naturalis. Aliter in prægnantibus, in quibus adveniente a fecundante ſpiritu vellicatione, ultra uteri morem & modum tam firmatè ſtrictus eſt uteri elater, ut vel novem virtutis *elaſticæ* gradus fuerit aſſecutus, adeo ut, dum in virginibus ſemel in menſe ſanguinis impulſui cedere ſolent *lymphaticarum* arteriarum oſcilla, in prægnantibus non niſi exactis novem menſibus aperiri ſe ſinant: unde intelliges ut novem *tantis* plùs crevit uteri elater in prægnantibus quàm in virginibus, ſic neceſſarium venire ut novem *tantis* & ampliùs creſcat plùs in prægnantibus ſanguinis vis aut impulſus quàm in virginibus, ut ſanguini appellenti cedant & obſequantur *lymphaticarum* arteriarum oſcilla. Et hæc erit cauſa parturitionis, quæ ideo in nonum menſem cadit, quòd non niſi aucta novem *tantis* & ampliùs ſanguinis impellentis vi, ſuperari poſſit elateris uteri vis, quæ novem circiter *tantis* aucta fuerat ab advenientis ſpiritus fecundantis virtute. Verùm hic notabis *ſolida* inter & *fluida* æquilibritatis vim & conſuetudinem, cum eam quam intulerat fecundatio *ſolidorum* ſeu fibrarum uteri aſtrictionem, ſolvere poſſit aut relaxare *fluidorum* ſola vis aut moles. Cumulatum intellige ſanguinem per novem menſes intra uteri tubulos, ubi mole ſua & preſſu illorum excitando *elaterem* & elevando, conniventes vaſorum diametros dilatat & cogit, tuncque totus aut tota mole ſua in *arterias lymphaticas* irrumpens, inoculationum loca arietando quatit, quatiendoque ſolvet & fetum deturbabit; ſed id non impetus ſanguinis ratione ſola, non tantùm ob mutatas *fluidorum* motus directiones, ſed inſimul propter directiones mutatas *ſolidorum* undulantium. Illa enim a conceptu facta erat *lymphæ nervorum* directio, quæ os uteri internum ſtringeret arctiſſimè, ſed hanc auxit aſtrictionem conglobando ſe imprægnatus uterus, a centro enim ad peripheriam, & ab ore uteri fundum versùs tactæ tractæve uteri fibræ (ut loquuntur) *ſpirituum undulationes* ad os uteri dirigunt, ut illud ſtringant fortiùs, fetumque preſſiùs amplectantur. At exacto novem menſium intervallo ſedem ac locum mutat ſtringendi vis, nam quæ hactenus os uteri occupaverat, circa uteri fundum exerceri cœpta, dum hujus latera premendo coarctat, os uteri laxari ſinit & aperiri. Interea irrumpendo ſanguis in *arterias lymphaticas*, antiqua relegit veſtigia, haſque pervadendo in ſanguinales vertit, *lochiorum*que ſufficit materiem, uſque dum aliquot poſt diebus, ceſſantibus ſanguinis impetu & mole ad ſuum regredientes *tonum* aut ſuos ad diametros eædem arteriæ, officium mutent & in *lymphaticas* rursùs evadant.

At ecce hinc illicò ſe dabit ſuccorum nova *metaſtaſis*, proindeque ſanguinis circuitus altera facies. Detumeſcendo a partu uterus ſubſidet, ſubſidendo-

que

que se recolligit, unde pressionis genus qua arctando se vasorum diametri, hinc qui ad uterum appulerat determinatus sanguis, per uterum *lochiorum* forma foras exprimitur, illinc appellens alter aliò repellitur: at eò certè ubi invitamenti plùs aut resistentiæ minùs erit, si præsertim ibidem habitudinis aut structuræ cum utero similitudinem nanciscantur. Sed sic erunt *mammæ*, quæ ut & *uterus* sua cum placenta, pulposæ sunt, *vasculoso-glandulosæ*, verbo, artis illius & conditionis, quæ *lymphæ* nutritiæ ab utero deerranti locum concedant, aut hospitium. Sed hic sanguinis circulationis in puerperis status est, quo sanguis ab utero ablegatus, ad partes illas quæ tubulorum oscillis, diametris, colis tandem, cum iis quæ in placenta senserat, non absimiles sunt, in illis suam exuit lacteam lympham. Ille ipse pergit in lactantibus, ejusdem determinationis vi, qua semel ab uteri pressu ad mammas corrivatus est sanguis, motus namque species est, qui diu durabit, nisi gravi ex causa, determinatio altera adveniens, partium situs, contactus, diametros, *tendentias*, aut pronitates mutaverit: sed hæc mutatio non adeo in proclivi erit (in quo Creatoris constantiam in operum suorum, & consiliorum firmitudine mirari subit) quamvis enim sua cum uxore nutrice rem habere non revereatur vir parùm continens, officio nutricatus fidelior natura quàm nutricator, succorum determinationes ad mammas vix interrumpet, aut secretionem lactis interturbabit; sic ut a conceptu ferè tuta per plures annos lactationi vacare possit nato suo benefida mater.

CAPUT XV.

Quid vita? Quid sanitas? utriusque causæ, œconomia, leges.

AT formati fetus rationes & leges invenisse, nonne hominis vitæ est didicisse causas? uniusmodi enim est natura, adeo ut prima illius opera didicisse semel, cætera sit edoceri. Data igitur sanguinis circuitus notitia, unde exorsa sint infantis vitæ munia, uno sanguinis circuitu peremandas venire hominis vitæ functiones concipitur. Circuitus autem nomine nemini veniat otiantis in ambulando sanguinis itus redituve inutilis; nam ut in infante nutritii succi ordinatio ille fuit, quæ demensum illius partibus singulis dividendo distribuit, *lymphæ* unius causa institutum a natura fuisse sanguinis circuitum obscurum non est; maximè cum in embryonis corpusculo præ rubra parte sanguinis quæ ferè nulla est, alba luxuriet; hocque dato adhuc, *lympham* habebis ut materiem primam, ex qua primùm compactæ sunt nascentis hominis partes; fetusque vitam lanificio comparabis, ni mavis textrinæ, cui pro subtegmine erit *lympha* nutritia, quæ circulantis sanguinis ictibus partium staminibus adacta fuerit & applicita. Verùm artis ejusdem aut rationis erit hominis adulti vita, causa cujus ut circulabit sanguis, sic omnis versabitur lympha & impendetur, non unicè tamen, ut in nutrimentum cedat, cujus ferè unius usus erat in infantili corpore, ut pote cui insuccari tantùm ferè opus erat, at insuper ut omnibus adulti functionibus se commodet: tanta est lymphæ necessitas, quæ implendæ omni necessitati par est! hanc igitur tractare, tenuare, locare, circuitus sanguinis munus & officium est, quod tamen de illius parte rubra accipies, quæ in se & intra vasa circumrotata levigat lympham, dilatat, pandit, & ad ea quibus debetur loca propellit. Huic asserto venit inde veritas, tum

quod ex functionibus nulla ſit, quæ ad *ſecretionem* non referatur, tum quod nulla ſit ex *ſecretionibus*, quæ ad *lympham* non pertineat; meliùs quæ non fiat a *lympha*, quæ ſecretionum omnium baſis aut parens eſt. Saltem *lymphæ* cauſa aut miniſterio functiones exercentur omnes, harum namque aut alit potentias aut operas implet. Reipſa quaquaverſum oculis animi luſtres functiones quaslibet, ſingularum operas in elaboranda *lympha* impendi, vel intuitu primo videas. *Spiritus animalis*, ſeu *lympha* nervorum, *animalem* occupat, *naturalem* chylus, ſuccus nutritius vitalem; is labor eſt functionum illarum quæ principes ſunt, idem ipſe cæterarum eſt quæ his ancillantur. Flava lympha eſt quæ *jecur* exercet, limpida quæ *pancreas*, mucoſa quæ *inteſtina*, aquoſa quæ *renes*, ſuccoſa quæ *teſtes*, quæ denique cutem halituoſa. Hæc ſanè ſpectabilem in corporis æconomia *lympham* oſtendunt, aliunde tamen adhuc nobiliùs illa illuſtratur, namque cum *lympha* ſit quæ functionum magiſtræ præeſt, uno hoc titulo omnibus ab hac ut pote communi omnium fonte aut cauſa manantibus præficitur; porro cum ad *ſpiritus animales* ſeu *lympham nervorum*, quæ functionem animalem regit, hæc omnia ſpectent, ad illum ſanguinis circuitus, œconomiæque animalis mirabilem apparatum ſtupere ceſſabis, concipiendo omnem illum ab architectante natura ſuſcipi, ut ſucco omnium ut nobiliſſimo, ſic omnium corporis functionum communi inſtrumento perficiendo allaboret, laboris autem hujus rationem aperit operis futuri natura, quod utrumque hinc intelliges.

Spirituum gratia exercetur univerſa corporis œconomia, nempe ut vires ſibi provideat, quibus ſervet ſe aut tueatur, quæ cum a nervorum robore & *tono* veniant, eo unicè collimare debet omnis illius opera, ut eo definiatur nuſquam a quo pendet nervorum robur; quod cum nihil aliud ſit præter rorem illum *lymphaticum* quo nervi madent & imprægnantur, roris illius ſufficiendi cauſa aſſiduè illi laborandum eſt. Atqui aura levis eſt ille ros, tenuitatis tam immenſæ, ut dum ſenſus fugit & imaginationem, uni menti tantùm comprehenſibilem ſe det. Inde ſponte ſequitur, & dividuam maximè eſſe illam materiem quam verſandam habet corporis œconomia, & dividendi immenſam eſſe illius potentiam, quæ ſtupendum adeo diviſionis punctum aſſequi valet, eoque magis, quòd ſi conferas dividuæ iſtius materiæ *craſin* aut texturam, eo minùs dividuam illam concipies, quo magis lento ſucco, glutinoſoque & mucoſo ſit ſimilis.

Hinc chylus eſt lactis genus, ex ciborum craſſorum, multiplicium farragine non rarò emergens; molle quidem ſed denſum, vultu ſimplex ſed compoſitum, ſaporis unius & coloris, ſed multiplicis naturæ; quot enim quamque diverſis officiis ſerviendum illi erit! defecatum tandem ut videatur, tot intereà exuendum partibus quot viſcera ſunt aut incernicula, quot tubulorum capacitates aut excretoriorum *diametri*, quos ſuccis domandos habet aut inſtruendos. Sic comparatus hic ſuccus, ad hærendum cæſpitandumve, ut videtur, factus magis quam ad progrediendum, ſuo ſtatim ab ortu, vixque ſtomacho egreſſus longum ſimul & tortuoſum iter ingreditur; inteſtinorum fortè cogitabis difficiles & flexuoſas vias? pedum enim non minùs quàm tringinta longitudinem æquant aſt id certè ad immenſe longius iter præludium eſt. Metire animo a ſtomacho ad ſubclavias venas, ab hiſque ad ultimos vaſorum exitus, ultimaque *excretoriorum* oſcilla, locorum diſtantias & celſitudines, flexuras vaſorum & glomeramina, tubulorum anguſtias, anfractuoſaſque viarum ambages, vix concipiendo eris, qua arte ſuccedat, ut tardus ad gradiendum ſuccus, qui chylus eſt, ſpiſſitudineque tenax, tam longa altaque locorum ſpatia peragrare poſſit, tantaſque & tam multiplices reſiſtentias ſuperare. Ars autem hæc, circuitionis ars eſt, quæ ſic ſe habet.

Iſtiuſmo-

Iſtiuſmodi textus eſt ſuccus nutritius, ut ægrè in partes aut moleculas diſjunctas ſeparataſve diſcriminari poſſet, ſaltem ratione illa ſola diviſus, ſpatia locorum quæ vel mediocris forent longitudinis, vix replere valebit. At quia lenteſcit, tractitius eſt & ductilis, qua ratione *elaſticis* preſſoriiſve tubulis arctatus, ſtupendum quam longiùs duci poſſit aut exporrigi. Ejuſmodi autem ſunt vaſa corporis, arteriaca imprimis, quæ cum unius tractus aut poſituræ non ſint, in orbes verò & glomeramina hic illic & ubique flectantur, intra omnes quas componunt partes oſtendunt hanc *mechanices* rationem. Animadvertere enim hic eſt naturæ induſtriam non inutilem, qua locorum diſtantias & celſitudines abbreviare novit aut decurtare; namque vas illud quo texitur nniverſum corpus, unicum quidem eſt, ſi continuitatem ſpectes, hocque ſub reſpectu ſic longum, ut plura leucarum millia occupare poſſet; at multiplex quaſique interſectum, quoties in orbes, angulos aut glomeres flectitur: ita fit, ut ſucco nutritio, dum circulat, innumera hoſpitia parentur & receptacula, intra quæ mole ſub minima, a recollecta vero & iterata pluries ſyſtaltica vi coactus, preſſuſve in filum infinite glacileſcens rareſcit. Hùc accedit, undequaque corporis peripheriam circumprementis aeris pondus; cum enim ſingulas ſuperficiei corporis quadratos pedes premant aeris 2260. libræ, (*a*) ex quindecim pedibus quadratis quibus conſtat univerſi corporis ſuperficies, exurgit ſumma 39900. aeris pedum, quibus corpus circumprimitur: unde tubulatum, ut revera eſt, humanum corpus hauſtri hydraulici inſtar, quod preſſorium dicunt, quod undequaque ab aere preſſum, quos tubulis ſuis condit pellitque ſuccos, exprimit & ad fluendum cogit.

At verò quo tandem evadet omnis ille corporis univerſi preſſus? quid fructus inde reportabit animalis œconomia? quid vitæ, quid ſanitati redibit utilitatis? profecto id omne, quod vitæ muniis perennitatem, conſtantiam, integritatem aſſerere poteſt; in *fluidis* nempe fluxus facilitatem, in *ſolidis* flexibilitatem textus & mollitudinem, in utrique æquilibrium; ſuum enim inde venit liberum *ſecretionibus*, expeditumque exercitium ſupra ſenſus, omnes ſuccorum attenuatio, inceſſabiliſque ſpirituum proventus. Tot affert bona *ſolidorum elater*, quem preſſio fovet, cum enim *contractiles* villi ſint, ex quibus texta *ſolidorum* ſtamina, aſſiduo quo deprimuntur preſſu reſiliunt, eo promptiùs, quo reſilitionis quoque capaciores ſunt qui *ſolidis* ſub jecti ſunt & coerciti ſucci; *fluida* hi ſunt vaſis contenta, eo *elaſtica* magis, quod altera parte volubili lubricaque conſtet, tùm altera quæ hanc decies ſuperat, quæ cum fibrata ſit *elaterem* participat. Duplicem ſanguinis partem hic recognoſces, rubram, quæ globoſa eſt, & albam, quæ ſeroſa eſt aut *lymphatica*; duos quaſi pugiles, quibuſcum perpetuo velitantur *ſolida*, velitandoque *oſcillatorium* faciunt, ſeu vitalem motuum. Vitalem, inquam, vitæ enim functionum author eſt, ſanguinis circuitum perennando non tantùm (quæ ad vitam prima conditio eſt) ſed & ſuum cuique viſceri, ſuum imo cuique *diametro*, *excretorio*que ſuccum elargiendo. Sic hydraulicæ autliæ locorum habueris, quæ, quos ſuis ictibus *ſyſtalticis* pellit ſuccos, ex æquo diſtribuit; æquum puta id juſtitiæ genus aut regularitatis, quæ proprium non alium modulata quantitate, tempore ſuo, periodis certis, viſceribus ſuccum dividit, aquilegis inſtar, qui ex aquariis publicis ſic æquus depromit aquas, ut ſingulis quos inſtruit fontibus ſuum linearum numerum diſtribuat. Talis in humano corpore eſt œconomia ad quam ſuccos cogit mechanica neceſſitas; ſic loqui docet aut amat phyſica ratio;

(a) *Vid. Verdries, de æquilibr. corp. p. 36.*

tio; in qua humana eruditio conquiescere fuevit; at alia sunt supremæ rationis dogmata, quæ in creatis rebus digito Dei exarata introspicias. Ordinis hæ sunt æternæ leges, quarum ad normam institutus a Creatore partium commensus, spontaneam illas interponit necessitudinem, cui ultrò se dedunt & obsequuntur. Modo audiebas *solidorum elaterem*, pressum, *oscillationem*, hincque succedentem *fluidorum* exquisitam comminutionem; jam memineris sic a Creatore institutum esse vas aut tubulum quo *fluida* hæc continentur, ut ramos de se mittat aut tubulos laterales qui varii erunt textus, formaturæ, inclinationis aut diametri; posthac nunquid non in proclivi est concipere, interea dum per medium trunci principis fluentum abripitur fluidorum illorum moles, intra ejusmodi laterales tubulos systaltica vi adigi illam fluidorum portionem, quæ talis comminutionis gradus sit, ut illorum lateralium tubulorum diametris aut formaturæ accommodatus sit, dum quod supereſt comminuendum, in alios incidit tubulos, quibus ad cor circulando regreditur. Sed hæc est trunci arterialis expressa imago, hunc enim a corde progredientem contemplando, intuere ut e lateribus suis mittat canaliculos plùs minùs capaciores, ad *angulos* plùs minùs rectos, *acutos*, aut *obtusos* inclinantes, *systoles* plùs minùs participes, in quibus aut omnes suas servat, aut ex iis quasdam exuit tunicas, qui in *conum* modo, modo in *cylindrum* desinunt: videre videris incerniculum aut pollinarium cribrum, quod pro ut plùs minùs succutitur, intra foramina quibus pertusum est, pollinem subtilem plùs minùs aut crassum secernit. Sic fluidorum moles a corde adacta fortiùs intra lateralium trunci tubulorum *diametros*, quassa inibi agitatavè *oscillatorio* illorum motu, tenuatur, comminuiturve; adeo ut pro vario comminutionis gradu, hos aut illos tubulorum lateralium diametros aut oscilla subeat, unde variarum *secretionum* materies & ratio; sed hanc utramque adhuc pleniùs definient angulorum inclinationes, quas tubuli illi formant ex arteriæ trunco exeuntes, ut enim illi fuerint recti plùs minùs, acuti aut obtusi, hiant aut arctantur plùs minùs, proindeque certis comminutionum gradibus paratiores fiunt aut accommodatiores.

Sed secernendis, discriminandisve variis fluidorum succis, serviet maximè partium quibus fluida constant diversitas, quæ duplex tantùm in sanguinis mole est, in albam enim rubramve partem tota dispescitur. *Oscillatorio* quidem vasorum motui utraque ex æquo subjecta est, sed alterutra tantùm, ut pressui cedit facilius, ita facilius tenuari se finit. Hujusmodi esse rubram sanguinis partem negabit ille qui noverit, ut volubilem, sic lubricam illam esse; proindeque fugiendis, declinandisque tubulorum lateralium hiatibus aut oscillis accommodam; maximè cum quo momento occludi sibi sensit tubulorum lateralium oscilla, eodem aliorsùm reflectitur, eo versùs scilicet, ubi minorem inveniet resistentiam. Arteriæ sunt aut extremitates in quibus in venam desinit arteria; ibi enim ut suam hæc muscularem exuit tunicam, hac ratione ut magis fit dilatabilis, ita & fugienti a tubulorum lateralium oscillis sanguinis parti rubræ, resistentiæ minus objicit. At altera adhuc nascitur hic ratio, propter quam pulso sanguini resistentiæ minùs circa arteriæ fines objicitur; ut enim arteria in apicem *coni* desinit, ideoque desinendo arctatur, sic vena ab apice *coni* oritur, ideoque progrediendo patescit, unde sequitur angustiores esse arteriarum exitus; ampliores verò ingressus venarum. Itaque cum sanguinis rubra pars, comminutioni subjicitur minùs, minùs quoque ad secretiones comparata erit, quod de alba non affirmabis, quæ cùm sequax magis sit & arteriarum ictibus obsequibilis, vi illorum tractari se ac dirigi patietur lubentiùs.

Sanguinis ergo alba pars aut lympha *secretionum* fundus est & materies,

quo

quo loci inſtitutæ primùm a Creatore legis conſtantiam intuebere! in *lymphæ* condi voluit in ovulo rudimenta vitæ, in eadem poni voluit vitæ fomites & alimenta. Succum ergo *lymphaticum* habebis ut conſiliorum Creatoris cuſtodem atque ſequeſtrum, ideoque ſinu tuo condentem motuum omnium, *tendentiarum*, pronitatum & potentiarum ſemina, quæ *lymphæ* inpoſterùm exercenda credita ſunt. Quod enim conſtanter fieri cernimus, quod a mortalium nemine nec producitur, nec produci poteſt, hoc affirmaveris a Creatore factum. Illud enim ſive corpus ſit, ſive corporis modus, utrumque *entis* genus erit: ſed *entium* omnium conditor eſt Creator; unde illud a Creatore veniſſe concludendum eſt. Ut enim nihil ſub ſole novum eſt, aut de novo conditum, certè aut res, aut rerum ſemina creata ſunt, ſic ut nova tantùm ſit occaſio qua revelantur abſconſa, unita ſolvuntur, uniuntur diſperſa, aut emergunt quæ ſuis erant involuta ſeminibus. Omnia hæc ſua in radice opera ſunt Creatoris, quæ homini ſine homine ſe dant, ſine homine, inquam, ut rerumopifice; cum homine tamen, ut Creatoris conſiliorum adminiſtro; aliundè non eſt cur id providentiæ genus Creatori deneges, in condenda lympha, cùm enim quidquid ſubſtantiæ eſt creatum fuerit, meminiſſe ſufficiet *organicum* quid eſſe lympham, proindeque ſubſtantiæ participem, ut meritò de illa aſſeras quod creata fuerit; creata autem cum iis potentiis ad ea propter quæ creata eſt; id eſt, ſuis omnibus cum *tendentiis*, pronitatibus & energiis ad ea quibus ſervire apta facta eſt. Porrò quid fuerit *lympha* naſcens oſtendit *lympha* adulta, id eſt, *lympha* quæ creſcendo cum corpore adolevit; revera ut hæc nihil ſibi poteſt dare aut comparare, nihil quoque prodit quod a creatione non acceperit; ejuſmodi autem eſt ſanguinis fibra quæ *lympha* eſt non tantùm, ſed & omnis *lymphæ* conditorium; inſuper aliquid organici habet & compoſiti, in retis enim modum figuratur, & ex partibus conflatur, quæ in *polypos* multiplices facilè concreſcant.

Porrò *tendentiæ* illæ pronitates, & potentiæ, quæ *lymphæ concreatæ* ſunt, Creatoris leges erunt ſucco huic ingenitæ, ductu quarum iis impoſterùm ſerviet operationibus impiendis quarum cauſa inſtituta fuit. Tractata materies eſt opificis ſupremi manibus, tempore ſuo ſuis aptanda conſiliis: ut artificibus moris eſt qui in anteceſſum comparare norunt materies, quas ſuis cum tempus erit accommodent operibus; exaratæ in *lympha* diſpoſituræ ſunt ad *ſecretiones*, id eſt, facilitates ad induendos *colores*, *ſapores* cæteraſque qualitates ſuccorum qui ſecernendi erunt. Enim vero, quidnam ſunt aliud *colores*, *ſapores*, &c. præter *ſuperficierum & contactuum* mutationes? facilitates ergo erunt in *lympha* ad *contactuum ſuperficierum*que mutationes. At iterùm quidnam ejuſmodi dimutationes adjuvabit faciliùs, expeditiuſve quam locorum illorum ingenium aut natura, quibus coerceri *lympham* voluit Creator? tubuli *ſyſtaltici* ſunt aut *contractiles*, ſeu agitatoria vaſa, quæ *lympham* verſando millies, illius particularum *ſuperficies* & *contactus* millies emovendo mutant: *alliſionum*, frictus, *colliſionum*que vires, potentias & effectus illic intuebere, quibus ſitus ſuos & poſituras perdendo lymphatici laticis particulæ, contactus inceſſanter facere novos, aſſidueque nova ſuperficies induere diſcunt. Arteſnè noveris ad *colores*, *ſaporeſvè* rebus induendos efficaciores? interim, ne curtæ illæ forent adhuc aut impares, alia ſuperaddi voluit Creator auxilia, inter quæ minimas non tenent partes, *lymphæ* molis aut illius maſſæ mutationes. Quid novi aut alterationis contrahant corpora, molis aut maſſæ plùs vel minùs acquirendo, perdendove, compertum eſt, ſed hoc ſub conceptu; aliquidnè *lympha* mutabilius cogitabis; quæ non numerabiles, quantitatis & capacitatum varietate diverſos tubulorum *diametros* indeſinenter tranare cogitur? aſſiduus enim preſ-

ſus

ſus eſt, quo expreſſus continuo *lymphaticus* latex, ſcobis non parùm aut recrementi hùc illùc pertranſeundo ſpargit; inde deciduæ a *lympha* circulante reliquiæ, quas ſorbendo *excretoria* vaſa, in *ſecretionum* materies vertunt. Porro ſculptura ſimul & ſcalptura oſtendunt, quantùm a ſe mutetur materies, artificis alterutris tractata manu; hæc enim cælata diverſimodè aut refecta; varia expromit lineamenta, variaſque figuras: atqui figuræ ſunt & ficturæ quibus formandis delineandiſque *lympha* debetur, quaſve exprimendas habet in partibus quas alluit, aut alit. Poſthac in quærendis *ſecretionum*, nutricatus, cæterarum lymphæ operationum rationibus anxius nimiùm non ſudabis ampliùs; omnia arcana hæc ecce revelat *alliſionum*, *colliſionum*, frictuſque dogma; attamen hoc aliunde tibi firmabit adhuc *directionum*, *determinationum*que doctrina.

Fluida eſt *lympha*, ideoque de numero liquidorum, quæ propriis terminis ægrè coercibilia, alienis contineri indigent. At verò, ut falli aut fallere neſcius eſt, qui ſuas propriæ in conceptaculo lymphæ dixit leges, præcauto opus fuit ne a præſtitutorum motuum rectitudine illa deviaret; cui incommodo a Creatore ſic proviſum fuit. In tubulos non ſecùs ac in formas aut typos *lympham matrem* creando fundi juſſit, ad quorum gyros atque flexuras, quaſi intra orbitæ cancellos circulando moveri doceretur, ſimulque naſcendo diſceret obſecundare. Hic poſitam vides *ſolidorum* in *fluida* imperii epocham, ſic enim ab incunabulis *ſolidorum* jugo *fluida* aſſuefacta ſunt, ut tubulorum directionibus ſolida coerceri, ſola nuſquam aut arbitratu ſuo ambulare potuerint. Porro ut ſuæ ſunt inſitæ *fluidis tendentiæ*, *ſolidis* quoque congeniti ſunt ſui conatus, in quibus ut illis reverebere impreſſas Creatoris leges, juxta quas corpori vivendum erit. Conatus autem nomine intelliges *ſyſtalticam* vim, aut reſiliendi potentiam, qua dilatati dilatabiles tubuli, ſuccum quo pervaduntur ſtringendo premunt, & premendo exprimunt, eo motus vibrationis æmulo, qui *oſcillatorius* vocatur, ſolidis ſic proprius, ut illius ad nutum regantur omnia animalis œconomiæ munia, integræque ſerventur ſanitatis & vitæ functiones. Hujus enim opera aut ductu fit non tantùm ut rectos ingrediatur vitæ calles lymphaticus latex, ſed & ut illos ordine debito ſequatur, eo nempe qui cum vero lymphæ uſu conveniat, id eſt, cum nutricatione quò præcipuè tendit *lymphæ* apparatus. At nutricatio nihil aliud eſt quam factus tubulorum auctus aut accretio, quæ ut aptè ſuccedat, ad partes accedat oportet *lympha*, particularum illa ſerie ordinata, quæ fingendis aut affingendis tubulis idonea ſit, affigendis, inquam, minùs enim ex *lympha* nutritia formandi veniunt tubuli, quam ex tubulis in anteceſſum in *lympha* nutritia formatis compingendæ partes. Sic quippe eſt, corpus humanum creavit ſupremus rerum conditor, ſed illius quoque alituræ proviſum voluit, partium alendarum non ſolùm materies, ſed & materiatus creando; tubulorum nempe ſeminum, quo tota ſcatet *lympha*, (*a*) quæ, ſi obſervationi fides, tota *tubulata* conſpicitur. Tubulorum trunculi erunt, taleolis ſimiles, (*b*) aut furculis utrinque capitatis, quid inſitorum inſtar, partium corporis germinationi ſervient; *lympha* namque non ſecùs ac vivi radix germinatus amans eſt aut impatiens, hacque de cauſa obvio ferè cuivis ſolo commodans ſe & accommodans. Sed ejuſmodi laſciviis fræno opus erat, aut moderatore, cujus vices agit aut munus *oſcillatorius* tubulorum *ſolidorum* motus, quorum elater diametros plùs minùs laxando, *tonum* & *undulatio-*

(a) *Vid. Bellin, opuſc. p. 41. prop. 8. de motu cordis.*
(b) *Berger de nat. hum. p. 171. 173. c. 10. de nutritione.*

lationes ita modulatur, ut ſuam tubulorum lymphæ trunculis ſeriem aut ordinem aſſerat & regat, eorumque vel tueatur *directiones*, vel ab inclinatione præſervet aut deliratione, unde quantæ potentiæ aut imperii *ſolida* futura ſint in animali œconomia colligitur.

At fermè præterierat non omittenda mentio originis *ſulphurum* ſimul & *ſalium* quibus conditæ vulgò habentur *ſecretiones*; revera enim *chymicorum* ignis creaturæ tam legitimæ apparent, ut fructus aut *colliſionum* effectus unquam eſſe poſſe viderentur; ſed præjudicatam opinionem mentibus excutit, (a) *paradoxi chymici* nobilis author, ubi multus eſt in demoſtrando, *tritus* ſolius opera obtineri multa poſſe, quæ ignium vi extorqueri ſolita ſunt. Hac ergo ex parte tuentur ſe adhuc *mechanicæ phyſices* jus & honos. Aliundè, ſit venia verbo, fucum fortè fecerit medicorum mentibus *ſalium* doctrina, fidem faciente chymicorum philoſophia, quæ cum præcipua ſibi fecerat principia ex *ſalibus*, hæc nullibi non & ſingulis oſtendere docuerat. Interim etiamſi tam vera eſſent quam ſuſpicioſa aut dubitabilia ſunt, quæ de *ſalibus* celebrantur; nihil ab œconomia animali tam alienum eſt, aut functionibus illius peregrinum magis, quam ſalis ingenium; enimvero cum materiæ punctum ſit; quod in humani corporis molem exporrigendum eſt; idnè muneris ſali, fragili materiæ, facilique rumpi, commode creditum putabis? ſaliſne naturam redolet *lympha* illa *mater*, mitis adeò ſuccus, lacti congener, dulcedinis omnis fons ac mulcedinis, ab eo omni abhorrens, quod *ſalinum* aut acre ſapit. Inde concipere datur, a Creatoris conſilio alienum fuiſſe, ut ſalibus imbueretur primigenius humor, unde argumentum ducitur neque ſalibus imbui debuiſſe poſtgenitos humores; ut pote qui habeant energiæ nihil, quod non acceperint a prima *lympha*, undè manant aut animantur. Revera, ex ſuccis in *ſecretionibus* impendiuntur non deſunt qui, ſi ſapori fides, *ſalinum* ſæpè ſapiant, cujus ordinis ſunt *bilis*, *urina*, *ſuccus pancreaticus*; ſed ut id concedendum erit, ita obſervabitur, ex illis alios eſſe, qui ſtatim atque *ſecreti* aut nati ſunt, illicò foras ejiciuntur, cujuſmodi *urina* eſt; alios, *bilem* nempe & *ſuccum pancreaticum*, qui ſtatim ſuo ab ortu, illùc amandantur, in inteſtina, videlicet, quæ vix ſalini quid tranſcolari ſinunt. Quod aſſertum experimento fultum eſt, namque ſal veſcum quo chylus imbutus eſt, una cum alvinis ſecibus & rejectaneis foras maxima ex parte excerni comperitur. Noſter tamen error non erit, intra ſanguinem & vaſa admitti aut retineri non poſſe ullos ſalinos ſuccos: at ut præter naturæ conſilium aut inſtitutum illud eſt, ad morborum magis quam ſanitatis cauſas, (quæ alias tradentur) relegandum nobis eſt.

Itaque ratum erit, ſecretionum omnium baſim & fundum eſſe *lympham*, his certe multis de cauſis, ſed & hanc ob alteram videlicet, quod mera *lympha* ſit, quo tendit univerſus *ſecretionum* labor; a *lympha* quæ nutritia eſt incipiens, in *lympha* quæ nervorum eſt deſinens. Neque te morabitur *tranſpirationis* vaporans materies, quæ *ſecretionum* terminus alter aut finis eſt. Hæc enim *lympha* quoque eſt, ſed halituoſa, quæ quaſi veterana, omnibuſque functa officiis quibus dicata fuerat, in auras aut ſpiritus aerios vaneſcit; tam ad tenuationem comparata lympha eſt! quæ tandem in ſpiritus ultimo dividua eſt, adeo ut illi in ſpiraculum vitæ, in ſpiramina cutis abeundum ſit.

(a) *Struve pardox. chymic. ſine igne. p. 18. &c.*

CAPUT XVI.

In iisdem pergitur, superadditâ sanguinis circuitûs ratione in attribuendis, secretionibus *singulis*, *singularibus succis*.

EO exilitatis aut nihili ut perveniat *lympha* nutritia, monstrifica aut mirabili virtute opus est; nunquid enim miraculum sapit minus materiæ in nihilum reditus, quam ex nihilo eductio materiæ? revera non eo usque fertur illud prodigium, sensus enim fugientis succi reliquiæ in aerem admissæ corporis molem si quidem celant, substantiæ rem, *extensionem* videlicet retinent: sed si malè redditum hic est creationis miraculum, expressum non obscurè intueri licet secernentis naturæ prodigium; quid enim portentosum magis, quam succi quantitas, quæ seipsa 12500000. vicibus minor fit aut exilior? (a) seu quæ molem acquirit 12500000. vicibus minorem? ea tamen est *lymphæ transpirantis* conditio, molis cujus mensura, cum eadem sit oporteat cum sui *excretorii diametro*, ejusdem exilitatis erit, cum illius *diametri* exilitate. Atqui dum *arteriæ ultimæ* sanguiferæ osculum 500000. vicibus minus est orificio *arteriæ magnæ* minus est 25. vicibus osculum vasis *secretorii* cutis, proindeque osculum hoc 12500000. vicibus minus est orificio *aortæ*; undè liquet *lympha* illud quod aortæ capacitatem occupat, cum ad *secretoria* cutis circulando pervenit, 12500000. vicibus seipso minus fieri aut exilius. Ad credendum difficilis videretur immensus ille tenuationis *lymphæ* pregressus, sed facilem reddit, unde crescendo exiit tenuissimum matris *lymphæ* punctum, tantillum enim illud fuisse necesse est, quantilla fuerint *embryonis* vascula; sed tantilli hujus rationem aperit vasculorum *embryonis* proportio cum adultorum vasis, quorum 40960000000. cum in quadrato pollicis contineantur, supereſt; non tantam habere proportionem ad adulti vasa embryonis vascula, quantam sabuli granum habet ad totum orbem; unde quantacumque fit 1. inter & 12500000. distantia, illa certè minor erit adhuc, quæ concipitur sabuli granum inter & massam orbis universi. Itaque quantumvis secretione tenuata *lympha* videatur, nedum rediit ad illud, unde in *embryone* profecta est, tenuitatis punctum.

Inde saltem intelliges, in quantùm immensa est *lymphæ* divisio, in tantùm immensa quoque opus esse virtute, quæ illam exequatur; eo magis quod tam longæ sint vasorum distantiæ, quæ *lymphæ* peragrandæ sunt, quam exquisita, multiplex & incomprehensibilis illius attenuatio. Pro minimo enim fortè esset, ad pedes aliquot, per vias planas, tubulosque duros & rectos pelli aliquid quod solidum fuerit atque compactum, quandoquidem sortis hujus aut massæ corpus, ut pote impressi semel impetus obstinate tenax, vel mediocri evibratum vi, ad scopum, quò pulsum dirigitur sponte currit. At ponas fluxam rem aut fluidam, cui ad scopum immense distantem veniendum est, per vias tortuosas, tubulosque molles & mille modis intortos; vincendis tot obicibus & resistentiis, tam longis & multiplicibus distantiis rumpendis, tam variis ambagibus & impedimentis vim æquiparare non sustinet humana mens. Reipsa Creatoris unius omnipotentiæ proprium erat tale virtutis portentum, ut pote

qui

(a) *Vid Verdries, de aquilibr. corp. &c. p. 21.*

qui vel infirma mundî & despicabilia ad sublimia elevare noverit; cum enim sibi soli sufficiat, suique unius & proprii juris sit, semper, & ubique creare potest, ex nihilo nempe rerum substantias, ex hilo substantiarum modos; unde hilum erunt complementa rerum si materiam spectes aut molem, mundus verò, si industriam aut artem consideres. Hujusmodi est corporis humanis partium *elater*, cæca illa & arcana vis, fibrarum pluſquam capillaribus filis a creatione insita, cujus vibramine animatur universa corporis œconomia; namque substantia minus illa vis est quam substantiæ modus, spiritus magis aut afflatus quàm corpus, undè interea pendet & agitatur tota corporis moles, verbo hilum est, mirabilis omnis motuum illius harmoniæ fautor & author. Memoratæ modò stupendæ attenuationis *lymphæ* causa hæc quoque est, ideoque omnium, quas circulando *lympha* operatur, *secretionum* parens. Interim quid illa sit, aut quæ ratio illius, manifestat aut aperit simplex & solitarius illius conceptus; pressus autem concipitur indesinens, assiduus, perennis, a corde proficiscens per arterias, ex hisque serpens ad venas, lymphatica, nervos; quodque nihil aliud sint partes & organa, quam vasorum glomeres & compacturæ, a pressu venire & ali partium omnium functiones, actionesque consequitur.

At incomprehensæ longitudinis sunt illa vasa ex quibus coaluerunt partes, quandoquidem evoluta si forent, unico tractu, longoque ordine & recto protensa, universo orbi cingendo futura non essent imparia. (a) Quod ergo tanta tubulorum longitudo, tam brevibus, pedum scilicet aliquot quibus corporis mensura continetur, cancellis coercita sit, palam est quam densis plexibus, quam multis glomeribus, quam frequentibus flexuris hic illic distinctam hanc esse oporteat, quæ tot anfractus, tot ambages, tot tricæ sunt, quæ introrepentes succos tardant & impediunt, particulares illis formando circulos & orbes, quos circulando permeent. Verùm horum omnium nominibus viscera varia, multiplicesque glandulas concipies, quæ formando multiplices vasorum plexus, variæ formant pressoria organa, incernicula varia, distinctas succorum officinas. Ut enim hæc omnia unius & ejusdem *diametri* aut formaturæ non sunt, intra illas tubulorum angustias pressus *lymphaticus* latex, hos aut illos tantùm ingreditur tubulos, eaque sola tenuata sui portione, quæ lateralium tubulorum *diametris* facta par erit. Deciduas ergò fingito partes; quæ scobis aut ramenti instar a præterlabente succo nutritio sejunctæ, intra obviorum tubulorum hiatus aut oscilla secernuntur; in his multiplices habebis viscerum & glandularum succos, variasque pingi videbis humorum *secretiones*. Impuritatesne aut excrementa dices, quæ natura respuat aut contemnat? melius recrementa vocabis, quæ quia ultimam manum nondùm obtinuerunt, ut in nutrimentum corporis, aut *lympham nervorum*, aut *rubram* ceu *globulosam* sanguinis portionem, aut *transpirationis* halitum cedant, intra receptacula conduntur, ex quibus ad sanguinis fluentum remeando pluries, non secùs ac iteratis *cohobationis* vicibus perficiuntur magis, aut repetitis *circulationibus* digesta melius atque subacta, officiis vitæ sanitatisque functionibus utilia reddantur aut idonea; hicque character erit & notaculum, quo ab excremento recrementum internoscas; qui enim succus rudis adhuc aut indigestus erit; recrementum est, illic condi solitus aut reservari, unde ad sanguinem remiscendus regrediatur; tales erunt *bilis*, *succus pancreaticus*, *stomachi & glandularum lympha*, quibus addideris *menstruum sanguinem* in feminis, in viris *se-*

(a) *Vid. Verdries, de æquilibr. corp. p. 36.*

men, in utrisque salivam; quamvis enim perfectè minùs subacti hi succi, viderentur ad alios comparati, sanguini tam utiliter aut innoxiè adeò remiscerì solent, ut inter ejectanea numerari ea nefas sit: dissimiles sunt *urinæ*, *fœces*, & *transpirationis* materies, eò enim amandantur, unde ad sanguinem innoxiè venire non possint aut revocare gradum. Hoc ergò sensu, quid *bilis*, quid *succus pancreaticus*, quid *saliva*, quid *lympha* erunt? sanguinis exuviæ, quas ad circuitum accingendo se, linquit: quasi enim quod susciperet emetiendi itineris longitudinem præsentiret, quæ oneri essent aut impedimento hic illic ponit, quo alacriùs ad propositam sibi metam properet. Meta hæc immensa tenuatio est, quam attingere debet sanguinis *lympha*, in succum abeundo nervosum; aut in *transpirationis* halitum; hoc ut illi succedat, qui graviores essent aut crassiores succi, identidem deponit: hos quidem non ut perdat, sed ut apponat lucro, aut eos concredendo organis, quæ illos perficiant, aut ad ea amandando loca, quæ suo succorum visco impuritates illorum amoveant. De intestinis dicta hæc erunt, quæ muco lita (albuminum ovorum in rebus clarificandis ritu) *bilis & succi pancreatici* sordities retinent, ut isthæc portio lymphæ sanguinis fluento reddita agilior, aut nitida magis, exercendis nobilissimis vitæ muniis aptior evadat, aut esse cesset inidonea. Bilis imprimis, tanti nominis ille humor, castigari sic indiget aut emendari; non etenim, quod aliorum succorum fortè vitium erit, segnes aut fatuus est humor, at imò pinguis ac saporus, igneiscereque aptus, ideoque dilui opus habens, ne evolvendo se magis ac magis intra sanguinem, quo illi redeundum est, aut *exaltando* se flammet. Id discriminis ut avertat natura, ab *hepate* in intestina, insimul cum *pancreatico succo bilem* confluere curavit, ut eodem temporis articulo, eundem in locum concurrentes duo illi succi, invicem se temperarent, sic ut *bilis* amarore condirentur *chylus & pancreatis lympha*, horumque dulcitate deprimerentur *bilis* ignes aut *concentrarentur*. Eccur enim ignigena non esse *bilis*, quæ tritus, frictionis, & collisus fetus aut opus est· *oscillantium* nempe arteriarum *systoles*, vi cujus everberatæ pinguiores succi nutritii particulæ attenuantur evehunturque in *bilem*; at illicò in aptatos sibi & comparatos tubulorum *diametros* deturbantur, citoque *præcipitantur*, ad inferas partes, ne longiùs eundo, terique ulteriùs pergentes deflagrarent, sicque ustulatæ, sanguinis circuitui ad ultimos vasorum fines properanti moras alicubi necterent. Interim, ut suus sibi perire nequit naturæ labor, illa ipsa, in *exaltanda bile*, tritus culpa, sanitatis bono vertitur; qui enim hinc fit *bilis* amaror, non secus ac *saponariæ* virtutis energia, chylum tergit & intestina, utraque mundans & purgans; adeò sunt ordinata naturæ opera, quæ etiam vilescendo prosunt!

Non infeliciùs cedit *lymphæ pancreaticæ secretio*, quod enim usu venit artificibus, qui fontibus singulis sua condunt receptacula, in tractandis corporis humani *lymphis* anticipatum a natura, aut usurpatum observatur. Illic parantur effluvia quibus sponte elabantur redundantes aut supereffluentes aquæ, sed effluxus illius imitamentum aut exemplar est *pancreatis* organum; namque qui copiose in sanguinem confluit *lymphaticus* latex, ne luxurians sanguinis circuitui, aut *secretionum* exercitationi foret impedimento, aut diluendo nimiùm aut eliquando fortiùs vitio verteretur, parata sibi *pancreatis secretoria* ingreditur, quibus non secùs ac colliquiis stillat indesinenter; nec inopportunè, chyli enim recentis *macerationi* serviens a lentore illum & spissitudine præservat, ad fluxumque facilem reddit & expeditum. At & exinde principes chyli simul & sanguinis dotes, nativumque auguraberis utriusque ingenium; quod enim totus a natura sanguis *lympha* sit, quod a lympha nascatur, quodque diffletur aut desinat in *lymphan*, ejusdem cum *lympha* saporis, odoris & indolis esse san-

gui-

guinem cogitabis. Motuum quoque naturæ, quorum opera animalis regimini erit auxilio aut nocumento, indolem indè interpretaberis; cum enim ſanguinem pinſi curet & elaborari, eo exutum omni quod a *lymphæ* dotibus, dulcitate imprimis alienum eſt, eo omni quoque carebit quod turbulentum fuerit aut tumultuoſum: obſequibilis ergò ſuccus erit, natura ſua tardare aptus, motore aſſiduo aut agitatoria vi indeſinente indigens. Interim ut ductilis quoque eſt ſanguis qua parte *lympha* eſt; ab ejuſmodi motore duci ſe patietur; hincque deduces *fluidorum* agendi rationem, acta enim aguntur, jugi & *oſcillatorio ſolidorum* mutui obnoxia ſemper, cujus nutûs, arbitratûs & imperii ſunt, cujuſque vis ut illis neceſſariò aſſiſtit, ita ad illius impulſus ſolos ambulant & diriguntur. In directionibus enim tota ponitur univerſa corporis œconomia, non tantum in viarum recto, aut juſta poſitura, quæ ſuccos ſuum ad locum recta ducat, ſed & ea in arte, quæ illos ab aberratione præſervet, curſum eorum ſic dirigendo, ut a propriis aut deſtinatis ſibi *ſecretoriis* non deviando, peregrina ſibi & indebita non ingrediantur: unde, quantumvis longè diſtet terminus, quo *lympha* tendit; ut ut innumeræ *ſecretiones*, quibus ſervire aut impendi debet, antequam illùc perveniat (tam multiplices ſaltem aut multiformes, quam varia viſcera ſunt, quam diſſimiles *diametri*, quam multæ *glandulæ*, diverſaque incernicula) his omnibus & ſingulis vacet oportet, ſuumque cuique rependat debitum, ut expedita, ambulans, ſolutaque & ſuis functa officiis, *ſecretiones* omnes a prima ad ultimam, quæ *inſenſilis tranſpiratio* eſt, abſolvat. Annè lymphæ attenuationis portentoſæ argumentum evidentius? quo patet fecis nihil ſupereſſe ab abſolutis omnibus quibus ſervit operationibus. At aliundenè liquet meliùs animalis œconomiæ, aut operationum naturæ rationes, a chymiæ artibus eſſe prorsùs alienas? hæ etenim, dùm nihil non reſidui, uſtulati aut infumati, calcis, aut cineris, verbo, nihil non *capitis mortui* poſt ſe reliquunt, nihil illæ, aut intactilia produnt, neque inter deflagrationes, *exploſiones*, fumos aut crepitus, operationum chymiæ ritu abeunt, ſed in auras, efflationes & ſpiritus placidè vaneſcunt.

Ideò tamen ne putaveris pauxillum eſſe illud ſpiritus, in quod *tranſpirando lympha* efflatur; benè memor *tranſpirationis* quantitatem, quæ intra 24. horas vaporat, majorem eſſe tactilium evacuationum ſumma; inſuper, tanti eſſe *tranſpirationis* quantitatem, quanti fuerit inſumpti alimenti moles: ſic ut exacto diei unius curriculo (ſi corpus ſanum eſt) ad idem ſui pondus redire comperiantur, unde ab aſſumpto per diem alimento deceſſerat, ea ratione ſubducta, qua ſi in die tribus libris (v. g.) cretum illud bilanx oſtendiſſet, exacto illo die, coctionibuſque peractis, tribus circiter libris minutum illud bilanx repræſentet; ſeu quod idem eſt, quale pondus erit corporis ante cibatum, ipſum circiter eſt ad quod redit a cibatione, poſtquam peractæ ſunt illius coctiones. Inde fit, ut quæ ſenſus manifeſtè ferit trium librarum moles partium corporis *oſcillantium* preſſu comminuta fugiat ab illis. Modum ſi quæras, indigitabit *circulationis* ratio; uniuſmodi enim natura eſt, ejuſdem quam elegit ſemel agendi rationes ubique tenax. Itaque trium librarum materiæ molem tenuandam eò uſque ſuſcipiens, ut illa vaporare poſſit, intra tubuli gyros & orbes, toties eum circumagi cogit, quoties in glomeramina flecti opus habet tubulus unus qui ulnarum milliaribus longus, (ſi in rectum exporrigatur) intra pedum aliquot menſuram continetur. Sed hinc intueri datur, quot quantæve futuræ erunt viarum & anfractuum anguſtiæ, quæ lymphæ ad tranſpirationem eunti transmeandæ venient, quamque frequentibus *reſiſtentiis*, obicibus & repulſis inter eundum objicietur, imprimis ab arctis tubulorum capacitatibus & diametris anguſtioribus: annè comminuendi extenuandive melior

melior ars aut efficacior? quod autem in edolandis, pumicandisque rebus usu venit, hic quoque scobis aut retrimentorum non parum redundabit: deciduis ergò ejusmodi reliquiis providendum fuit, his hospitià parando, quæ *secretionum* receptacula facta sunt. Revera, cujuscumque figuræ fuerint illæ *lymphæ* portiones, quæ repulsam passæ fuerint, ut diversæ molis erunt, paria sibi aptave oscilla ultrò subibunt, horumque amabunt hospitium, ductuque horum dirigi, determinarique sustinebunt. At ecce tenes multiformes *secretionum* succos, in multiplicibus illis *lymphæ* portionibus, quæ regium aut princeps, quod ad *transpirationem* ducit, iter sequi rectà non sustinentes, hùc illùc ad laterales *arterias lymphaticas* declinant, & pro variis harum capacitate, diametro & habitudine, hic illic in *bilem*, *serum*, *mucum*, *salivam*, & ubique in *miliaribus* partium *glandulis*, in roralem & halituosam *lympham* vertuntur. Totuplicia ergò erunt succi nutritii segmina, quæ a communi fluento abeuntia, calles devios quidem subeunt, sed in his, quo indigebant, tenuationis gradum sita sibi comparando, ut illis, unde recesserant fluento reddi posse donetur. Varia enim specie, diverso vultu, aut multiplici forma, ad sanguinales arterias circulando redeunt, & ex his iterùm in *lymphaticas* ad *transpirationis* usque *secretoria*, itibus, reditibusque repetitis penetrare contendunt. Offendet fortè animos id famulitii genus, quo *transpirationi secretiones* subjiciuntur, quasi ideo fierent *secretiones* ut *transpiratio* fieret; cum consultiùs judicare videbitur, qui *transpirationem secretionum* magistram minùs quam pedissequam instituerit, ut pote cùm *secretionum* superamenta sint ea, in quibus eliminandis occupatur *transpiratio*. At neque tam iniqui erimus *secretionum* rerum æstimatores, ut præposterè *transpirationi* primas voluerimus concedi; de hac asserere consilium non est, omnium corporis operationum sic terminum esse, ut illius gratia nihil non suscipiantur in œconomiæ animalis regimine, sed ut necessarium lymphæ veteranæ habeantur effugium, quo hæc omnibus suis functa officiis, ultimò transcolantur, secedit, evadit.

De *transpiratione* interrogant, cujus ordinis sit ille succus qui efflatur? convenitur quidem *lympham* esse, sed de *lymphæ* natura ambigitur: *lympha* nè nervorum erit, tenuissimus ille succus quo madent aut rorantur nervi? annè fuerit *lymphaticarum arteriarum* latex? ut nervorum capillitia sunt ex quibus texta sunt stamina cutis, opinio est tot exitus aut spiramina esse capillamentorum illorum extrema, quibus vaporaret *transpirationis* materies, maximè cùm inintellecta videantur vasa, quæ *lympham* nervorum ad cor revehant. Revera non desunt qui munerì huic *lymphaticas venas* præficiunt, sed industrium commentum magis habetur quam aperta veritas, eo magis quod sic definita malè videatur *venarum lymphaticarum* origo. Aliunde, cùm omnium tenuissimi succi *secretio* sit *transpiratio*, hanc repeti congruentius est, tùm ab illo humore qui præ cæteris subtilior est; tùm ab iis *secretoriis* quæ omnibus aliis graciliora sunt: addes, ex *secretoriis* omnibus, ea esse *transpirationi* attribuenda maximè, quæ numerosiora sunt, ut pote cùm ei *secretioni* quæ cæteris abundè copiosior est destinentur. Hæ conditiones, quæ ad rem pertinent, in arteriis certè non occurrunt; præterquam quod enim palam est, succum in corpore dari, qui longè tenuior eo est qui arteriis continetur, cujusmodi est *lymphæ nervorum*; in confesso quoque est nervorum fila graciliora longè esse arteriarum capillamentis; undè liquet arteriis tantò numerosiores esse nervos, quantò arteriis & graciliores sunt, & tenuiorem vehunt succum. At esto, ab arteriarum extremis vaporet *transpirationis* halituosa materies, constabit non minùs, eò usque tenuandos venire succos, donec in fumum aut auras abeant, ideoque oportere, ut succi illi qui crassiores essent, aut ab hoc tenuationis

pun-

puncto alieni, hùc illùc ad conceptacula circulando regrediantur, uſque dum, illis *circulationibus* iteratis, ut repetitis *cohobationibus*, tenuatis, ut decet, & ultimæ *ſecretioni* factis paribus, ultima *ſecretoria* permeare detur.

Interim, ſi ſpectes ſtructuram nervorum, horumque *lymphæ* naturam & habitudinem, nimirùm, ut cæca eſt aut oculos fugiens illorum cavitas, ut lenteſcens aut *lentori* proxima hujus textura, nullibi recognoſcas meliùs preſſionis vim aut neceſſitatem in *ſecretionibus* aut exercendis, aut promovendis. Hinc ſambuci medullarum inſtar plena videas nervorum fila, ſed mollia, loculoſa fortaſſis, pulpoſa ſaltem & bibula, ideoque ſorbere apta, illinc limpidam aquam, ſuccoſam tamen, *lympham* vocant, combibi aptam; in illis agnoſci negabis ſiphunculos illicientes, aut madidas bibacis panni lacinias; quæ quam delibare ſemel cœperunt aquam, fugere aut trahere pergunt? ſed cùm numerum omnem longè ſuperent aut quamlibet imaginandi laſciviam, extricanda nuſquam aut diſcernenda filorum medullæ cerebri miliari, videre videris milliaria ſiphunculorum comparatorum a natura ad fugendas aquas, ſinuque ſuo trahendas. Attamen ſi phyſicam offendat ſuctionis vox aut nomenclatio iſthæc, hanc exponet aut emendabit tubulorum, qui hic utrinque concurrunt, fabrica aut conditio. Secretionem ergò intellige, adactionem ſucci intra tubuli ſinum, ſic conſtituti, ut illius ad ſe & intra ſe cœptum ſemel reptatum non admittere non poſſit. Vaſa cogites correlativa, mutuo ſitu, poſitura & concurſu ſic adaptata, ut adjacentium preſſioni, vi & impulſibus ex æquo obnoxia ſint. Si addas juges eſſe hos preſſus omnes & impulſus, conditionem habebis tubulorum qui *lymphæ* nervorum *ſecretionem* operantur; hinc nempe fibrarum medullæ cerebri, illinc arteriarum quæ illis contiguæ ſunt & continuæ capillamentorum, quæ omnia undequaque circumpremendo *meninges*, ex arteriis *lymphæ* rorem intra contiguas medullæ cerebri fibras exprimi coguut. Sed loculamentis diſtinctam tibi fingas bibulam medullam illam, hac ratione ejuſmodi hauſtris hidraulicis æmulam, quæ acetabulis inſtruuntur, quorum opera, quam ex imo jugiter trahunt aquam alio ferunt indeſinenter; hoc exemplo, id ſucci quod bibunt medullæ nervorum ſpongioſa loculamenta, in vicina exonerando ſe tranſmittunt, ſerieque continua ad ſua loca ſerpendo trahunt, diriguntve. Quænam ejuſmodi loca ſint indigitant nervorum exitus, qui cùm membranarum expanſiones ſint (in has enim deſinere nervos convenitur) membranas & vaſa quæ ex membranis enaſci videntur & emergere, nervorum eſſe appendices, in illiſque terminari nervos concludes. Verùm, in conficiendo membranarum texto, non ſic impediuntur nervorum fibræ, ut prorsùs evaneſcat aut oblitterentur, ex membranarum enim punctis frequentia emergere obſervantur vaſa, alba, lucida, cryſtallina, limpida aqua turgidula, quæ *lymphatica* vocantur. Nervorum corollaria hæc ſunt, aut tenuiſſimæ *meningis*, qua veſtiuntur ſingulæ illorum fibrillæ, productiones, adeo ut non ſecùs ac arteriæ ſuam exuendo arteriacam pellem in venas vertuntur, ſuppari arte ſuam linquendo nervi ſuccoſam qua turgebant medullam, quæ in membranarum texendis ſtaminibus panditur & inſumitur, ex ipſiſſimis membranis renaſcendo, egerminant in tubulos tam graciles, quam tenuis eſt nervorum *meninx*, medulla vacuos, ſed medullæ loco aqua turgentes; elices puta, qui *lympham* aut madorem nervorum a membranarum alitura vacantem aut ſuperſtitem ſorbent aut lambunt, ad ſanguinemque (ne tam pretioſi ſucci, vel una ſtilla corpora periret) revehunt. Inauditam audire eſt venarum *lymphaticarum* proſapiam, at huic conjecturæ jus & fidem facit naturæ ſibi ubique ſimilis conſuetudo; illi mores eſt, *rubram* ſanguinis partem in circulum agere ex arteriis in venas, *albam* quoque in *lymphaticas* ex nervis circumagere pergit. Neque quemquam

morabitur obſervatio facta, qua injectus liquor in *arterias*, in *lymphaticas* tranſit, quaſi ab *arteriis*, non a *nervis* oriri *lymphatica* hinc eſſet concludendum; *lymphatica* enim, vaſorum ſunt liberum genus, neutrum nempe aut mutatorium, ut pote cum non vaſorum ſanguinalium inſtar, nominis ſui trunco aut ſtirpi unitè aſtricta ſunt, ſed ab arteriis ſanguinalibus modò ab arteriis *lymphaticis* oriunda ſe prodant. At, amabo, eccur a nervis quoque ductam originem iis denegare? meminiſſe ſat erit, non obſcurum eſſe, a nerveis partibus, tunicis nempe, membranis aut ſimilibus involucris ſolere ea exoriri; unde lymphatica non malè judicabis partium earum emiſſaria eſſe, quæ veteribus *ſpermatica* habebantur, quæ cùm plurimæ ſint, undelibet emergere *lymphatica* ſuſcipio eſt, id eſt, qualibet ex parte, cùm nulla ſit, quæ ut a *ſpermaticis* oriturſic in iis fundata eſt. Igitur in *macrocoſmo lymphatica* erunt, quod in *microcoſmo* aquarum ſcaturigines; quæ cùm omni ex terræ puncto proſiliant, ſic ut hic ſcandant montes aut planities mergant, illic findant rupes aut invia recludant; ſimiliter ſuperæ aut inferæ ſint corporis partes, cujuſvis nominis, textus aut ſortis viſcera aut organa ſint, *lymphaticis* undequaque catulliunt: ratio palam eſt, ut terræ gravidantur aquis, unde agri madent, prata hument, nemora uveſcunt, ſtagnant lacus & camporum æquora natant, ſic lymphis ſcatent & circumfluunt corporis partes, quibus undique ſolida ſudant, lenteſcunt fibræ, molliuntur ſtamina, organa humeſcunt, viſcera rorantur; at refluis & ſuperſtitibus a tot operationibus *lymphis* a natura providendum fuit, tùm inſtituendo vaſorum genus ſubſidiale quod ſuam commodaret operam cæteris vaſis, ſive fuiſſent de genere nervorum, ſive de genere ſanguinalium, quod utrorumque refluas lymphas reſorbendo ad publicum ſanguinis fluentum reportaret: tùm condendo hic illic aquariorum ſpecies, *ciſternas*, *foſſas*, *ſinus*, *receptacula*, *lacunas*, *imbrices*, *a quæductus*, *elices* & *infundibula*; iſthæc enim repræſentant tam multiplicia conditoria *lymphæ*, *glandularum*, *lymphaticorumque* vaſorum, *arteriarum* ſimul & *venarum* milliaria, *capſularum*, *veſicularum*, *ſaccorum* & *ſecretoriorum* innumerabilis numerus, quibus reſperſa viſcera ſunt; nodorum, glomeraminum aut *gangliorum* quibus inſtructi nervi videntur quæ intermediæ ſedes ſunt, in quibus medio quaſi in itinere laſſa lympha quieſcat, aut in quibus tenuata magis, levior ambulet, alacriorque progrediatur. Poſthæc intelliges, emiſſariorum non minus quam vaſorum glomeramina eſſe corpus humanum, imò aquilegii eſſe genus, regimen illius aut œconomiam, ubi cum aquarum ſtillatus undequaque fiat, ut diſtillationum officinam habebis corpus humanum, in quo *lymphatica* publicorum loco erunt aut communium excipulorum, quæ cujuſquè generis vaſorum ſtillatitio ſploratus aut emiſſitios humores excipiant. Quin imò emiſſariorum maximè compages illud eſt, vaſis enim aut canaliculis totum eſt conſitum, tùm oſcillis aut ſpiraminibus undique pertuſum, quibus aut intùs jugiter ſtillat, aut extùs diffiatur indeſinenter. Ultimæ hæ metæ ſunt univerſi animalis œconomiæ laboris, at in quo ſanguinis circuitus energias & artes obſervabis in *emboli* cordis evibratione, tùm in arteriarum *elaſtica* vi, omniumque partium circumpoſitarum preſſu tanto, ut a corde, unde primùm protruditur ſanguis, ad extremos uſque vaſorum fines illi pervenire non tantùm, ſed & ab his ultimis finibus ad cor regredi concedatur. Enimverò, computando orbes, angulos & glomeres, in quos ſinuantur, flectunturve vaſa, antequam aut interna viſcerum extrema, aut externam corporis habitus peripheriam attingant, numerandis ulnarum milliaribus, quæ in his inſumuntur impar eris; his autem permeandis par eſt ſanguinis circuitus, ſuperandis nempe diſtantiſſimis locorum intervallis, tantò igitur potentior intelligetur. De ſanguinis circuitus artibus conſtat non minùs, quarum pars maxi-

ma

ma positæ quidem sunt in illa partis rubræ globulorum volubilitate, gravitate & mole, harum enim vi & conditionibus *secretiones* omnes plurimum adjuvantur; at & insuper, in mirabili partium commensu, concinna *fluidorum* cum *solidis* harmonia; symmetria, & sociabili utrorumque concentu; alicubinè se prodit artis plus, aut solertiæ? quantumque enim fuerit cordis & *solidorum* omnium *systaltica* vis, frustra erit, absente partium concinnitate, quæ resistentias arcet, diametros solvit, & laxat vias, sicque *fluidorum* directionibus commodè servit, determinationibusque facilia parat obsequia. Ad hæc, quæ multa certè & magna sunt, stupet animus, illi tamen adhùc majora offert nutricationis ratio.

CAPUT XVII.

De sanguinis circuitûs ratione, vi & arte in nutricationis negotio.

QUANTAM *secretiones* inter & vaporationes jacturam faciat *lympha*, hactenùs expositum est; illam enim ineptis succorum portionibus extricatam esse convenit, quæ itineribus illius oneri fuissent & impedimento; at illimem quoque esse eam non minùs est necesse, ab iis nempe tutam feculis, a quibus impurata foret aut sordidata; quod commodi ab iis obtinet, *secretionibus*, quæ omnes a sinu illius arcent impuritates.

Feculentarum *secretionum* numerus factus est major, cum animos præoccupaverat œconomiam animalem sordidantium succorum rudis & malè sanus conceptus, qui error eorum fuit, qui crassaminibus, *tartaris*, viscis, glutinibus morborum causas dabant; sed hunc & illum castigavit physiologia comptior facta nuper & melior, quæ ab excrementorum censu eximendo *salivam*; similesvè succos, censoria excrementitiorum virgula malè notatos, mirum quam brevem aut curtum fecerit feculentarum *secretionum* numerum; quæ arcendis impuritatibus famulantur. Reipsa ex tot excretis quæ hùc illùc per universas partes sparsa vides, vix unum offendas aut alterum quod feculæ sit instar aut excrementi, quod nempe projiciat a se aut abdicet natura; quin potiùs in horum benè multis tot veluti confecturas cernere est, quas præsentes aut futuros in usus ubique ad manum paratas habet; utiles enim succi sunt hujus non rarò aut illius organi commoditatibus addicti. Sic manifesta sunt *salivæ* bona, nec inintellecta *lacrymarum* juvamina, cordi nempe mœrore presso nimiùm parata semper solamina, apertaque stagnantibus præ dolore succis effugia. Contemptibilia tibi videbuntur aurium *cerumina* & *lemarum* succi, pinguia tamen sunt aut balsamica, quæ aures & oculos liniendo defendunt. Confessa & publica sunt *glandularum* omnium, harum imprimis quæ *stomacho* propriæ sunt auxilia, nec incomperta *lymphæ seminalis* in viris (sive *testium* & appendicum illorum, sive *prostatarum* & *seminalium vesicularum* illa fuerit) utilitas; tandem notissimus in feminis *uteri* aut *lacunarum lymphæ* usus; adeò, nec in vilioribus dormitare uspiam natura aut otiari videatur! una supereſt *urina*, ejectitia revera materies, sic ut præsentiâ suam minuat non tantùm, sed & perdat utilitatem, quam sua absentia servat. Illam ergò universæ animalis œconomiæ lavatricem putabis, quæ eluvionis specie sanguinem mundat & viscera tergit, in quo omnium illius operationum finitionem videas aut absolutionem, chymicorum operationibus non insuetam, qui lotionibus opera sua finire solent & dulcorare.

rare. Hinc *secretionum* omnium complementum aut ſupplementum *urina* eſt ut pote quæ *secretionum* peractarum argumentum ſit aut reduviarum quæ a *ſecretionibus* peractis in ſanguine reſiduæ ſunt everriculum. Quadruplex enim ſubſtantia *urina* eſt, ſerum quo maxime conſtat, *ſal* quo ſaturatur, *lympha* qua denſatur, bilis qua tingitur; alianè aut plura repræſentant quotquot habentur, *ſecretiones*? unde palam eſt jugis & continua naturæ ſollicitudo, in amovendo a ſanguine quidquid *amarum* ſapit, aut *ſalinum* redolet; tam parùm illis cum ſanguine convenit! ad lotionem enim pertinet ebibere quod ſalis eſt, quod ſordis eſt eluere. Lixivium ergò adhuc erit, quo liquatæ ſanguinis aſſiduè rotati uſtulatæ partes merguntur, ejectanturque foras; in quo animalis œconomiæ mores recognoſcas & diſciplinam, quæ ab eo omni horret, quod fervorem redolet aut ignem. Quidquid ergò colliſus inter & frictus factum ardori proximum ferveret, aquæ ſupereffluentis copia jugiter elotum reſtinguitur non tantùm, at merſum quoque ac *præcipitatum* aquis evehitur. Ex his omnibus inferas licet veſicam & renes ſuccenturiata eſſe, aut vicaria emiſſaria cæterorum corporis incerniculorum, quorum *ſecretoria* quæ præterlapſæ ſunt ſuccorum particulæ ineptæ, illorum effugiis exceptæ, *ureterum* diverticulis eliminantur. At nullius vices aut officia tam apertè ſupplent *veſica* & *renes* quam *hepatis*; *ſecretionis* enim nullius reliquationes tam manifeſtè reſorbent; tanta naturæ cura eſt in abluendo ſanguine purgandovè a biliоſis? haud dubiè ſapidioribus, eaque de cauſa, ſuavi & benignæ ſanguinis naturæ nimiùm averſis, quorumque conſortio ne exaſperaretur mitis & placida *lymphæ* ſanguinis dulcitudo, ad purum hæc elutriare ſatagit natura.

Ejuſmodi ejectamina ſunt, a quibus expediri amant & extricari ipſe ſanguis & ipſius *lympha*, ut nutricatui, quò collimat non minimus naturæ labor, concinne ſerviant & utiliter. Limpidus enim latex ſit oporet, qui in nutrimentum ceſſurus eſt, purus nempe ab omni eo quod nutricationis negotium pervertere quiret aut abalienare: abſit enim cogites, inconcinnum qui illud eſſe aut fortuitum, cui ſatis fuerit materierum aggeries, quæ coeant mutuò, concreſcant, agglutinenturvè, quaſi in accumulandis ſuccis nutritiis unicè occuparetur altrix natura; at ad normam agit, neque tam copulat materies quam leges, eas nempè quas condidit Creator, quaſque poni voluit in reciproca rerum conſenſione, quam qui aſſecutus non fuerit labor, infelix aut caſſus erit, alieni quid edens aut monſtri. Igitur ſucci nutritii concinnatio, Creatoris legum ordinatio eſt, qua certæ materies quæ alendo corpori aptæ creatæ ſunt, applicantur, diſponunturvè, juxtà præſtitutas a Conditore leges. Undè ad alimoniam quæ laudabilis ſit requiritur rei alimentariæ delectus non ſolùm, ſed & rei ipſius appoſitio certas juxta leges. De alimentorum delectu non ambigitur, ſi rerum veritate aut neceſſitate res ſit; (a) *dixit* enim *Deus*, *ecce dedi vobis.... & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli & univerſis quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens..... & omnem herbam..... & universa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem ut ſint vobis in eſcam*; numinis ergo effatum aut pronuntiatum eſt, fructus & fruges ſincera eſſe & nativa hominum alimenta, ſed indidem inferes hæc inter & alenda corpora inſtitutas eſſe rationes mutuas & reciprocas affinitates, ob quas corporum alituræ maximè conveniunt ejuſmodi dapes. Status & ordinationis modi ſunt in alimentorum partibus, textui partium alendarum & ordinationi concordes: unde ad laudabilem nutricationem opus eſt, ut quam a Creatore ordinationem partium acceperunt alimentariæ res, eandem in alendas partes transferendo ſervent: pari ratione alen-

(a) *Geneſ. c. 1. v. 29. 30.*

alendis corporibus opus eſt, ut iis inſtructa ſint virtutibus & potentiis quæ advenienti rerum alimentariarum ordinationi concordent. Poſthac, nutricationis nomine intelliges tranſitum a rebus alimentariis ad corpora alenda, tranſitum autem ipſarum partium nutritiarum non tantùm, ſed & illarum ordinationis, adeò ut plantarum more, quæ ab agro in alterum ſuis cum potentiis tranſducuntur, quæ in corpus transferuntur nutritiæ partes, potentiarum ſuarum, poſiturarum, ſitus & *tendentiarum* aut tenaces aut cupidæ ſint, ad eandem quam in eduliis obtinebant, formaturam propendentes, atqui tubulos, vaſa, canaliculos intra edulia formabant, tubuli ergò erunt, vaſa, canaliculi, in quæ formabuntur intra alendum corpus. Eruderationis genus eſt, quo demoliti corporis materiaturæ, in alterius compingendi corporis fabricam uſurpantur, ſed ut ruderum nomine, non lapidum, laterum aut lignorum portiones aut ſegmenta intelliguntur, ſed ipſi lateres, lapides, tigilli, trabes; ſic quæ dicuntur rerum alimentariarum partes, canaliculorum teſtulæ non erunt aut particulæ; ſed ipſimet canaliculi detruncati, aut canaliculorum trunculi, ſoluti quidem, ſejuncti & decurtati ſed tubulati. Hoc ſenſu, ſuccus nutritius tubulorum ſeminarium erit, aut latex tubulorum dirutorum ſegminibus aut ſuperamentis fetus, quæ intra corpus alendum unita ſimul & producta in longam ſeriem, quam in demolitione amiſerant longitudinem, in nutricatus compagine recuperant.

Inde fultum habebis, quod hactenùs ſtabilitum fuit, creationis principium; ex his enim nutricationis notionibus intelligitur, neceſſarium fuiſſe, ut una cum rerum germinibus creatis, concreata fuerint germinum edulia, materiaturæ nempe, ex quibus ſuo tempore germina creſcerent aut alerentur. At ut vaſcula ſunt aut tubuli, quibus unicè conſtant animalium corpora, tubulorum (*b*) *embryones* (*quidquid enim fibræ accedit, fibra fit, ni potiùs jam fibrula exiſtat*) concreatos fuiſſe concipitur, qui in corporum alimoniam cederent. Certè, quod germinibus inſuccandis idonea condiderit Creator edulia tam verum eſt, quam a Creatore condita fuiſſe germina conſtat quæ augminis capacia erant aut ampliationis: at in ambiguo non erit iſthæc edulia tubulatas fuiſſe materies, attendenti, nullam eſſe vim aut efficientiam quovis in corpore, quæ tubulum formare queat, aut torquendo flectere; cognito enim mirabili illo *mechaniſmo*, quem in ſe condit *fibræ* uuius fabrica, qui omnem ſagaciſſimi cujuſvis artificis ſapientiam vincit & induſtriam, evincitur eas eſſe arcanas artes, quibuſcum vaſculum unum aut capillaris canaliculus conſiſtit aut compingitur, quas nedum aſſequi quantalibet humanæ mentis acies, tantò minùs operando æmulari queat; *capilli capitis* exemplo, quem in album nigrumvè mutare, unius ſupremi numinis potentiæ eſt. Undè quanti nihili ſit hominis virtus, palam eſt, quæ in uno capitis capillo vincitur! poſthac, mirari ceſſes, (*c*) tubulatam obſervari *lympham* ſanguinis quæ ignis vi ſicca facta eſt, (*d*) cum enim rerum edulium effectio ſit, tubulatarum materierum liquamen erit, iis gravidum tubulorum ſegmentis, in quæ demolitæ fuerant alimentariæ res. Hincque veteris philoſophiæ aſſerti rationem elicies & veritatem, quæ pereuntis alicujus corporis corruptelam, cauſam eſſe docebat generationis alterius. Enimverò edules omnes ſubſtantias habebis, non ſecùs ac machinamenta ex ejuſmodi compacta partibus, quæ tubulorum ſtructilium ritu, hac vel illa ſerie ordinatæ, hos vel illos, in hoc vel illo corpore tubulos formare poſſunt,

(b) *Berger. de nat. hum. p. 173.* (c) *Bellin. de corde p. 41.*
(d) *Berger. de nat. hum. p. 171.*

adeò ut iidem qui in uno corpore locati idonea illi vasa efformant, elocati in aliud, in idoneos illi canaliculos effingantur; unde, ut corporum generationes, elocationes partium aptè dixeris, ita nutricationes corporum, tubulorum translationes esse non falsò affirmabis.

Cùm igitur ex Creatoris instituto in hominis alituram condita sint fruges & fructus, quæ aliundè tota vasculis constare comperta sunt, horum vascula erunt, quæ in corporis humani nutrimentum vertentur. Animalium quoque carnes vindicabis? harum vasa erunt, quæ in hominis alimoniam veniant. Quo artificio absolvatur illud adunationis aut compacturæ genus non intelligis? si miraculum, mirare; si arcanum, meditare; ab errore certissimè tutus elicies quidquid illic conditur necessariæ veritatis ad medicos usus. Verumtamen exempla aliunde offert natura, in quibus rationes illius contemplari datur, juxtà quas vasis vasa copulat, corporis extrarii vasa alterius corporis vasis continua reddendo aut communia: has autem rationes edocent variæ, quæ insitionum ope junguntur arborum connubia; hæc enim sive *inoculatione* fiant, sive *emplastratione*, *fissura* aut *incisura* in *ligno* aut *medulla*, ex *furculo* aut *gemma*, eo recidit omnis illiùs artificii ingenium, ut unius arboris tubuli cum tubulis alterius coeant tam apto concursu, aut ea conciunitudine, ut inter utramque unus & idem inposterum stabiliatur succorum circuitus. Sub hoc vultu si intuearis *lympham* nutritiam, hanc cogitabis non secùs ac eliquamen eruderatum ex millenis tubulorum segminibus & rerum alimentariarum demolitione resolutis, quæ intra corpus alendum coalescentia rursùs & reconcinnata, tubulos in illo aut vasa formant. Porrò segmina isthæc *furculo* compares aut *gemmæ*, fundum cui inserentur *medullæ* aut *ligno*, in lympha habebis insita tam facilia inseri, quam paratus est insitionis fundus; insita, inquam quæ (plantarum illarum exemplo quæ tam vivaces sunt, aut proximæ vitæ, ut in obvio solo quovis radicem mittant aut accipiant) singulis quæ offenderint alendarum partium punctis hærere apta sunt aut adunari. Sive enim *inoculatione*, sive *emplastratione* fiat illud insitionis genus aut plantationis, tot oscillorum milliaribus foratæ sunt aut meabiles partium alendarum superficies, ut quocunque inciderint inserendæ succorum nutritiorum particulæ, illic hæreant figantque radicem.

Neque casu aut fortuitò, sed ad Creatoris mentem, tantùm industriæ aut aptitudinis hic excerceri opinaberis; cùm enim oscillorum, quibus pertusæ sunt partium tunicæ, ne quidem sit ullum, quod non fecerit Creator, modulos & formas in illis in antecessum ab illo figurata fuisse animadvertentes, iis aptanda tubulis, quibus cùm adunanda venirent: ædificiorum exemplo, in quibus cœpta opera interrupta pendere videas ex lapidibus, qui salientes extra aut prominentes, ventura expectant aut pollicentur. Itaque cæca inter & exigua nascentis corporis humani primordia, futuri operis maximi fundamenta poni credes; maximi, inquam, ut pote quod *grani unius* a quo incipit molem, vicibus milliariis grandescendo superandam assequatur; hæc enim proportio maxima est, quam invenire licet *granum unum* inter, quod ovuli pondus est, & centum & ampliùs *libras*, quò assurgit adolescendo corpus. Fundamenta autem vocabis tubulorum primogeniorum rudimenta, quæ aut in tubulos longiores exporrigentur, aut quæ ascititiis tubulorum portionibus augebuntur; alterutra enim sit oportet nisi utraque nutricationis ratio; tubulorum nempe corporibus ingenitorum vel fartus, insuccatio exporrectiovè est, vel appendicum additamentorumvè ex appellentibus aliundè tubulorum segminibus adjectio. Quod ergò sunt erga plantas terræ meatus, quos subeundo satæ aut projectæ seminum radiculæ in herbas egerminant, hoc ipsum repræsentant corpo-

corporis partium ſpiramina, quibus aptando ſe canaliculorum ſegmina quibus ſcatent ſucci nutritii, pullulaſcunt, emerguntque in vaſculorum additamenta cum enim ſpiramina illa ſubjectorum vaſorum continuitates ſint & egreſſus, quæcunque his adjicietur, vaſorum illorum appendices erunt. Cæterum inoculationum ejuſmodi artes te non morabuntur, talium enim exempla præbent cum utero *placentæ* in mulieribus, aut in belluarum femellis *cotyledonum* adhæſus; commiſſuræ genera ſunt aut *incaſtraturæ* quibus alterne ſe admittendo amplexantur ſe partes; ſi addes partium illarum adunandarum ſuperficies ad amuſſim edolatas eſſe compactaſque forti preſſu, pluſquam *Hermeticus* adhæſus in illis concipere erit, ei maximè, quem non præteribit ſucci nutritii glutinoſa indoles, qua non ſecus ac ferrumine nativo denſantur partes & glutinantur.

Hæc ſi ita ſunt, ſiſtit ſe aut offert arcanum nutricationis negotium, quod cum unicè verſetur in ſpiſſandis denſandiſve aut elongandis partium ſtaminibus, utrique officio abundè ſatis eſt inſitionis prædictæ genus; namque ſi memineris innumera eſſe ſpiraminum oſcilla, ſaltem tam frequentia, quam crebra ſunt vaſcula ex quibus conſiunt partes, quæve in illos exitus deſinunt, in illorum ſingulis ſucci tantillum inferi non concipies, quin ſingula partium alendarum puncta creſcere aut ali intelligas; atqui tantillum illud ſucci canalitium eſt, unde fateberis tot canaliculis creſcere corpus aut canaliculorum additamentis, quot in partibus puncta ſunt, quin potiùs quot in arenæ puncti latitudine oſcilla ſunt, quæ ad 2000. numerum aſcendere obſervantur; concludere ergo eſt (*e*) 2000. portionibus creſcere ſingulas partium quantitates quæ fuerint arenæ unius menſuræ.

Ampliùs, canalitiæ ſunt ejuſmodi nutritiæ portiones, teretes ergo, in uno puncto non conſidentes, ſed in latera flecti reclinarique propendentes, eò magis quò obnoxiæ ſemper ſunt & ſubjectæ præterlabentis ſanguinis fluento, roratui inprimis globuloſæ illius portionis quæ illas aſſiduè deprimit; unde in latera curvat illas & inſternit. At obſervatum eſt ſuccoſa eſſe vaſorum extrema, pulpoſæ enim appendices ſunt, in quas deſinere comperiuntur; hujuſmodi autem erunt additicii ex ſucco nutritio canaliculi, qui vaſorum parietes ſuccingendo ſuis quotquot hiant oſcillis aſpergilla formant, quæ fundunt rorem partium aut humorem eructant: hinc interiores partium induviæ; quæ encauſti genus ſunt, ex pulpaminibus & humore compacti, humore, inquam, roſcido, quem huc *lymphatica* exhalant, pandunt, complanant, levigantque *ſanguinis globuli*; piuſunt, denſant, corporantque *ſyſtaltici* partium ictus.

Hæc plura quamvis ſint, quæ oſtendit propoſitum inſitionis exemplar, in his tamen unis non conſiſtit; nutricatus enim non tantùm ſed & ubertatis rationem aperit. (*f*) Inſiti genus habet hortorum cultus, quod ex *pertica* nominant, *perticam* ergo virentem accipiunt quam pluribus inciſuris hic illic vulneratam terræ mandant, ſic jacentem ut arborum gemmæ, quas ſuis condit inciſuris, ſuos foràs promant apices quibus egerminent. Abhorrebitne à vero, non abſimilis eſſe ſortis è ſuccis nutritiis venientes tubulos, qui lateralibus aliis, cæcis quidem, ſed tempore ſuo emerſuris canaliculorum germinibus donati erunt? hinc rationem eliceres, propter quam meabiles ſunt tam mirabiliter univerſæ corporis partes, millenorum enim oſcillorum aut meatuum

(e) *Vid. Leuvenhoek. tom. 1. p. 51.*
(f) *Inter en perche.*

tuum haberes origines; nec te præteriret carnium regenerationis cauſa, quam in tubulorum regerminantium pullitie, tanquam in radice videres: hinc adhuc intelligeres, non ſecus ac minoribus ex vaſis conflata ſunt majora vaſa, ita quoque minimis aliis minora conſtare; unde cum nihil ſit in corpore humano, quod vas non ſit aut tubulus, ita quoque nullus in rerum natura tubulus eſt, quod tubulis non conſtet; imo in tubulo, nihil quod non ſit tubulus. Ut enim nihil habet, quod nutritium non ſit, quidquid habet, tubulus erit: ejuſdem ſapientiæ, quæ in creandis corporum germinibus fuit providentia, ſic elucet in iiſdem alendis aut conſervandis. In germinibus condi voluit futura omnia producendorum corporum germina, pari miraculo infimul creari juſſit alimenta, iis gravidata ſuccis tam multis aut multiplicibus, quàm multa aut varia forent corpora naſcitura. At cum canalitiæ erant, quas germinibus crediderat alendæ partes, canalitios quoque creavit edulium ſuccos; optimè conſcius (*g*) ejus fabricæ & ingenii eſſe concreatas germinibus partes, quæ operando aſſequi nequiret creata mens quælibet aut induſtria: hanc ob rem ut operum ſuorum tutelæ providens & conſervationi, (*h*) in alimentariis rebus paravit ſeminarium, non molecularum; ex quarum compactione alendæ corporum partes creſcerent (alterius enim artis erat aut ingenii, quam compacturæ, nutricationis negotium, ut potè [quod in addititiorum tubulorum ordinatione dirigenda verſabatur) at ſeminarium tubulorum ipſorum, quos in aliis corporibus ad tempus recondi voluit & reſervari, ita tamen ut peſſundata, quam in illis corporibus obtinebant ſerie, in corporis humani alitarum reconcinnari valerent. Sed alia inde in conſpectum venit nutricatus ubertatis aut commodi ratio; quod enim contingit opificibus qui teſſellatis operibus operam dant, idipſum nutricatus artificio accidit: illis uſu venit non tantùm ex aptioribus materiæ maſſulis digitos, nares, oculos, &c. fingere, ſed *digitos, nares, oculos, &c.* quæ in lignis, marmore, metallis planè figurata reperiuntur, eruere norunt, & illis quæ formant corporibus adaptare; commodo ſimili ſtuduit aut compendio Creatoris providentia, faciendo, ut alimentariæ res, quæ farciendis aut augendis corporis humani vaſis aut tubulis dicabantur, non tantùm tubulorum teſtulas aut fragmina (hæc enim inſinuant ſuccorum rudes moleculæ) ſuppeditarent, ſed ipſos tubulos, qui illam quæ plantis congruebat, ordinationem exuendo, alteram induant, quæ animalis corpori propria eſt. Itaque ut ut mutati videantur altiles ſucci ex plantis in humanum corpus tranеuntes, ut ut diſcolores & diverſimodè ſapori ſint, utrobique revera durant tubuli ſemper, quoslibet offerant vultus; tanta conſtantia, ut iidem qui in humanum corpus ex plantis tranſierant, ex eodem, ſi reſolvi illud contingat, in plantas regrediantur. Argumento eſt agrorum ſtercoratio, tum terrarum fecunditas ab ebibito humano ſanguine, quem bella fuderunt; exinde enim lætè videas agros herbis luxuriantes; certè totas ex tubulis conflatas eſſe egerminantium herbarum illarum partes tam verum eſt, quàm nihil magis: at amabo, cujus erunt originis illi tubuli? quis eorum parens? quis author? fortaſſis fucum faciet partium corporis humani architectatio mirabilis, quod in illarum ultronea quaſi formatura, ut induſtriæ plurimùm, ita energiæ prodigium introſpicias. At an efficientiæ tantùm penetralibus terræ? an tantùm mechaniſmi plantarum medullis attribues? formandis ergo, figurandiſve tubulis

(g) *Quidquid fibræ* (nutriendæ) *accedit, fibra ſit ni potiùs jam fibra exiſtat.*

(h) Berger, *de nat. hum. p.* 273.

bulis impares esse plantas & terras manifestè argues, ideoque de humo nasci non posse plantarum tubulos. Creatæ alicujus artis aut industriæ opus esse nutricationem crediderat antiqua philosophorum opinio, quæ illam in aggregatione, quam *per juxtapositionem* nominabant, aut per *intussusceptionem* poni docebat; opera erat, quæ partium accessu tantum aut fartura indigebat; ad hæc autem quid tam inidoneum? de farciendis, supplendisve tubulis, maximè si organici sint & ordinati, non ita judicabis; *mechanismi* enim nimium aut artis in illis intervidere est, quàm ut humanæ sagacitatis feturæ esse queant. At organi vices implent nutricatus tubuli, formaturæ enim sunt & ingenii singularis, tantaque dexteritate partibus nutriendis apparatæ, *systaltico* illarum motui concordes adeo aut congeneres, ut facto tumultu nullo, nullo sensu jugiter illis adnuentur. Si adhuc attendas, non hodie primùm factos esse tubulos illos, sed ab ineunte mundo in primarum herbarum partibus creatos, ea positura, indole & textu instructos, horumque tam fidè tenaces, ut eadem ad partes alendas ad dies adhuc integra secum apportent; certè naturam (si non nomen organi) illis facilè concedes. Ecquid enim tandiu durare posse cogitabis, quod conflatum non fuerit aut comparatum ad depellendas vincendasve tam crebras & multiplices temporum, climatum ætatumve injurias? ad hæc tamne idonea futura fuisset, inelegans aut inelaborata materies? itaque stupendi laboris aut artis infinitæ sit oportet creatorum nutricationis tubulorum opus, organique vires & ingenium redolens. Quas vires? prodit illorum tubulorum usus; quod enim partibus afferunt, hoc ipsum erit quo valent & imbuuntur; illorum accessu partibus alendis venit *elater* aut crescit, universi ergo corporis *elaterum* fomites audiant: de *automatum* genere erunt, sponte agitabiles *machinulæ*, timidæ comprimi, resilire impatientes; nascituræ *oscillationis* artes intervides? revera *oscillantia* corpuscula erunt & *oscillatoria*; micantes assiduè & agitatæ semper aut agitabiles *atomi*; *atomi* quidem, si minutiem spectes, caplulæ, si figuram; fistulosæ enim sunt aut canalitiæ; longitudine breves, mole tenues, diametro angustæ, pertusæ tamen aut meabiles, utrinque capitatæ; arborum taleis, segminibus aut plantariis non absimiles; *systaltici* motus omnis aut oscillatorii causæ; felices pyxidulæ, ominosæ Pandoræ pyxidi longè dissimiles, ut pote quæ pro thesauris carbones, pro Junone fumos aut nubem non promant, sed sinceros fundant vitæ latices, & sanitatis fontes aperiant.

Quàm multùm enim inchoandæ vitæ primùm contribuerit *lympha mater* observatum est, at ipsius *lymphæ matris* nutritii sunt nutricatus tubuli; qui hanc ob rationem, *solidis* non tantùm, sed & *fluidis* alendis inservient, *fluidorum* saltem portioni nobilissimæ simul & nitidissimæ, quæ sanguinis *alba* est, a *lympha matre* proximè descendens. Enimvero portione sanguinis alba, puriorem, quæ spiritus illius & anima est, distinguere juvat ab altera quæ illi pabulo fuit, hanc enim dirigendo *amalgamavit* sibi & corporavit. In illa autem quæ nitidior est, *lymphæ matris* perennitatem internosces aut propagationem, in hacque ingenitam creationis energiam, *fluidorum*que virtutis aut potentiæ fontem. Sed auræ illi spiritali, fomitem alicundè accersi necesse erat, quem nutricatus tubulorum medullis condi suspicio est; medullas autem dices tubulorum illorum interiora quæ inanes & cavæ non erunt capacitates, sed plena pulpis loca. Spongiolas concipito primogenio illo humore turgentes, quem plantis insevit Creator, quippe animalium *lymphæ matri* congener aut affinis est: posthac si memineris arterias pressoria esse vasa aut *systaltica*, quò conveniunt altiles succi, spongiolas innumerabiles premi jugiter intra illas facilè concipies, quæ succum quo inprægnantur, fundent liberaliter, soralique & beniguissima aspergine sanguinis *lymphan* imbuent: at ut

matri

matri lymphæ affine eſt iſthuc ſucci genus, illi quoque ſingulariter & amabiliùs aſſociabitur. Itaque altiles tubulos habebis, non ſecus ac altricis *lymphæ* conditoriola aut pyxidulas, quæ animalium *lymphæ matri* fomites & alimoniam ſuppeditabunt. An vitæ pabulum exquiſitius, melius, nobilius? in illone non recognoſces ſpirituum quorumlibet, *vitalium animaliumque* ideas, notiones, ſeminia, energias? ſaltem *lymphæ nervorum* fundus erit aut materies; aliquidne animalis œconomiæ regimini, utilius, dignius aut neceſſarium magis? attamen in his nondum conquieſcit tubulorum altilium utilitas, portionem enim alteram ab *alba* habet ſanguis, *rubram* videlicet, quam illi fovent aut alunt. Teſtes ſunt orbiculares partes, quas cernere licet intra plantarum fibras, tum globuloſæ quas lac oſtendit; cum enim laboris ſatis nondum paſſus ſit *chylus*, ut partes novas cudere potuerit aut elaborare, a vero non abeſt plantis & *chylo* ingenitas fuiſſe partes quas hic lacti tranſmittit; unde fateri neceſſum erit, non ſecùs ac penuaria eſſe loca altiles tubulos quibus quaſi promptuariis, id omne condi Creator voluit aut coacervari, quo ſuam in alituram indigere poſſet corpus humanum. Veniunt enim alendæ *ſpermaticæ*, ut loquuntur partes? præſto erunt ſuo feti *lymphatico* rore, plantarum canaliculi; carneæ venient? ſiſtunt ſe orbiculares illarum particulæ, quæ in rubros ſanguinis globulos faceſſendo, partibus ſua veſtiendis purpura ſervient.

Itaque, quod ad metalla *marcaſſitæ*, hoc ipſum ad alimentarias res erunt altiles tubuli, matrices nempe aut ſeminaria Creatoris ipſius ſata manibus. Inde tibi manabunt *radicales* famoſi *humores*, *innatus calor*, *humidum primogenium*, *inſiti ſpiritus*, *balſamum vitæ*, totaque (ſi iſthæc te ſtemmata juvant) *archæorum* familia nobilior: at ſi è meliori luto ficta tibi fuerint præcordia, ut *elaſticæ* omnis energiæ fomites aut materiæ ſunt altiles ſucci, illorum tubulis primigeniis *elaterum embryones* a Creatore creditos intelliges, quos intra nutriendas partes fundendo ſpiritu motore imbuent illas, vitali ſpiritu aut ſyſtaltica vi. Spirulæ erunt micantes, *oſcillantes* ſemper aut *oſcillatoriæ*, aſſiduè mobiles aut *motacillarum* inſtar motatæ ſemper: nunquid non in his *machinulis* agitatoriis recognoſcere eſſet *animatæ* phyſiologiæ rationes aut principia? *vermiculos* nempe aut *animalcula*, a quibus generationum cauſas mutuari tentarunt; ecquid enim aliud ſeminales ſucci animalium, unde fecundantur femellarum ova, quàm ſuccorum alimentariorum ultimæ evolutiones, quæ intra marium organa ultimò perfectæ ſunt. Poſthac ſuccos iſtiuſmodi totos animalculis ſcatentes, conſpicientium oculis videri aut apparere facilè intelliges; meditandoque in quæ reſoluti ſunt altiles tubuli, qui in ſemen eliqueſcunt, in ſemine recognoſcis *revivificationem* illi non abſimilem qua *fixatum* denſatumve *mercurium* intra *cinnabarim* nativam, in *mercurium* fluidum *chymici* eliquant; hoc enim exemplo, qui intra res alimentarias denſati fuerant altiles tubuli, in ſeminarios animalium ſuccos eliqueſcentes *revificantur* in tubulos; at verò cum eliquatio iſthæc abſolutiſſima ſit, proinde *reſolutio* in minutiſſimas particulas, *revivificatio* erit eorum tubulorum, qui minutiſſimi fuerint: at minutiſſimi ii ſunt quos imis plantarum medullis inſuevit Creator; iidem ergo ipſi erunt, in quos *revivificatio* fiet in conficiendis ſeminalibus animalium ſuccis. Hæc ſi vera ſint, *elaterum* embryones erunt ea quæ animalcula vocant in animalium ſeminibus, ſed quæ melius nominabis *automata* creata, ut pote ab ipſo numine afflata; ideoque a factitiis *automatariis* in hoc diverſa, quòd quam hæc exercent perennantve *oſcillatoriam* motionem, a mortali creatave teneant induſtria; quam verò exercent illa, a creante habent immortali potentia. In his ſpiraculum vitæ erit inſpiratum a Deo, in illis

illis ſpontanei motus ab homine veniens exercitium. Cæterùm, iniqua neminī videbitur facta hic nutricatum inter & *fecundationem* comparatio; utrobique enim animadvertas partium augmentum, quod in *fecundatione* evolutio & exporrectio eſt, in nutricatu fartura, aut ſtipatio; utrobique *lympham*, hujus nempe aut puriorem attenuatamve magis portionem quæ in ſeminalem ſpiritum ceſſit, aut altiles tubulos qui in partium textum denſati fuerant; denique utriuſque operationis artem & materiem poſitam vides in unis *elateribus lymphæ* qui evolvunt & inſuecant, fingunt & exporrigunt. Has generationis artes elucidarent maximè tam multimodæ illæ inſectorum cum enaſcuntur *metamorphoſes*, quas ſub *nympharum*, *chryſalidum*, *aurearum*, *oviformium* & *vermicularium* ſpecie induunt: ubinam enim plures obſervabis & diſſimiliores explicantium, pandentium aut evolventium ſe fecundatorum ovorum aut germinum modos aut artes? undenam *elaterum*, *oſcillantiumve* majores potentias intelliges aut induſtrias magis? undenam Creatoris potentiæ, ſapientiæ & providentiæ theſaurorum in creatis germinibus reconditorum dubitabilia minùs elicies argumenta? at quæ vellicandis curioſorum mentibus pauca videbuntur, candidis unius medicæ artis indagatoribus plura erunt.

CAPUT XVIII.

De ſanguinis circuitûs mechaniſmo, *in aſtruendo fibrarum* elatere, *in modulando partium* tono, *ſtabiliendoque* fluidorum *cum* ſolidis *æquilibrio*.

SIc aluntur partes, creſcuntve; qua autem ratione aut arte, quave conditione materierum quæ in nutrimina illarum cedunt, ſi mediteris ex contextura, naturam illarum & indolem auguraberis. Minutiſſimi ſunt *elateres*, fiſtuloſi aut canalitii, vaſorum, unde texitur corpus, parietibus appliciti, accuſi ferruminativè, partium ſyſtole everberati ſemper, expanſi, complanati, denſati exporrective in latum & longum; aliquid cogitabis, quod vim *elaſticam* alat efficaciùs aut faciat? non immemor enim quàm immensè ductilia ſint ovulis aut germinibus ingenita primæva corporis ſtamina, animo metire, quanta fit a lineis aliquot quibus continetur in ovo corporis compendium, ad quinque ſexve pedes diſtantia, quo aſcendit corporis adulti longitudo. At hæc adhuc pauciora ſunt; mente contempleris (hìc enim deficit maxima imaginandi virtutis copia) quàm longiſſimè diſtet puncti latitudò, ulnarum infinitudini comparata, in quas evolvenda comperiuntur vaſculorum milliaria, unde conſtant aut compinguntur corporis partes: certè eo uſque ductilis materies, ut non facilis rumpi eſt, ſic *elateris* immenſi potentiam ſpondet; interim *elaſticitatis* illius vim mirabiliter elevat modus aut ratio, qua tam exigua moles in tam altum aſſurgit. Igitur quot puncta numerares intra longitudinis infinitæ lineam, tot intelliges *elaterum* micas aut ſpirulas ex quibus in longum immensè crevit oculi maſſula, tubulos puta *lymphæ* nutritiæ, primis partium ſtaminibus in dies applicitos, qui in ſingulis ſtaminum poris aut punctis ſedem figentes, totidem fecerunt augminis gradus & *elateris*. Addas, tubulos illos altiles, ſuis ſingulos forari oſcillis aut poris, tum aliis gravidari *atomis*, quæ adhuc meabiles & poroſæ ſunt aut fiſtuloſæ, humore nempe primogenio plenos, canaliculorum embryonibus feto, proindeque innumerabilibus iis tubulis, quos plantis inſevit Creator ut animalibus

quotquot naſcitura eſſent, alendis inſervirent. Itaque quodlibet adultæ fibræ punctum, quamlibet corporis particulam ſpectes; quidquid hæc habeat molis, alti quidquid habeat, lative aut longi, id omne *elater* eſt aut *elaterum* fartura, tubulorum ſcilicet altilium, quos condendo Creator plantis credidit, quoſque plantæ, olera, fructus & edulia ejuſmodi in alendis corporum partibus impendunt. Inde ratio venit exquiſitæ illius *elaſticitatis*, qua ſingulariter præditas vides partes *ſpermaticas*, quod enim referant primæva creatave in uno corporis partium ſtamina, ideo *elaſticæ* ſunt, tum quod totæ in *elatere* a Creatore primùm *ſolidatæ* ſint, tum quòd ſpirulis *elaſticis* indeſinenter fartæ fuerint & inſuccatæ, altilibus nempe tubulis quibus ſcatent edulia, ex hiſque veniens *lymphaticus* vel nutritius latex.

Malè firmum fore *elaterem* fortè crederes, quem formarent tam multæ particulæ, quæ ut pote disjunctæ diſſutæve, utut ſigillatim *elateres* fuerint, vix *elaſticum* corpus effi...ent; nam a vero abluditne multùm frangi toties aut intercipi *elateris* vim, quoties perit aut intermittitur *elaſtici* corporis continuitas? vibrationis exemplo, cui *elateris* motum facilè comparaveris, quæ illic hæret aut ceſſat, ubi obicis aliquid ſentit aut repaguli; ſed hujuſmodi incommodo ſic a natura cautum eſt: qui accedunt corporis partibus alendis ſuccorum nutritiorum altiles tubuli, ex contiguis illico in continuos evadunt; non enim rudis ferruminationis inſtar; tubuli illi partibus agglutinantur, unde facta inconcinna congeries aut compactura, continuandis aut tranſmittendis *elaſticis* vibrationibus parùm idonea foret; at ut partium pori, in quos incidunt altiles tubuli, vaſculorum corporis exitus aut oſcilla ſunt, cum his illi coeuntes inoculantur ea dexteritate, ut utrorumque fines directè ſibi occurrentes committantur mutuò & adunentur. Sic non priùs copulari queunt, quam illico dedolati, levigative trulliſſentur; encauſtes ritu, quo affrictæ materies & perpolitæ compinguntur adeo ut in unum & idem corporentur & coaleſcant: unde ſit, ut duorum extremorum concinno coalitu facto, continuus & idem tubulus emergat. In quo animadvertas ſanguinis circuitus artem aut *mechaniſmum*, qui intra ſingulorum vaſculorum cava orbiculares aut globoſas moleculas præterlabi cogendo, ſuccorum nutritiorum glutinationi ſervit, ſuperficieſque affrictu ſuo & pondere complanando, tubulorum altilium commiſſuras adunat & ferruminationem polit.

Hæc multa ſunt quæ uſurpat natura, in elaborando partium *elatere*, quod extendendo inprimis & elongando fibras illarum exequitur; verùm, ut optimus ille habetur *elater* qui crudus, aut abſque igne cuditur; neque hanc natura rationem omiſit; revera, non inſtituendo malleos, ſed malleorum vires in *ſyſtoles* ictibus, quas cor & arteriæ exercent, & in indurationis denſationiſve ſpecie quam operatur fortis & indeſinens circumpoſitarum partium compreſſio; unde quæ ſolemnes magis ſunt in artificum officinis *elateris* cudendi rationes, hîc a natura præoccupatas cernere eſt, cujus cura omnis aut unica ſollicitudo verſatur in extendendis denſandiſque partibus, eoque ſucceſſu ut quæ linearum aliquot tantùm erant partium rudimenta, ad ulnarum milliaria protendantur, quæve grani tantùm unius ponderis, ad centum & ampliùs libras eleventur; eleventur, inquam, millium *elaterum* appoſitu, altilium, nempe tubulorum, quibus inſuccantur acceſſione. Ampliùs, è re corporis œconomiæ erat, ut, quod mores illius & ingenium ſaperet, mollis eſſet illius elater, in tot obſequia facilis, quot exercendis illa obnoxia foret: iſthuc commodi apertiùs nullibi comparet, quàm in pellibus aut coriis, quæ debita ſubactione agitata, mirùm quàm mirificè lenteſcant, tractabiliaque fiant & *elaſtica*! at pelles aut membranæ ſunt aut nerveæ omnes corporis partes,

peri-

periſtaltico motu jugiter agitatæ, pingue autem & humidum tam aſſiduè ſudantes, aut roræli oleo ita delibutæ, ut obſequibiles immensè fiant & dilatabiles; interea *elaſtica* non minùs, quandoquidem ad quamlibet latitudinem abierint aut longitudinem, ad eundem, unde receſſerint capacitatis aut menſuræ gradum, ſponte redeant. Argumento erit *uterus*, qui in gravidis monſtrificè tumens, tam feliciter & perfectè detumet in puerperis, ut ad nativam molem ultrò regrediatur. Idem oſtendunt *ſtomachus* in bibacibus aut ebrioſis, *veſica* in *iſchuriis*, abdomen in *aſciticis*; ſed ſi hæc ſingularia privatis partibus aut viſceribus videbuntur, in quantùm ductiles ſint aut dilatabiles omnes corporis partes, ſub *anaſarca* fatearis rem neceſſe eſt, ubi nihil non in univerſo corporis habitu invenias, quod poſtquàm dilatatum fuit inſigniter, ad proprium *tonum* non redeat; ſed evidentius idem ſuadebunt *glandularum* affectiones aut morbi, ſub quibus aut animadvertere licet *glandulas* non infrequentes, ubi nequidem licuiſſet glanduſæ micam opinari, aut tumoris monſtra, ubi vix tetigiſſes granuli puncta. Poſthac in dubiumne vocabis partium *elateris mollitudinem*? hinc ergo concludas licet, tam vegetum hunc eſſe quàm quem extenſio, tam fortem quàm quem percuſſura, tam obſequibilem quàm quem ſubactio fecit: adde tam univerſalem omnibus, quàm ſingulis illius particulis proprius eſt aut ſingularis, cum nullam corporis minutiem habeas, quæ non ſit *elater*, *elateris* nempe aut fomes aut author.

Hinc univerſalis unanimiſque totius corporis humani compreſſus, reſilitionis enim genus eſt aut repercuſſus, *elateris* vim ubique prodens & ſignificans, ſeu *toniçam* tenſionem; unde fit, ut ad quamlibet partem appellere poſſit nihil, quod a ſe non illico illa repellat, ſicque ex corporis partibus nullam invenies, quæ juge non ſit circuitus ſanguinis organum, namque nulla eſt, etiamſi a corde diſtantiſſima, quæ ad excipiendum a corde pulſum invitata, ad repellendum illum confeſtim non reinvitetur. Itaque de cordis *antagoniſta* anxius ſatagere ceſſabis, quem aſſiduum objicit univerſa corporis *peripheria*, cujus *oſcillando* prementes *muſculares* fibræ cum corde reciprocant; quæ cum tam multæ fermè ſint quàm *membranarum* capillitia, addito tot eſſe membranas, quot numerantur partes, quæ omnes ex membranis conſtantur, omnes & inveſtiuntur, ſupereſt mille reſperſa dari in habitu corporis *oſcilla*, aut preſſorias machinulas *ſyſtaltici* motus aut *oſcillatorii* æmulas, ſimias cordis aut imitatrices, quæ habitum versùs evibratum a centro ſanguinem, centro reddunt, ſicque circulationis perennant motum: verùm ſuis repetitis crebrò ictibus ac reditibus partes calcando ſanguis, ſolum illarum firmat, denſat ſtipatve; inſimul *elaterem* nativum alit, primæva fibrarum ſtrata firmando, tum & illum elevat, novos in diebus tubulorum altilium *elateres* iis accudendo. Cæterùm *elateris* hujus firmiter ſic ſtabiliti vim ſentit nihil vividiùs aut experitur quàm ipſe ſanguis, unà cum ſuis conſortibus ſuccis, ſtupendum enim quantam motus ſui partem *elateri* illi debeat, meliùs quàm parùm aut nihil de motu proprium ſibi vindicare poſſit, quandoquidnm tardus iners & plumbeus comperiatur ſoli ſibi relictus, id eſt, *ſolidorum* aut *continentium* partium *ſyſtole* viduatus, ſic ut ſubito tunc otiari, ſpiſſeſcere, imo ſolidari videatur. Hinc argues, quidquid motus in circulando habet ſanguis, id omne mutuatitium eſſe, ne dempta quidem illa motus ſpecie, quam *fluidi* nuncupant quæ tam aſcititia illi eſt, ut ne vel infirmum illud motiunculæ genus queat ſibi conciliare. Dum è contra ille ipſe *ſolidorum elatere* animatus, hujuſque preſſu & ictibus ſtimulatus, incomprehenſas viarum longitudines emetiri potis eſt. Inde quantùm imbecillis in corpore *fluidorum* energia cognoſcitur, tantò impenſiorem eſſe *ſolidorum elaterem* aut potentiam af-

firmabis, eoque certiùs, quòd nullibi vegetior appareat aut efficacior *elateris* virtus, quam ubi *elateris* minùs cernitur : corporis habitum intelliges, unde *elateris* effectio major proficiscitur. Enimvero, quod a corde ad distantissima corporis spatia sanguis pellatur, prodigii minùs illud habet, cognita antliæ pellentis immensa vi, adjuvantibus non mediocriter tubulorum mittentium *systole*, missilium impetu & robore, declivitate locorum & viarum facilitate; quæ enim currenti addita hîc calcaria non vides? de sanguinis autem ad cor regressu non item; hîc antlia deficit, inertes sunt tubuli reducentes, exsuccus liquor redux, viæ difficiles aut adversæ, ut pote illi invito sui pondere conscendendæ aut superandæ. Hæc ardua parùm videbuntur? tam multiplicibus *resistentiis* additur ultima, quam objicit remeantium succorum moles aut copia major; sanguinem enim jaculari, unum & omne cordis officium est; eundem remisisse, corporis habitus aut hujus elateris officii pars dimidia, cujus altera est, utramque *venarum* & *nervorum lympham* reddere centro: ab habitu enim partium, ad cor remeabilem esse nervorum *lympham* simillimum verò est; geminus est labor elateri illi exantlandus, quo tota imbuitur corporis & viscerum *peripheria*, hunc-que revera absolvit & exequitur: unde tantum *elateris* partium staminibus a Creatore crediti rationes tenes & causas, tum & innumeræ illius *elaterum* copiæ quos in alituram corporum condidit, in his enim ut posita est creationis miraculi summa, ab iisdem corporis œconomiæ mirabilis salus ventura erat, atque tutela.

Interim id unicè dictum non putabis; quasi *elateris vis solidis* unis propria sit, micantes enim arterias aut *oscillantes* non secùs ac *musculos* habebis, quibus suum quoque *antagonistam* inveniri necessum est; sed hunc sistit aut offert sanguinis fibra, quæ cum succorum nutritiorum repositorium sit, *elaterum* altilium erit conditorium; alicundene venit *elastica* potentiæ vis aut copia major? penuariumne alicunde locupletius? reipsa publicum est ut lentescit solidescitque sanguinis fibra, tenacitatis tantæ futura, ut findi, pungi scindique recuset, in tantùm ut ferri aciem eludat & temnat, premi non sustinens, gestiens resilire: anne *ovo* tam simile *ovum*, quàm id luctæ genus *elateris* ludo aut reciprocationi? sed inferes, suos quoque esse *fluidorum elateres*, adeo *elateribus* luxuriat humanum corpus. Eo tamen adhibito discrimine, quòd agere videantur qui *solidorum* sunt *elateres*, *reagere* verò aut agi, qui sunt *fluidorum*, adeo ut in illos imperium cadat, in hos famulitium. Utut sit, dum *systaltica* arteriarum vi subjacet sanguinis fibra, *systolen* repercutiendo contranititur, antagonistæque vices implet: sed cum contraniti *retaliari* sit; vim illi inesse propriam & potentiam ab illa exerceri patet. Succusne musteus esset turgere aptus aut tumere, qui exspatiando dilatandoque se arteriarum parietes dilataret? hunc adjuvaret conceptum *spirituum* nomen & idea quam nervorum *lymphæ* vulgò attribuunt, tenuissima enim hac substantia *alkool* aut *spiritui vini* assimilata, *partem* sanguinis *albam*, quæ nervorum lymphæ congener est, & quæ maxima parte fibra illius est, musto est assimilari. Fibræ sanguinis conditionem interpretaberis melius, seu *pansivam* ejus naturam, *elateris* illius rimando veritatem aut meditando: corpus ergo putes qualitate sua lubricum, textu reticulatum, substantia flexibile, glutinosum, molle, lentescens; hancque omnem rerum aut *modificationum* suppellectilem, in *elaterum* aggerie; concursu & harmonia fundatam, aut inde resultantem: machinulam *compressilem* habes constringi & dilatari promptam, maculis distinctam aut loculis, alternatim arctari & ampliari facilibus; quam si tubulo *contractili* coercitam ponas, alternantem percipis repercussum, quo alternatim

tim ille tumeat detumeatve. Posthac eritne unde suam *fluidis* elasticam vim, deneges? quin potiùs fortè erit unde concludas positum esse in sanguinis fibra perennem omnis *elateris* fomitem aut fontem; fomitem, qui altiles quos condit succos aut *elateres*, suos singulis partibus alendit suppeditat; fontem, unde manat *elaterum* princeps *spiritus animalis*, ceu *lympha* nervorum, principum ille partium motor, illarum nempe quibus stant partium *tonus* & virtus; quæ cum tota *elastica* sit, ab eo veniet quod maximè *elasticum* erit.

Itaque *fluidis* suum stat *elateris* jus; at precarium jus est, quod *fluida* utendum habent non fruendum; hoc enim suo minùs quàm aliorum commodo exercent: *elaterum* ergo nidus sit aut officina fibra sanguinis, at aliis certè non sibi nidificat, maximè cum qui cuduntur illic *elateres*, *solidorum* causa sint, penès quæ manet *elateris* potestas omnis aut imperium: ostendit eventus, quandoquidem uni *solidorum* bono impenditur quidquid succi, spiritus & virtutis fovet sanguinis alba pars aut fibra; dum enim cæterarum corporis partium pabulo servit, *solida* rorat, insuccat, infarcitque non tantùm, sed animat quoque aut vivifico imbuit spiritu, unde geminus *elater* erit quem *solidis* impertit, alter quo crescunt, quo vivisscunt alter. *Solidorum* nomine nervos intelliges, ex his enim insternuntur partium stamina: porrò ut sibi minùs quàm aliis suas nervi debent operas, a *lympha* sanguinis mutuari illis necessum est unde privatis simul & publicis officiis pares sint, succi nempe nutritii portionem, quam sinu suo condit sanguinis *fibra* & ad nervos transmittit: cumque totus *elateribus* conflatus sit, *elateres* erunt, quibus tum insuccabit nervos, tum animabit.

Hic intueri licet *elateris* alendi artem in nutriendis partibus; indidem elicies formandi & modulandi partium toni rationem, suus enim est cuique parti modus, *crasis* sua, propria *diathesis*, quæ singulari *solidorum* tensioni, regularique *fluidorum* distributioni aut *anadosi* debetur; sed in hoc *solidorum* & *fluidorum* positu mutuo consistit partium tonus. Hoc sensu, nutriri partes, fibras illarum lentari est, faciendis enim partium appendiculis *elaterum* altilium qui in dies accuduntur appositu, locus intra partium stamina faciendus est, proindeque pandi ea, dilatari protendive necessum est. Cumque a puncto ad ulnarum milliaria fiat in adolescente corpore progressus, ex augminis quantitate extensionis mensuram auguraberis, ex mensura verò extensionis, ut *elateris* vim, sic ex gradu illius, hujus naturam & conditionem intelliges. Hinc partium mollities aut firmitudo, fibrarum lentitudo aut rigiditas, diametrorum capacitates aut angustiæ; cumque partium textus latioris aut strictioris ratione fiat, ut plùs aut minùs hujus vel illius succi intra partium tubulos aut vasa admittatur, indidem manant generis alterius varietates, *parenchymatum* scilicet aut substantiarum colorum, saporum, odorum. Interim varietatum nomine cave concipias ineptas rerum dissonantias; ut enim ex inæqualiter licet tensis fidibus (ita nempe tendendo ductis, ut singulares & varios singulæ ederent sonos) consonantia tamen enascitur, similiter utut dispar videatur in singulis corporis partibus tensio fibrarum, varius proinde earum *tonis*, *eutonia* tamen nascitur & harmonia: revera enim *arhythmi* apparent partium motus, quod dissimiles sint effectus, in eo tamen fit eorum concentus unus, quod functionum harmoniam alant & tueantur, unicumque quod insanitatis œconomia princeps bonum est, sanguinis circuitus ordinationem, perennitatem, æquabilitatem conferant: quin potiùs cum itibus reditibusque contineatur totius animalis œconomiæ summa, disparilem esse oportuit partium contextnram, ex quibus aliæ sunt quæ mittant, quæ excipiant aliæ; quasi diceres fuisse necessum, ut ex his firmiores aliæ forent, infirmiores aliæ;

immo-

immotum enim omne aut immobile intra partium tubulos coercitum tardari debuiſſet, ſi parilis potentiæ, firmitudinis & elateris fuiſſent partes univerſæ. Ampliùs, ut ex ſuccis qui in corpore parandi veniunt, craſſiores alios, alios tenuiores, fatuos alios, alios ſaporos, ſingulos tandem aut odore, colore, conſiſtentia, ingenio ſaltem diſſimiles eſſe convenit, tot ſunt elaborationis, coctionis, digeſtionis aut trituræ varii gradus, quos a vario textus, *ſyſtoles*, *elateris* aut preſſus gradu expectari decet. Tanti momenti erat ſingularum partium variare *tonos* aut fibrarum tenſiones modulari! modulationis ejuſmodi opus eſt aut fructus, *directio* viarum, tum & ſuccorum *determinatio*, hinc enim partium formaturæ, ſitus, poſituræ; tum & ſuccorum impulſus, fluxus, impetus, quæ totidem opera ſunt partium virtutis aut potentiæ, totidem inflexus aut rectitudinis effectus. Ad has corporis rerum notiones recognoſcere licet *ſolidorum* in edendis, regendis adminiſtrandiſve primatum, juxta quas partium actiones, functiones viſcerum & univerſæ corporis œconomiæ operationes, repercuſſus erunt aut everberationes. Ut enim ex aeris alliſu & modulatione intra *pneumonicas* fiſtulas, varii ſonorum *toni* eliciuntur, ſic *ſolidorum oſcillationibus*, preſſu & *ſyſtalticis* ictibus tractati ſubactique ſucci, ita modificantur, ut ſingulares (quotquot in humoribus obſervantur) facies induant, aut caracteres.

Hìc fortè cæcutiet comminiſcentis animi curioſa nimis cupiditas, at conquieſcet ſapientiæ creatoris & illius omnipotentiæ benè conſcia mens, quæ in his induſtriæ miraculis, æternas ordinis leges & in his cogitandi regulas & typos agnoſcendo, dum creatoris operum rationes arcanas exponere timet, confiteri gaudet & imitari geſtit; eventus bene ſecura, ſibi illum eligendo ducem, qui veri fons eſt certique parens; illaque ſibi ponens exemplaria quæ a veritatis authoritate proficiſcendo, undique veritate micant: nunquid hæc alienum quid a vero ſuadebunt? Reipſa, ſi rerum eſſentias non revelant aut eſſentiarum ſingularia, non obſcurè docent, in quo *eſſentialiter* poſita ſit rerum natura; rerum, inquam, quas tractandas habet medicina natura, quam ſuſcipit imitandam. Cæterùm ſingularium ſcientiam non omnem celabunt, ſingularium enim vires, *elateres* & potentias exponunt, partium ſimul ſingularum & ſingularum perſonarum, quas ſingulas *elatere* proprio inſtructas eſſe, factoque ex horum propriorum *elaterum* communi & harmonico concentu, communem quæ emergit animalis œconomiæ harmoniam revelant. Hinc deduces adhuc *temperamentorum criteria*, *idioſyncraſiarum* rationes, ætatum, ſexuumque varietatum cauſas, ut pote cum tot variæ ſint *tonorum* gradus aut mutationes, ab aucto vel imminuto, intenſo vel reſoluto partium *elatere*; quibus ex cauſis admiſſa aut repudiata convenarum ſuccorum majori aut minori copia, variæ veniunt partium texturæ, diverſæ capacitates, colores varii, diſſimiles habitudines; & pro varia ſuccorum craſi, mora aut mixtura, *calidi frigidi*, *humidi ſicci*, *acidi amari* ſenſus. Enimvero tam obnoxium & accidentale eſt quidquid corporis humani eſt, ut modificationum illius ſui quoque modi ſint, unde operationum illius non pauças, ſonorum varietatibus aut vibrationum differentiis facilè comparabis, fidium enim inſtar quæ vellicatæ ſonos reddunt, fibrarum harmonicè tenſarum affectiones ſunt & voces, quæ diverſimodè tenſæ aut modificatæ variè juxta modum ſuum aut rhythmum tremunt, vibrantur, *undulantur*: quæ cum in hoc omnia conſpirent, ut concordem functionum forment harmoniam, *uniſonum* dices concentum univerſam ſanitatis œconomiam. Hæc ſuadet corporis partium *ſymmetria*, mirabilis, rerumque illius non inevidens conſonantia; hic æquilibritatis vires omnes & effectus introſpicere eſt; at verò ex his ut ut induſtriis *me-*

cha-

chanismi regulis & legibus, puri puti animalis machinam inſtitui credas; aliò omnia collimare & dirigi intelligas; ut enim aliundè pendet hominis quam corporis vita, ab altero nempè concentu qui corpus inter & animam intercedere debet, alterum æquipondii genus eſt, (a) hominis vitæ tam neceſſarium, quàm neceſſaria anima eſt, ut ſit homo. Neque hoc aſſertum exageratum putabis, attendendo in quo ſita ſit hominis notio aut natura, quæ cum in cogitandi virtute tota ſit, in eo collocanda erit, unde fiat illi cogitandi poteſtas: porro ut vis hæc, animæ licet propria, & ab ipſa anima veniens hominis cauſa exercetur, ea ſit oportet quam exercere poſſit homo; hic autem anima ſimul & corpore conſtat, aliquid ergo proportionis ſit oportet corpus inter & animam ut homo cogitare poſſit, vel ut anima cogitet corpore circumdata, meliùs ut animæ cogitantis actus ſentiat homo & prodat: ordinationis genus eſt ad cujus leges attemperato humano corpore aut accommodato, agitur & agit homo, ſentit, id eſt & percipit, movetur & movet; vita enim corporis, motus eſt, hominis vita cogitatio & ſenſus. Correlativa ergo ſunt corpus & anima, inter quæ neceſſaria ſunt & amicabilia commercia; unde cum diſparis ſint ſubſtantiæ aut conditionis (quantùm enim corporis alterum obtinet, tantùm ſpiritus habet altera) proportionis & ordinis effectus erit, quòd diſcordes adeo natura ſubſtantiæ, animitùs adeo concordent. Rationem fruſtrà quæſieris in parilitate partium, organorum ſimilitudine aut affinitate officiorum; quid enim animæ & corpori? ſpiritus ad materiam quæ comparatio? quanta enim multiplicitate partium, aut organorum varietate conflatum corpus eſt, tam exquiſita ſimplicitate gaudet ſpiritus; in officia refundis duplicis illius ſubſtantiæ concentus? certè quæ intra tam diverſa exercentur, obſequia erunt & imperia, ni dicere malis imperata obſequia, quæ cum tam certa ac parata ſint, ſupremæ potentiæ juſſa erunt. Itaque creatoris voluntatem & inſtitutionem hic recognoſces, qui ut pote rerum creatarum dominus in tantùm, in quantùm illas ex nihilo eduxit, de rerum modis & affectionibus non minùs jubet, quàm de rerum ſubſtantiis: unde, dum ſuum ad nutum jubet rerum ſubſtantias, ſubſtantiarum *modificationes* ordinat ad imperium. Summi dominatûs argumentum certè illud erit; at in quem ille cadet melius, quàm in creatorem, qui ex nihilo ſua educit opera? eccui aliunde convenit aptiùs ſummum obſequium, quàm creatæ rei, quæ quidquid habet, acquiſititium omne eſt, ſubjectum omnimode, penituſque obnoxium? Interim mutuæ neceſſitudinis rationes corpus inter & animam apertiùs nihil oſtendit, quàm utrique ſubſtantiæ creationis ratio communis; licet enim corporis materiem ſuperet longè ſpiritus conditio, in hoc uno conſentiunt, quòd utrumque creatum ſit, hocque titulo æqualiter obnoxium creatori, qui huic & illi ex æquo dixit leges, leges autem, quas ex his neutrum dicere ſibi nequibat. Sed utriuſque divitias facit alta utriuſque paupertas; eo enim ipſo quo *per ſe* nihilum ſunt, creationi ſubjectæ fiunt & idoneæ, ut pote quæ nihil niſi ex nihilo facit; verùm difficiliuſne creatori erit egregii aliquid edere ex *potentiæ nihilo*, quàm *ex nihilo materiæ*? atqui convenitur ad creatorem pertinere poteſtatem educendi ſubſtantiam quæ nulla erat; alienumne illa ergo erit educere quæ nulla erat potentiam? curtam enim aſſerere creatoris virtutem, in edendis ſubſtantiarum modis, quæ in educendis rerum ſubſtantiis dives eſt, mendacium eſt. Porrò corpus & animam educere creatorem conceditur, modos

(a) *Vide Verdries de æquilibrio*, &c.

dos autem illorum aut reſpectus aliundene quàm a creatione venire negabis? poſthac reciprocas corporis & animæ potentiarum rationes tenes; creatoris enim juſſæ ſunt ordinationes, tam neceſſariæ, quam certæ ſunt operationes cauſæ illius, quæ ordinis omnis fons & author eſt. Igitur ordo eſt, æquipondii genus illud, quo animæ concinit corpus, aut creata inter utrumque neceſſitudo a creatione unicè manans, interpoſita quippe duas inter ſubſtantias, quæ tam neceſſariò creari indigebant, ut exiſterè poſſint, ut ſecluſa creatione nihili, tenebris inſepultæ æternùm ex æquo delituiſſent: quòd ſint igitur, a creatore habent, ſed ab eodem quoque tenent, quod ſint ad ſe invicem aut mutua ſui cauſa, atteſtante id animæ *exiſtentia*, quæ privata corporis cauſa creatur, ſic ut a rerum natura abeſſet anima, ſi animandum corpus abeſſet; cujus ſolius gratia, *creando infunditur*, & *infundendo creatur*. An ut phyſico influxu aut contactu corpus agat moveatve? materialis aut corporeæ virtutis genus illud eſt, ſpiritali ſubſtantiæ aut dignitati repugnans; vis autem ordinis erit, a ſupremi ordinis authore creatæ corporis ordinationi ſuperaddita huicve præfecta quanto tempore durabit aut perget iſthæc ordinatio quam ſuo comitatu ſervat, afflatu regit, præſentia tuetur. Sub his quidem præſtituti vitæ termini cauſam ſubodorari liceret, at melius adhuc inde inferes duas has inter ſubſtantias ſtrictioris neceſſitudinis, imo proportionis, concentus & harmoniæ leges. Creationis inſtitutio eſt, ſeu creatoris decretum, veritatem cujus minui velle ſceleroſum eſt non tantùm, at quoque ab ipſa ratione tam alienum, quàm abſonum aut ridiculum iniquam erroris aut mendacii notam in eum infligere, qui veritatis æternæ fons & parens eſt. Exinde liquet adhuc inquirendam non venire phyſicam proportionis illius aut æquilibrii cauſam, artis enim operatio non eſt, quæ quas uſurpaſſet agendi rationes ſiſteret, at creationis opus omnem a ſe removens artem, veritatis autem prodigium pandens. Revera diſcedat oportet phyſica contemplatio, unde naturæ mores & leges abeſſe convenitur, ſic autem eſt de animæ in corpus imperio, corporiſque in animam agendi ratione; verbo, de reciprocis utriuſque commerciis. Eam enim eſſe corporis naturam, ut ejus phyſicæ vi in animam agere detur, nemo non negat, è contra annuitur, talem eſſe ſpiritalis ſubſtantiæ conditionem, & illius agendi modum in corpus, ut cum phyſicæ rationibus minimè illi conveniat; nihilominus tamen in ſe mutuò agunt, virtutis ergo aut potentiæ alterius quàm phyſicæ ſit oportet, creationis ſcilicet quæ ſolas rerum finitiones oſtendendo, illarum incunabula celat, elementa condens, prodens complementa. Igitur exemplaria tantùm erunt in quibus velut in ſpeculis intueri medico dabitur & contemplari ordinis & conſtantiæ leges, rectitudines. legum & ſapientiæ regulas, ad quarum exempla, ut docebitur ſanitatis aut vitæ rationes, ſic ad normam illarum exprimere diſcet & componere medendi leges.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX DE PESTE.

MONITUM.

Ubi de Medici officio, ſub novi aut inſoliti morbi ingreſſu.

HUJUS operis inſtitutum non erat nec conſilium, aggrediendi cauſas ſingularis ullius morbi, aut tradendi ſingulares curationum rationes, *conſpectus* enim eſt, aut intuendi modus univerſales animalis œconomiæ mutationes, ex quibus deducerentur naturales *phyſiologiæ* conceptus, ſequerenturque generales *medicatricis* naturæ & medendi artis *indicationes* & leges; ſed fecit materiæ pondus, ungens præſentia peſtis & artis progreſſus amor, ut ſpeciminis modò conſpectui noſtro ſitere ſe peſtem annuerimus, benè conſcii doctrinæ illius, veritatis & fidei multùm acceſſurum eſſe, ſi illi contingat luminis tantillum impertire, quod aptum ſit diſcutiendis incomprehenſi ſimul & luctuoſi illius morbi tenebris, vel adjuvando curam illius, vel amovendo pericula curationum aut infortunia. Interea in tractando privatum aut ſingularem hunc morbum, conſpectus ideam ſectati ſemper, *communitates* illius ſolas exponere animus fuit, aut generales illius *ætiologiæ* & curationis conceptus elucidare: unde ſi ad completam peſtis tractationem deſiderata hic non pauca videbuntur, cauſam invenies in ipſo operis ſcopo eo collimante ut retegantur generales morborum conceptus, nullatenus ut ſingulatim conceptus morbi proprietates revelentur. Ut enim rebus in arduis ad eventum felicem maximè facit veros habere primos rerum proſpectus, ad quorum exemplaria dirigantur futura operum ſeries, ſic ad medicinæ felicitatem apprimè facit mentibus inſeviſſe veros morborum conceptus primos, ad quorum imagines formentur inſtituendæ curandi indicationes; quod autem morbis in univerſum convenit, idipſum privato alicui morbo aptandum eſt, in quo ſanando in tantùm proſperabitur, in quantùm legitimus fuerit qui medentis animo inſederit primus morbi illius intuitus.

Laudabilis maximè inſtituendæ ſic medicinæ ratio, qua quis inſtructus, ad futurorum quorumlibet morborum curationes aptus invenitur, ipſorum etiam qui inſoliti fuerint aut novi; conſcius enim & eruditus rerum rationumque quæ naturæ offendiculo eſſe novit, tenet modos quibus illa levari amat & auxiliorum genera promptus intelligit quæ ad illos quadrant modos. Sapientia hæc illius erit qui naturæ convictu doctus uti familiariter, morbidam in ſana didicit naturam, medendique artem in *medicatrice natura*, quam ſpeculando in morbis, fida duce non caret, cujus ſpreto aut ignoto regimine per devios *ſyſtematum* calles incendendum illi eſt; non enim aliunde variant & incertantur morborum novorum aut inſolitorum curationes, niſi quòd ſurgentibus his morbis, origine, natura, nomine interdum obſcuris, ad amicum ſibi quiſque *ſyſtema* confugiens, quas illi *ſyſtema* peperit, non quas edocuerit natura indicationibus auſcultat confidentiùs, ſicque cerebri ſequitur commenta naturæ defectus conſiliis. *Epidemica* ergo lues graſſatur? *ſyſtemata* cum morbis ebulliunt; hi *fermentorum* fabulas ſectati horum altè jam ſepultorum quos conſulant manes evocari volunt, alii hujus aut illius philoſophiæ elementa adoptari, cæteri chymicorum admitti principia; at fatuorum tot ignium ludibriis duci faciles nimiùm animos, in opinionum lethales abyſſos præcipites dari eſt.

Ab his liber ſit diſcriminibus naturæ factus auditor aſſiduus, in qua medicinam nactus jugem, conſiliarium habet ad manum, quem confeſtim interrogando, monitorem illico audit; generatim novit naturæ tuendi ſe rationes, inſtrumenta, modos in depellendis quorumlibet morborum aſſultibus; in anteceſſum illi eſt obtinuiſſe, cujus fuerint generis & conditionis præſidia, quæ ad ſanandum ingredientem novum morbum illi venient eligenda: quin imo has omnes auxiliorum rationes ipſamet natura tibi definiet, ſi ex operibus illius, illius vocem interpretari ſuetus obſervaveris diligenter quæ ſint quas feliciter adhibet artes, quos ſuſcitat motus, quas tentat vias, humores quos pellit, quæ tempora ſervat, quas amat periodos, quas *judicationes*, quos exitus in expediendo novo ingrediente morbo; ut enim hic celer ſit in firma corpora incidit aliquandò, fortioriſque *toni* præcordia, quæ malo reluctando diutiùs, imo hoc eluctando feliciter, locum medico dant & tempus explorandi, agnoſcendique modos quibus adjuvat & expedit ſe natura, quos proinde ſibi ſumet imitandos. Abſtinendo autem aut continendo manum, comparatur id medicinæ genus, *mutaverè medicina*, qua naturæ ſpectator factus medicus, otiando agit, de illa operante tutus, quæ illius cauſa & nomine agit indefinenter, nec infructuosè, illius enim patientiæ fructus eſt, reſciviſſe modum quo ferus ille curatur, vincitur tandem morbus, modò *hac*, illa modò vacuandi ratione, non infrequenter evacuatione ſenſibili nulla. Alia enim artis deceptio eſt, infidam cogitaſſe ſolutionem morbi, ſi ficca ſit, vel abſque evacuatione facta, licet extera naturæ videantur iſthæc conſuetudo, quæ *digerendo* imprimis (tantillum eſt quod evacuando monſtrat ſenſibus!) omnes abſolvit animalis œconomiæ operationes, interim *tranſpiratione* dempta, quæ quidem evacuatio eſt, ſed inſenſilis, quò tendunt *digeſtiones* illius univerſæ: at non abſimilis ſæpe eſt ſolvendi malignos morbos naturæ modus, hos enim *coquendo* humores & in vapores *tranſpirandos* tenuando, percurat: hujuſmodi eſt blanda *diaphoreſis* qua maligni morbi ſolvi amant.

Equidem truces adeo interdum ſunt maligni morbi, tamque in exitium præcipites, ut ſubitò cadens natura confeſtim malo cedat; nihil aut parùm medico linquens temporis, quò ex naturæ certaminis aut luctæ modo vincere

cere discat ; Sed tunc ex anteactorum temporum annalibus memoria tenebit multiplices pestis historias, ingenia , mores ; tum medendi rationes & remedia ex medicorum libris didicerit, quibuscum conferendo pestis præsentis indolem , intelliget quæ huic congruent medendi *indicationes* , quas idoneas, facto hoc *analogismo*, ideo inveniet , quòd *analogismus* sit medicinæ corporis indigenæ fulcus regulis , id est creatoris legibus corpori insitis; cum enim ad has quadrando medicorum illorum opera prosperè cesserunt, hæc eadem opera imitando nostri medentes, feliciter curabunt , eadem omnes usi naturali medicina , quæ ut pote vera quia creata, utriusque fido erit & felici consilio. Hæcque sunt, quibus in hac appendice annuendo, immisse peroptamus.

APPENDIX DE PESTE.

Ubi de Medici officio, ſub novi aut inſoliti morbi ingreſſu.

Ermè hinc exciderat illius memoria morbi, qui ſub hunc *medicinæ* noſtræ *conſpectum* opportunè cadit; præterquam quòd enim inter incurabiles morbos tantò magis incurabilis videtur, quantò numeroſior eſt quam depopulatur populorum turba, illius in obſcuro & ancipiti maximè verſantur natales & cauſæ; quarum pernicies *mechaniſmi* doctrinæ revelanda reſervari videbatur, (a) *cujus ratio non niſi ratione quadam mechanica tolli poteſt.*

De peſte interrogant an febris ſit? conaminis enim aut luctæ tantillumnè produnt repentinæ illæ mortes, quæ omnem naturæ præoccupant curam? Ita ut primum orientis exquiſitæ *acutæ* peſtis punctum, breve ſæpe ſit mortis præludium; hincque curationum infortunia excuſari volunt, inde profecta ut ajunt, quod ſua naturæ in curando negata operatione, ceſſet omnis medendi virtus, irritis nempe factis omnibus auxiliis medicinæ & medici conſiliis. Verùm, operis an potentiæ nomen febris eſt? Nunquidquè deficientis potentiæ ſignum eſt operæ defectus? Febris in natura radicem habet, ut potè naturalis potentiæ modus, ceu *ſyſtalticæ* virtutis augumentum, quo *ſolida* oſcillando celeriùs, vegetiùs & fervidiùs, febrem conſtituunt, cujus proinde niſus in quo conſiſtit, in naturali illa potentia fundatur. Hujus autem potentiæ niſus a corpore non abeſt, quo tempore a peſtilenti *miaſmate* invaditur, quin potius hic ipſe niſus eſt quo cum congreditur primùm peſtilens aura, unde velitatio velox, vehemenſque inſultus qui certè non pugnat in ventum, nec abſentem laceſſit potentiam, ſed eam quæ corpori præſens jugiter aſſiſtit, illicò ferè ſuperat evertitque. Febrem ergò peſtem dices, lucta eſt enim, ſed imparibus armis

(a) *Sydenham ubi de peſte p.87.*

armis cœpta, & iniquis conditionibus, ſub qua tanta vi eoque impetu irrumpit aſſultans *miaſma*, ut adverſantem omnem niſus aut potentiæ vim brevi perrumpere queat.

Igitur animum deſpondere ceſſabunt medentes, certiores facti, hic ut in cæteris morbis, una cum illis curare naturam, ſeu inſitam corpori *ſyſtalticam* vim habere ducem, oppreſſam quidem, non extinctam, imò integram, & quantam inſtituit creator morbis & ipſi peſti domandæ parem, (a) *quoniam Deus mortem non fecit . . . . . creavit ut eſſent omnia, ſanabiles fecit nationes, non eſt in illis medicamentum exterminii. Atqui medicamentum exterminii daretur, mortemquè feciſſet Deus, neque ſanabiles feciſſet nationes*, ſi vi naturæ aut corporum potentiis ineluctabilem morbum feciſſet, qualis foret peſtis, cui vincendæ impares corpori dediſſet potentias, vires nempe, quæ graviter laceſſitæ, ineptæ eſſent atterendæ, ſubigendæque morbi alicujus malitiæ; febris autem officium eſt terendi & ſubigendi hoſtiles ſuccos; peſtis ergò febris eſt, in naturamque aſſultura gravis quidem, potentiis tamen illius non inſuperabilis, ſi iis uti noverit non novitius, ſed recoctus medendi artifex.

Hæ potentiæ *elateres* ſunt, quos alit aeris *elater*, a quo proindè ut habent undè ſuſtentent vitam, contrahunt quoque undè faciant morbum; ab aere benigno pacatoque illis venit oſcillatio mitis, æquabilis, ordinata; a malè morato, turbulentovè oſcillatio inæqualis & inordinata, ad aeris enim *elateris rhythmum* oſcillant aut vibrant corporis potentiæ, quapropter ſi vehementiùs, feſtinantiùſque oſcillet aer, præcipitantiùs oſcillabunt potentiæ vitales; ſicque aeris *elateris* modus motus menſura eſt, norma vitæ, ſanitatis regula. Hinc locorum, terrarum & regionum ad ſanitatem potentiæ; hinc conſtitutionum aeris, anni tempeſtatum & ventorum poteſtates, a quibus omnibus profecti aut advecti multiplices habitus, laxi aut rigentes plùs minùs, corporum habitus contactu ſuo plùs minùs laxant aut ſtringunt, tum aſpiratu intra pectus, olfactuvè intra ipſa cerebri pomæria admiſſi, affrictu ſuo *ſpaſmorum* millia *ſolidis* invehunt *ataxias nervis*, *fluidis* turbamenta; vita ergò vapor eſt, aura morbus.

Hinc odorum energiæ, qui quantumlibet cæca ſint; oculiſquè inaperta ſpiramina, illas in *microcoſmo* horrendas edunt ſtrages, quas monſtrificas procellas in mari *typhones*, & in agris inſanas turbines proferunt immanes venti; portentorum enim illorum cauſæ ſunt catulientium *elaterum* myriades, a terrarum centro ad ſuperficies pandi nitentes, terra & maria cælo miſcent, ut potè cum non aliundè quam ab accenſis, exſtimulatis, iratiſquè *elateribus* aeris proveniunt *fulgura*, *tonitrua*, marium procellæ, terrarumquè motus: ſimiliter quas in hyſtericis vides nervorum furias, *ſpaſmos*, deliria, vomitus, febres, dolores, odoris alicujus effecta ſæpè erunt, id eſt auræ ſubtilis, actuoſæ, *elaſticæ*, quæ nervorum *undulationes* in *ataxias* vertendo, oſcillationeſquè in *erethiſmos*, *ſpaſmis* opplent omnem corporis œconomiam.

Illæ rerum univerſi turbæ, *macrocoſmi peſtes* ſunt, tam miſere agros & maria devaſtant! in illarumque originibus eas quæ *microſmi peſtes* edunt cauſas intueri datur; in his ergò ut in illis *elateris* intenſi ſævitiem agnoſces, hæc autem in res plenas *elatere* cadens, aut totas *elateribus* fetas, qualia ſunt corporis humani viſcera, cædium patrat portenta, inde enim hominum ſtrages, non mortes ſi numerum, ſupplicia ſi dolorem, prodigia ſi inſolentiam ſpectabis. Sed *peſtis* hujus atrocitatem auget biformis *elateris* ferina potentia duplex, hinc illius qui partibus inſitus eſt, illinc alterius ab aere advecti: hic

eve-

(a) *Sapient. 1. 13.*

evectus mirabiliter, puritia ſua potens, minutie levis, pernicitate velox, apprimèque factus meabilis, eo appellens, ubi mollia, aperta, meabilia omnia ſunt & *elateribus* conſita, non ſecus ac pulveri pyrio admotus ignis, aut igniculorum miſta ſuſcitabula, omnia turbat, agit, emovet; utrinque enim *elaterium* ſtimuli additi ſunt, quibus accenſæ res aut exſuſcitatæ rapiuntur in motus enormes, crebros & impotentes, quales ſunt oſcillationes citatiores, crebriores, velociores, quæ *ſpaſmi* ſunt aut *ſpaſticæ undulationes*.

At in his omnibus non obſcurè delineatos habes rabidos & effrænes ſanguinis ad partes aut viſcera raptus, unde non ferendi capitis & lumborum dolores, *petechiæ*, *bubones*, *carbunculi*, *parotides*, *hæmorrhagiæ*, quæ peſte demortuorum viſcera cruentant, & *gangrænæ*, quibus illorum laceræ ſunt partes; ſanguinem enim ſub peſte, *ſolidorum* velocioribus oſcillationibus, œſtro veluti percitum concipies, qui rapidi torrentis ritu per vaſorum mæandros impete pulſus illorum cogit curvaturas, violat diametros, rumpit nexus, repagula vingit, *ſolidorum* enim potentiæ (quæ corporis potentiarum ſuprema habetur) vis eſt immanis facta, quæ evertens omnes corporis œconomiæ leges, niſus ſpernit omnes, ſuperat omnes *reſiſtentias*.

Quomodo creſcat in immenſum evecta *ſolidorum* potentia, hinc elucet, quod cum ea nata ſit, quæ ſegnem & torpidum natura ſua ſuccum, ſanguinem nempe lenteſcere aptum, facilemquè ſtagnare, per cor millies intra diem circulari cogat, in proclivi eſt cogitare, cretam portentosè illam potentiam, eò pregreſſuram, ut illum eundem ſuccum agat furialiter, ita ut quas propria natura vincit reſiſtentias, aſcititia aucta virtute perrumpat. Hæc autem aſcititia virtus ab aere peſtifero manat, aut ab illius intenſo ultra modum *elatere*. Porrò impensè creti in aere peſtifero elateris, non obſcura ſunt tria argumenta, locorum quæ peſti pro patria ſunt natura, anni tempora quibus naſcitur & ſævit peſtis, ætates hominum & temperamenta quæ aggredi amat. Loca, regiones præcalidæ ſunt, quibus *endemia* peſtis eſt, & undè ad alias prorepit; ætates inter, juvenilem, floridam, catulientem ſanguine corripit, dum infantili parcit & ſenilem veneratur; ex anni temporibus æſtate gaudet, ſub qua meretur aut graſſari amat; quibus poſitis memineris quantùm *elateris* aeri a calore veniat, a triplici illo memorato jam caloris argumento, hincque ſtupendam elateris vim accreſcere aeri intelliges.

Neque quemquam (ſi artifex fuerit) morabitur jugis ille *lipothymiæ* ſenſus, de quo ab his qui peſte laborant familiaris querimonia eſt, nullum quippe præfervidi caloris tam obvium indicium habetur, quam virium exſolutio, ardente *ſyrio* teſte, ſub quo ignavia hebetantur hominum corpora. Talis inertiæ cauſam petunt ab uberiore *tranſpiratione*, quam augeri maximè in calidis regionibus confeſſum eſt, in confirmationem adducto hominum robore, qui *Boreales* plagas incolunt, qui vegetiores ſunt & majorum capaces laborum: interim aliundè ſub peſte ducenda eſt fractarum fatiſcentium virium ratio, nimirùm a præoccupatis a peſtis veneno nervis; unde ut a fonte ſuo cum deſcendant vires, virium quoque, ſi fons ille ſiccatur, lapſus venit. Porrò cùm oldant vires, virium quoque, ſi fons ille ſiccatur, lapſus venit. Porrò cùm olfactu, aſpiratione aut deglutione ſuſcipiatur peſtis contagium; nervoſæ *cerebri*, *pulmonum* aut *ſtomachi* partes ſunt, quibus primùm allidit, unde fit, ut quemadmodum ii qui puteos purgant, vel foſſas aut mineras effodiunt, a terrarum effoſſarum ſpiraminibus repentinis periculoſe interdùm invaduntur, ita ut illico animo linqui derepente aut præfocari periclitentur, ratione pari peſtis veneno tacti pulmones aut dictæ partes, eam illico concipiunt *ſpaſticam diatheſin*, quæ currentes ad viſcera *oſcillationes* tardat, vertit, arcet; quamobrem ſuo defraudatæ cæteræ partes *lymphæ nervorum* penu fatiſcunt; eo periculo-

culosiùs, quòd ab hoc *symptomate* proferente se sub primo pestis assultu, intelligendum veniat vinciri veluti nervos aut sufflaminari, hacque de causa comprimi sanguinis circuitum, quod instantis proximè mortis significatio est.

Neque perperam hinc deduces *symptomatum* omnium rationes, quæ sanguinis *coagulationi* imputari solent, quam enim *coagulationem* dicunt, *stasis fluidorum* est, quem post se trahit *spastica* vasorum constrictio, sub qua coercitus, stagnandoque sanguis pressiùs tunditur, sicque diutiùs percussus, aut patientius everberatus, illa qua *solidus* est fibrata sui parte densatur, cogitur, concrescitque in pelliceam illam duritiem, quæ *inflammatoriorum* affectuum *criterium* est aut notaculum; posthac *phlogoses, caumata*, similiaque *phlegmones stigmata* in demortuorum a peste cadaveribus inveniri, pestis causam suis oculis videre est & inveniſſe.

Pestis ergò, quam *venenorum omnium summam vocant aut compendium, arsenicalis veneni extractum aut quintam essentiam*, absolutissima inflammatio est, id est inflammationis omnis complementum, ceu inflammationum omnium congeries & summa, *solidis & fluidis* simul & semel & confestim inusta; in eo *peracutum* aut *acutum extremè* constituens morbum, quod momento quasi, illud omne compleat mali, cui obtinendo diebus multis opus est febri *acutæ* vulgari aut ordinariæ, quæ sensim ad *malignitatem* progreditur, aut illam partitò profert, adeò ut quæ per *fluidorum* strages cœpta est, in *solidorum* aut nervorum vitia desinant: unde pesti fit discrimen, statim enim a *solidorum* aut *nervorum* læsuris orditur; verbo sub *acutissima* febre ordinaria; *fluida* primùm occupare *phlogosis* videretur, sub peste verò *solida* primùm *phlogosis* invadit: unde cum proximè imminet domui ruina, cujus bases aut fulcimina ardent, corpori peste venenato instat interitus, ut pote cujus fulcra, *solida* nempe aut nervi deflagrant.

Et verò, qualis est spiritus urens quo infectus aer arborum gemmas & cerealium culmina, spica svè uredine siccat, sic aura pestilens ore ducta, nervorum medullas & ipsa stamina torret; igniculorum enim ritu, quorum illa refert ingenium, quæ tangit, urit. Uredo autem hæc sic se habet; nervorum tubi, filorum fasciculi sunt; interiùs *lympha* rorati, cincti exteriùs membranulis, quæ sanguinalibus vasis insternuntur; sed utraque conficit spiritus pestilens, siccando *lympham*, sanguinem densando, imò hunc & illam perdendo simul; enimverò tam arctas capacitates subeundo igniculi illi *elastici* supra modum, quia ignes, igniarii more intra cuniculos breves coacti pandunt se vehementiùs, angustosque vasorum diametros, comprimendo delent, *lymphamque* pressando densant; quod simul & semel partem sanguinis rubram & albam pessundari est, geminosque siccari vitæ fontes. Fulguritis ergo arboribus non male comparabis quæ pestilenti spiritu tacta sunt corpora, utrobique enim habes arentia igne rerum stamina; pestis enim ignifer aer est, summe subtilis aura in *elateres* leviſſimos tenuata, penitiora pervadens, præpotentisquè energiæ, corporis potentiſſimos *elateres* vincens, eos vel assimilando sibi & proinde furiando si obsequibiles se præstent, vel extinguendo, suffocandove si contumaces; qua ratione enim *minus* extinguit *luminare majus*, debiliorem deprimit fortior elater.

Si rogas cujas sit pestilens ille aer? cujus originis vel prosapiæ? creatus est calidarum regionum indigena, quæ illi pro fundo sunt & conditorio, creatus, inquam, non reipsa venenatus, malum enim opinari creatum a creatoris bonitate abhorret; creatus ergo quia *elaterum* myriadibus fetus, conditus est promptuarii instar aut seminii, unde sensim & clanculùm ad vicinas, ex hisque ad remotiores regiones propagando se illi elateres, pro anima mundi sunt,

in

in quibus *ſpiritus* ille eſt qui res *intus alit*, quandiù illum ſuis coercitum limitibus & conditionibus juſſis addictum, naturæ legibus hominumque bono ſervire ſivit creator. Nihilominùs tamen illarum regionum inquilinis tolerabilis eſt ſpiritus illius convictus, ad illius enim ingenium formando ſe corporum illorum *ſyſtaltica virtus*, ad illius *rhythmum* fingit & modulatur partium *tonum*, ſicque ad invicem ſtabiliente ſe quodam æquilibrii gradu, incolis illis ferendus naſcitur vividior ille aeris *elater*. (*a*) Verùm cum (*b*) *peſtilentia aut corruptus aer* (*c*) venturus erat in præcipuum & ſingulare flagellum, quo uteretur creator ad punienda hominum delicta, ad manum illius reponi decebat & aſſervari alicubi terrarum flagelli illius præſentem ſemper materiem, quæ impendentis numinis iræ foret ſignaculum, & ad cujus intuitum a delictis ſe continerent homines; ſin minùs laxaret creator data ſpiritui peſtifero retinacula, illique ad criminum loca abire & ſævire concederet; hic enim ſpiritus cum diverſi ſit *elateris* ab eo quo vivunt regionum illarum incolæ, illicò ei inimicatur, nec rarò vincit priuſquam pugnet: meliùs illinc efflari jubet iratum numen plurimos habitus *oſcillatorios*, qui quia indigenas regionum naturas tolerabiliter oſcillare conſueverunt, ad alienigenas advecti incolarum naturas, intolerabiliter oſcillabunt. Hinc ortus contagii, quod tranſmiſſus erit evibrationum aeris maximè *elaſtici*, proprii quidem illi loco, cauſa cujus factus fuit, ſed qui loco, ubi peregrinabitur fit hoſtilis, extraneæ nempe oſcillationis, alieni tritus, pacis oſor, turbarum amans.

Tranſmiſsûs illius en habes materiem, modum & cauſam docet aeris habitus aut diſpoſitura; mollis & fluida moles eſt, ſeriei unius & continuitatis, cujus partes ſemper, undando repunt, adeò ut alicubi moveri cœptæ quaſi ex traduce ad diſtans currendo moveantur: atqui aer vibrans *elater* eſt, illius ergò motus evibrationes erunt, quæ alicundè proficiſcendo longè lateque diſcurrent. Contagium ergò aeris *elateris*, aut illius *oſcillatorii* motus, ad diſtans tranſmiſſa modificatio eſt, ſic enim ſe habet, quoties peſtilens aura vicinum evibrans aerem de infeſto loco ad locum veneni purum clanculùm arrepit, hæcque ratio eſt contagii per adjacentes terrarum plagas ſe diffundentis; nihil enim propagari tam amat, aut tam facile eſt multiplicari, quàm evibrationes aut *undulationes* rerum, quæ fluitantes, continuæ & affines ſunt, ſic enim conſtitutis rebus familiares ſunt motuum *communitates*, porrò fluitans & continuum nihil tam eſt, quàm aeres, nihil affine magis, quam aeris particularum ſimilitudo, ubicunque enim aer volubilis eſt, cohærens ubique, *elaſticus* & oſcillans: adde communionem, neceſſitudinem, ſimilitudinem externi aeris cum interno quo corpora noſtra vigent, contagii rationes habes & artes fermè omnes.

Enimverò alius modus eſt contagii illius quod aſportatur, quo adjacentibus ſibi terris parcendo peſtis, ad alias etiam diſſitas regiones tranſvolat ſæpè, non rarò transfretat. Illorum culpa fit, quos ducit amor nummi, qui vili emptas pretio locorum infectorum merces, ad ſuos heu crudeles! efferunt; quorum crumenas emungendo, vitas perdunt; ſed tum non aeris infecti modificatio eſt, quæ contagium facit, ſed ipſiſſimi aeris infecti tranſvecta portio, quæ ſecum ad incautos effert contagium. Cogita ex lino, lana, goſſypio contextas mercimonias, in infecto loco elaboratas, ad integra loca aſportari, eaſque in ipſiſmet regionibus infectis complicatas, vinculis ſtrictè revinctas, ciſtiſque arcte

(a) *Reg. III. c. 8. v. 37.* (b) *Levitic. c. 16. v. 25.*
(c) *Paralip. I. c. 21. v. 14.*

arctè concluſas fuiſſe; in illis omnibus loculamenta videre videris aut nidamenta, quæ commiſſas ſibi in ipſo peſtiferæ luis gremio peſtis micas non leves, aut peſtiferi aeris veras portiones, quæ loca ad quæ aſportabuntur & ubi replicabuntur merces certo infecturæ ſunt? cogitabis enim quam multas peſtiferi aeris oſcillantes *atomos* per aera efflabunt apertæ ciſtæ & recluſæ merces, quæ ad ſuum oſcillandi modum rapiendo vendendoque aeris circumfuſi *elateres*, hos formabunt ad illum qui corrupto infectarum regionum aeri proprius eſt ſicque evadent in peſtis ſeminia.

Imò in ſeminaria malorum, peſtem enim faciunt venenorum principem, eminenter, ut ajunt, condentem in ſe quarumlibet ægritudinum ſemina: nam venenorum vulgò, *diſſolvere* ſanguinem aut *coagulare* ſatis eſt, valet utrumque peſtis, quæ liquat modo, modò cogit ſanguinem; gregariæ morbi cauſæ eſt hunc aut illum edere morbum, *dyſenteriam* vel *anginam* vel *pleuritidem*, vel ex inflammationibus unam, omnes generat peſtis; *ſtrictum & laxum*, celebris hæc cauſarum biga, producendis quibuslibet morbis par habita fuit, utriuſque potens peſtis eſt, partium enim *laxat* modo, modo *ſtringit tonum*, omnibus ergo æquipollet morbidis cauſis; denique friguiſſe ſanguinem aut incaluiſſe *pathologia* veteris ſumma erat, at ſub peſte nunc ardet corpus, nunc alget, tam verum eſt morborum & cauſarum morbi omnium ſummarium eſſe peſtem!

His omnibus ut reſpondeant phœnomenis; invocant, *arſenici* virus, *acidorum* figendi virtutes, *alkalium* diſſolvendi potentias, *ſulphurum exaltationes*; alii frigoris inertiam, alii furias caloris; nec pauci arcanam & nomine tenùs cognitam *malignitatem*. Harum allucinationum cauſa eſt una de *fluidis* aut humoribus opinatio, ſcilicet in iis poni morborum cauſas, quas ut exponant, in definiendis humorum ſaporibus doctè quidem ludunt, infeliciter tamen, quandoquidem ut ut jam ab antiquo in illis circa peſtem *ætiologiis* diù ſudatum fuerit, obſtinatè durant peſtis ſtrages. Revera etiamſi ad *fluida* pertinerent cæterorum morborum cauſæ, tam in aperto eſt *ſolidorum* culpas eſſe graviora peſtis *ſymptomata*, ut in illius aſſerenda cauſa cæcutire amet, qui hanc aliunde repetere pergit. Argumento eſt cita, prompta, aut repentina ſæpe mors, quæ in tam multis ægrotationem præoccupat & medici curam, tam expedite enim extingui vitam, non obſcurum eſt præcipuas confici cito vitæ potentias; atqui potentia vitæ princeps, *ſolidorum* potentia eſt, a qua nempe manat omnis *fluidorum* poteſtas, *ſolidis* ergo danda venit hæc peſtis cauſa, tota proinde in oſcillationum vitiis, *ſpaſmis & eretiſmo* agnoſcenda, ſub quibus ſtagnando gemunt *fluida*, unde aut coercita lenteſcunt, aut ſtimulata currunt, eliquataque diffluunt in effrænes *hæmorrhagias*, ſudores enormes, atroces *diarrhœas*, truces *dyſenterias*; ſæpiuſque fit ut ſuo adversùs *ſolida* nixu renixuque vario, *anxietates*, *moleſtias*, *ſpaſmos*, dolores accerſant intolerabiles, quæ ſingula *generis* nervoſi quærimoniæ veluti ſunt aut teſtimonia.

Solidis tam propria peſtis eſt, ut ſub illa ſolideſcere *fluida* periclitentur, teſtibus *carbunculis*, *parotidibus*, *bubonibus* crudis aut non ſuppurantibus, in quibus coercita habes, *ſolidorumque* preſſu *ſpaſtico* ſtricta arctiſſime *fluida*, adeo ut *ſolidorum* oſcillationibus non everberata, liquefieri recuſent, denſentur potius ſpiſſeſcantve. *Fluidorum* enim compacturæ ſunt, a ſanguinis irremeabilis adactione natæ. Cauſas aperit peſtis aſſultùs ratio, recogitabis enim, ut ab aſpiratis peſtiferis halitibus; qui *elateres* ſunt rabioſe oſcillantes ut, inquam, in *ſpaſmum ſolida* rapiantur, nam ſtimulo vividiori exſuſcitata preſſiùs, fortiùs, celeriùs & ultra modnm oſcillant; interim hinc venit *fluidis* impetus, quo hæc pulſa vehementiùs, ſuas tamen ſervando ſemper *directiones*,

nes, ſuam ad metam velociſſime currunt; hæc autem ſolita meta, arteriarum capillamenta ſunt, quæ cum *conica* ſint, inſuper & ſtrictioris *diametri*, facta proinde omnino ad obicem aut reſiſtentiam, illam *fluidorum* portionem, quæ natura ſua lenteſcens eſt lenteſcere cogit; ſed iſthæc ſanguinis pars alba eſt, quæ ad *tendineas* aut *glandulo ſas* partes, quarum exiliſſima vaſa ſunt impetuoſius & confertim adacta cuneatur eo fortius & efficacius, quod auctis miſſilis ſeu ſanguinis impetu & velocitate, remittens deſit potentia, quæ miſſilis appulſi tranſitum expediat, hinc *fluidorum ſtaſis* intra denſum *tendinum* & *glandularum* textum, a qua *bubones*, *parotides*, *carbunculi*, dubiæ ſpei tumores, interea non aſpernabiles, illic enim irretito veneno, ab illius rabie libera viſcera ſervantur, hacque ſub mora, naturæ medicatrici otium fit, auxiliiſque medicinæ tempus aut ſpatium majus.

Ætiologiæ ſupparis eſt *petechiarum & exanthematum geneſis*, febrium malignarum infame terriculum & formidabile *ſymptoma*! ſtagnatæ, ultraque circulationis orbitam & ordinem dejectæ partis ſanguinis rubræ notaculum; quam enim a facto ſanguinis impetu contrahit in *glandulis ſtaſin* alba ſanguinis pars, *bubones* factura; parem incurrit in cute pars rubra ſanguinis, quæ impetus vi a ſanguinalibus arteriis in *lymphaticas* laterales intruſa, colore atro aut liventibus ſtigmatis maculat cutem, ubi exilio damnata, velutique fulgurita, *necroſin* minatur.

Verùm nunquid non in his verus ſe daret *diſſolutionis* conceptus, qua ſub peſte ſanguinem peſſundari clamitant? hinc enim albam ſanguinis partem ſecedere in *glandulas*, illinc rubram in cute cuneari, obviane magis eſt diſſociationis idea, quæ *diſſolutio* eſt ſub qua huc alba, illuc rubra pars ſanguinis effertur, utrobique ſtagnatura? iſthic enim partium ſanguinis disjectus aut a ſe diſceſſus, impetus vehementiſſimi vis, ſanguinem ſub peſte ultra modum & metas omnes excutientis teſtimonium eſt, ſanguiniſque circuitus perdi leges & diſturbari. Sed monſtri genus aliud alit peſtis cauſa quæ quamvis una & ſimplex, ut pote in uno *elateris* augumento conſiſtens, plures aut omnes parere poteſt & contrarios morbos; *Protheus* enim peſtis videtur, ſub hac modo ſub illa ſe monſtrans forma, adeò ut in hoc ægrotante *dyſenteriæ* vultum induat, in illo *anginæ* ſpeciem, in illo ſtuporem, ſoporem, ſegnitiem, in hoc *phrenitidem*, *delirium*, *anxietates & ſpaſmos* repreſentet; nunc omnia ſicca & arentia vides, modo omnia in *ſudores*, *diarrhœas*, *vomitiones*, *hæmorrhagias* colliquata; hic febris vehemens, illic *aphyxia* lethalis; hic ardent omnia, illic omnia frigent. Sed ut omnium ejuſmodi *ſymptomatum* radix eſt una *phlogoſis*, omnium una cauſa eſt evecta *elaſticitas*, quæ inflammationum parens eſt. Inflammationem concipito ſanguinis coerciti *ſtaſin*, cujus diſcutiendæ cauſa exſtimulata partium *periſtole*, verbera ſua geminat, aut ſuos repetit ictus, *elateris* evecti operam vides. At cum nullibi, nec alia ex ratione ulla tantum creſcat, quantum a peſtilenti *miaſmate* partium corporis humani *elater*, quippe qui ab *oſcillatorio* nimium æthere incandeſcens furiatur, ſponte ſequitur inflammationis omnis authorem eſſe *miaſma* peſtis, imo ſuſcitabulum, ut enim *elaterum* vividiorum ſator eſt, *morbida* quævis viſceribus abdita *elaterum* ſemina exſuſcitat, adeo ut elateres qui *dyſenteriæ*, qui *anginæ*, qui *diarrhœæ*, qui *vomitionum*, qui *ſpaſmorum*, ſi emergerent, in viſceribus arcane minaces erant, in hos morbos inſumat illos aut præcipitet peſtis: unde ſit ut graſſante eadem peſte pariter quidem omnes morte demeti videas, ſed non eadem mortis ratione, ex quibus alios hoc ex morbo, ex altero alios perire obſervabis;

Hærebis forte in recognoſcenda *elateris* exſuperantia, ubi omnia labaſcere videntur aut ſegneſcere, ubi lumina premit ſopor, ſtupor artus gravat,

mens hebescit, linguent functiones, organa torpent, tales enim pestis exhibet sæpe mortis imagines, aut talia morientium simulacra: at quam sæpè ludit mirabiliter virium lapsus! sic qui modò vigebat, momento post vino mersus gradu titubant, stupet, soporatur, similiter quæ viribus integra stabat alacris, succis & sanguine plena hystericæ paroxysmo tacta corruit illicò, animo linquitur, delirat, convellitur: de *epilepticis*, *apoplecticis*, *sideratis* idem observabis. qui ut ut *aphoni*, segnes aut resoluti videantur, *elatere* toti pleni erant, præ sanguinis *stasi*, stagnatione, *phlegmone* oppressi, vel præ *spastica* nervorum *diathesi*, rigentes, attoniti, convulsi; mirum enim est, ut *spasmi* nervorum, humorum aut sanguinis *phœnomena* benè æmulantur! sed hanc dirimit omnem litem *cadaverum* eorum apertura, qui peste denati sunt, quorum viscera ubique *phlegmones*, aut *gangrænæ* exhibent notacula, nec rarò sanguine mersa videntur, licet a corpore, segnitie, ipsoque veluti frigore mortis morbum auspicati, soporatique mortui fuerint. Duplex ergo pestis invadendi modus ex varia corporum constitutione proveniens; corpora enim sunt in quibus fortior est partium *tonus*, quem efficit nervorum textus firmitudo; in his ut animæ mortis capaces sunt; & ex ipso periculo audaces, densa quoque sunt partium stamina, quibus proinde fit fortior insita *systaltica* virtus: hinc facta vegetior oscillandi potentia, oscillanti pestis veneno resistit meliùs, huicque omnimodum obsequium renuendo, suum quidem oscillandi *rhythmum*, non seriem mutare patitur, quin imo suarum *undulationum* tuendo tenorem, constans illarum sequitur *directiones*; hocque sub statu constat cum peste corporis vires: corpora alia sunt quibus mollior & tenerior est partium textus, quarum ut debilior est *tonus*, lenes sunt facileque dimoveri a suis *directionibus undulationum* oscillationes, quæ distractæ palantes & deviæ factæ, corporis viribus quæ in illarum tenore sitæ sunt, serviunt minùs; adhæc quæ mollioris *toni* sunt partes, adventitii *elateris* pressioni cito cedentes, vasorum suorum capacitates minui *concedunt*, quod *strangulari* est; at indè & *solidorum* oscillationibus & *fluidorum* circulationi mora fit, sicque suffocato virium commeatu, cum animo concidit corporis robur. Itaque quocunque in exploranda pestis essentia vertas animum, ut *microcosmi* deflagrantis effecta vides, sic evectas, exasperatas, exstimulatasque perspicis potentiarum incandescentium undique energias.

Interim quantalibet fuerit pestiferæ luis pernicies, hujus tyrannydis ea non est omnipotentia, cui prævaleat nihil; præterquam quod enim, ut modò observabatur, corporum sunt constitutiones firmæ satis, ut etiam pestis infectæ veneno, suas *solidorum* oscillantium *directiones* a deliratione præservent, de meliore luto facta adhuc alia sunt præcordia quæ de pestis contagio sentiunt nihil; nam ea quidem est illius barbaries, ut parcere nulli amaret, sed non desunt, quos æquus amavit Deus, quibus ab hoc immani flagello tueri se datur. De tutaminis ratione contendunt, sciffis opinionibus de antidoti usurpandi natura, ut pote quod ex *alterantibus* alii, alii ex *evacuantibus* seligunt; de *alterantibus* iis alia, quæ *calida* plurimi, *frigida* non pauci volunt, dum adhuc in ambiguo est apud non infimæ notæ viros nunquid non præstaret movere nihil, ubi nihil non turbarum corpori impendet. A calidis *antidotis* singularis metus est, ne incitabulorum ritu ignem cineri doloso subditum exsuscitent, faciles evibrari *solidorum elateres* emovendo, *stimulantibus* suum quoque periculum est, quippe quæ fodicando partes stimulum pestis acuent aut invitabunt; neque adeò tutum venam secari ajunt, ne quo tempore partes inter omnes æquilibrii servandi cura habenda est, momentum, a quo æquilibrium omne pendet, venæsectio tollat, æquilibrantem fortè sanguinis portionem resecando; reperies

etiam, quos *frigidorum* medicaminum, ut ut ignavorum metus habet, anxios ne quando firmanda venit aut ſtringenda *ſyſtalticæ* virtutis potentia, laxetur, ea adhibendo, quæ *fluidorum* ſpiritus deprimunt, *ſolidorumque* hebetant *elateres*.

Tot inter ab *antidotis* metuenda diſcrimina, in emendando aere ſpem locant & operam, de illo ſibi pollicentes, cujus cauſam alit aut affert, mali tutelam; at hic iterùm dubiis omnia plena, definita nondùm aeris emendandi ratione, quam in *ſulphureorum*nè, an in *acidorum* ſuffitibus ponendam eſſe durant adhuc; unde quos non ſanctè retinent civium amor, vitæ genus & religionis officium, in fuga diligenti & longa, tardoquè regreſſu unicè reponunt peſtis declinandæ remedium.

At hic quoque, ſi ſua bona norit homo, Creatorem providiſſe intelliget reminiſcendo creatas fuiſſe penitiores corporis partes *oſcillatoriæ* virtutis ea inſtructas potentia, a qua, quandiù integra eſt, habent unde exteriorum oſcillantionum inſultibus obſiſtant: quod enim ſeminibus ſui ſint *utriculi*, tritico quod gluma eſt, quodque arborum gemmis thecæ ſunt & vaginulæ, ad arcendas corrumpentis auræ injurias, horum omnium vices implent & officia partium corporis tunicæ communes & ſingulares membranulæ, quarum lamellutæ multiplices, divites *elateribus*, ad aeris preſſorios & *elaſticos* nimium aſſultus munimina ſunt, quæ peregrinos rerum *elateres* a ſe pellendo, ab alienis oſcillationibus viſcera protegunt, eoque efficientiùs quò univerſaliùs, quandoquidem condita ita ſunt munitavè omnia corporis penetralia, ut nulla ſui parte vel aeri, vel intromittendis quibuſvis rebus aperta ſint, intermediis quippe membranis unicè meabilia, ſtrictiſſimis aliundè pertuſa oſcillis, trans quæ ingreſſuris rebus ad ſanguinem eundum eſt; exemplo ſunt inteſtinorum tunicæ quæ tranſcolant chylum; præcauto adhuc majori adversùs aerem utente natura, quæ invias aeri fecit pulmonis veſicularum tuniculas.

Igitur ad depellendam a corpore peſtilentis auræ malitiam, quod hominis peſti eripere eſt, muniminum illorum integritati, aut firmitudini ſervandæ ſtudere ſufficit, ſic enim fidi cuſtodes erunt, qui improbis ſuccis ingreſſus neguando incolumes ſervabunt vitæ fontes. Id omnes obtinebitur boni, ea removendo quæ naturalem oſcillandi rationem nec mutant, nec vertunt ſuffectis iis quæ illam alant aut augeant; vim enim aliquam, quo tempore frangi periclitatur erigere, eam ſtabilire eſt. In hoc autem opere feret adhuc opem Creatoris opera, qua alimenta condens, naturalis oſcillandi *ſolidorum* potentiæ fomites inſtituit, ut pote ſic comparata, ut ex *elaterum* conflata ſeminibus, partium *elaſticitati* alendæ apprimè conveniant.

Itaque declinandæ peſtis medicamentum in alimento invenitur, ſi illius fuerit conditionis, qua alimentum *ſolidis* cum mollitudine firmitùdinem aſſerat, *fluidiſque* cum pace *fluxilitatem*; utriſque ſuas *energias* tueri eſt, quæ ſi valebunt, ſuis protectæ *elateribus*, depellendo omni aeris maligno *miaſmati* pergent eſſe partes. Ejuſmodi alimoniam ſufficiet moderata *diæta*, ſive ad nativum partium *tonum* emoderanda diæta; enimvero in ordinanda victùs ratione *punctum omne tuliſſe* putant, ſanctè jubendo, ut *euchymi* ſint qui aſſumentur cibi, quique adhuc temperanter uſurpabuntur: ſed *enchymi* verè ſunt, imprimis ad arcendum veneni peſtis appulſum, non ii tantùm qui tritu faciles, quiquè quibus abundè turgent, ſanguinem ditant ſuccis laudabilibus, ſed qui apti nati ad perennandum naturalem *ſolidorum* tritùs aut oſcillandi modum, in hunc rapi ſe ſinunt & aſſimilari, diſſimiles ab illis quorum acceſſus ad partes alliſus eſt, adeò opulenti ſpiritibus & ſuccis, turbulenti accedunt ad illas, quarum oſcillandi rationem mutant aut pervertunt, unde læſæ coctiones peſti

pa-

parant ingreſſum. Huic autem malo ut obviam eatur adhuc efficaciùs, *euchymorum* ejuſmodi ciborum moderata non ſolùm, ſed parca diæta erit, ſic inſtituta, ut operis ſui domina facta ſemper natura, reſidui nihil relinquat, quod crudum ſuperans aut malè confectum, in nidamentum evadat pèſtis veneno: hincquè cauſam elicies propter quam tam ſæpè pauperes maximè depopulari peſti moris eſt, enutriti enim ut ſolent malè ſanis dapibus, crudis farciuntur ſuccis qui peſti ſe dant in hoſpitia: ratione contraria; divites cum demetit peſtis, in cauſa eſt opipara qua abutuntur menſa, unde in æſtuoſos ſuccos eluxuriantur, qui *elateribus* catulientes, proprio partibus oſcillandi modo obſequi temnentes, modum ſufficiunt ſuum, ad cujus nutum trahendo trituum potentias, digeſtiones turbant, mutant, vitiant, peſtique ponunt initiamenta.

Hinc vini, aut ex vino liquorum ad arcendam peſtem, pericula, potulenta enim imperioſa ſunt, *oſcillatoriis* aut *elaſticis* mille imbuta virtutibus, quæ molliores *ſolidorum* corporis oſcillationes vincunt; harum autem poſthac uſurpando locum *ſpaſticam diatheſin* exſuſcitant, quod venturæ peſti præludere eſt; unde præcavendæ peſtis antidotum aquam eſſe probatur, ut rationis, ita & obſervationum gravibus momentis. (*a*) Revera, in generis humani potum facta aqua, *ſpiritu qui ſuper aquas ferebatur* feta adhuc, oſcillationumque ſeminibus quæ ad ſuſtentandam *ſolidorum ſyſtalticam* vim creata ſunt, turgida eſſe pergit? propria ergò maximè alendis naturalibus partium oſcillationibus, quas adversùs ingruentem peſtem tueri, hujus *miaſmatis* aſſultibus cavendis eſt prodidiſſe, quam ob cauſam de medicis caſtrenſibus, qui malignis graſſantibus morbis laborantibus ſuam locant operam obſervatum eſt, ex illis perimi ſolere, qui ituri ad ægrotantes, meri potu ſe præmuniunt. Cave tamen hinc concludas, ejurandum omninò eſſe ſub peſte vini uſum, quod aqua temperatum ſub ipſo paſtu concedentur iis, quibus conſuetudini eſt, peſtis enim luctus & mœroris tempus habetur, *mœrentibus* autem *ſiceram*, quæ vini genus eſt, *dari* conſulitur: (*b*) ſed præcavendæ peſtis cauſa, matutinis horis, tum & pomeridianis, plures aquæ calices ſiccaſſe, pro ſingulari remedio habebis; calidanè an frigida bibenda ſit: queſtio eſt, quam ſolvit partium pectoris potiſſimùm habitudo, quæ ſi inoffenſa eſſe ſuevit frigidæ potu, hanc calidæ præpones, ut potè firmando *ſolidorum tono* idoneam magis; quantumlibet enim calidæ uſu *diaphoreſin* promoveri prædicent, calore molliri partium *elaterem*, verum quoquè eſt, tum & ſanguinem emoveri, quod adeò tutum eſſe ſub eo temporis articulo, ubi accendi periclitatur ſanguis, difficilè æſtimabis. Fortaſſis a calidis ex *Thèe*, *Caſè*, *Chocolatâ* ſorbitiunculis, aliquis hinc veniet tempore peſtis metus; maximè cum familiaris ſit peſtis ubi *Caſè* fructus naſcitur: niſi tolerandus judicetur, quia firmat mentem & exhilarat, pellitque timores at tum emoderandus ſic illius uſus erit, ut ſingulam *Caſè* ſorbitiunculam præcedat frigidæ cyathus, eandemquè illam ſequatur alter, ita ut hinc inde inter duas aquas emendatus *Caſè* incedat: *acidis* medicata aqua, præſentioris erit auxilii, hæcquè præcavendi ratio à veteribus medendi magiſtris in peſte uſurpata fuit; (*c*) ſed de *acidis* in peſte exhibendis ſermo opportunior recurret, ubi peſtis curatio tradetur.

Multorum animis fixum, ratumquè eſt, in *fluida* corporis cadere primum

(a) *Vid. theſ. in ſcholis medic. pariſ. diſcutienda. Præſid. M. Steph. Franc.* Geoffroy 6. *Martii* 1701. an aqua ſæviente Peſte *prophylacticon* eximium.?

(b) *Proverb.* 31. 6.

(c) *Vid.* Rhas. *de peſte*, c. v.

mum contagii semina, qua a præconcepta perperam opinatione, quia depellendi hujus contagii obscurata ratio fuit, illam excuti necessarium fuit: illam autem prorsus incertat in aere sita contagii sedes, ex quo enim compertum est in sanguinis vasa non immediatè aerem commeare, elucet eò ferri primò contagii assultus, ubi fit primus aeris infecti contactus; sed hic fit in *solidis, membraneis* nimirum *fluidorum* sepimentis: igitur ad ejusmodi auxilii genus, dirigendum venit omne præcavendæ pestis consilium, quod nervos aut membranas feriet primùm aut afficiet: hinc suffituum, & odoraminum præstantia, ut potè quorum veluti balsamo litæ, præoccupatæve *membraneæ* partes contagii spiculo maneant inoffensæ; ad quorum energias opus erit *acida* illis admisceri, horum enim massulis gravescentes aeris *elateres* vibrant difficiliùs & segniùs oscillant, quod pestilentialis auræ vim retundi est, in quo *acetorum antiloimicorum* aspergilla, aut ex illis olfactoriola facta tam laudabilis effectus habentur; quò attinet adhuc *oxycrato* pavimenta roraſſe hinc enim undequaque surgunt *acidobalsamici* habitus, qui corpora circumvestientes, *atmosphæram* horum singulis commodant, iis gravidatam particulis, quæ circumfusi aeris evibrationibus repagulo sunt.

Verùm sua quodlibet corpus vestitur *atmosphæra, transpirantium* nempe jugiter halituum nube, qui quidem halitus corpori unde decidui sunt amicabiles, ab aeris inimicitiis innata indole sua corpus proteguut; at ab his veniet tutela fortior, si a sanguine, ut modò dicebatur, insuccato dimanant, ut potè cujus *diathesin* redolentes, depellendis hostilibus aeri *miasmatis* illam objicient; fuerint ergò sanguinis roscidis, benignis, coctisquè laudabiliter eduliis enutriti efflatus, amicabilium atomorum acies aut agmina erunt, quæ veluti nubis interposita umbra corpus tegent.

Hæc afferet bona corporum *atmosphæra* singularis, ut oportuerit informata, sed majora adhuc expectabis ab *atmosphæræ* universalis dispositura, id est molis totius aeris circumflui, quæ urbes aut regiones circumplectitur, dum enim illa homines quosdam tuebitur, integras terrarum plagas altera servabit: quanta ergò hujus habenda cura est! a peste fugere procul citoque hominibus pro *antidoto* est, pestem fugare urbibus & provinciis pro remedio. Itaque aera evibrantis pestilentiæ *miasmatis* aggressus illicò retundi necessum est, pestem, ne terreat urbes, ipsammet deterrendo *detonationibus* mille, crepitaculis, *explosionibus*, deflagrationibus pyrii pulveris per longos interpositarum terrarum tractus accensi, *bombardarum, catapultarum* similiumque bellicorum tormentorum fulgurationibus, fulminibus, flammis & frigoribus, quorum strepitibus attonita pestis appellens, territa regrediatur, vel suo in ovo aut semine confossa, præfocetur: sic enim usurpatus *pyrius* pulvis, immensè suum pandendo *elaterem*, aeris evibrantis insolentiùs *elateres* reprimit, denfat, infringit, tum totius aereæ molis *superficies* mutat, variat *contactus, impetus* frangit; quod aera a statu malitiæ convellere est & disturbare.

Ad aeris emendationem spectat *amuletorum* usus, quem indulgent ex sapientibus non pauci opinioni vulgi, ideò tolerandæ, quod hac in *amuletis* confidentia adjuti, pestis terrorem facilius excutiant: interea de *amuletis* adnotandum conflata esse ex rebus maximè vaporosis, unde confertum & jugiter exhalantibus spiraminibus, quæ denfat *transpirationibus* nubem corpori circumfusam, crescere suam cuique corpori *atmosphæram*, quam adversus contagium valere tanti ostensum est. Hucque referes *acetorum* usum, quibus nares, manus & tempora linunt, horum enim *acidis spiritibus* condita modò spiramina, *alexiteriam* formant *atmosphæræ* nubem *acidis* denfatam, compactamvè, in quam arietando insecti aeris evibrationes, cito fatiscunt.

Ecce

Ecce jam multa sunt ad arcendam pestem commendabilia, curta tamen certè futura, nisi cura adhuc majori, imò scrupulosè interdicta sint personarum ingressus & mercimoniarum commercia, quæ ex locis infectis egressæ tepeste intacto aere, locum aliquem invadere queat pestis, hujus autem contagii modus suprà expositus est.

Sed his omibus cautionibus præeminet adhuc facienda animi securitas vel mentis fortitudo, quæ aeris interni incolumitati prospiciet, id est constanti *spiritum tenori* seu *nervorum lymphæ undulationum* firmitudini; terror enim pestis invitamentum, quippe qui ut animi, ita & nervorum oscillationum consternatio est. Hinc partium & organorum *elateris* mollities, a qua digestionum tarditas aut languor, qui ad pestem apparatus aut dispositio est; ut ut enim valentissimum sit pestis venenum, facilitate corporum & consensione indiget, qua deficiente, ægrè aut tardè admittitur; porrò mentis terror, assensus animi est, præoccupatioquè mali; ut autem vinci timidus miles, vincitur semper, sub peste pusillanimis homo, pestis prima præda fit. Grassante ergò peste incedant homines alacres mente, animo fortes, conscientia tuti. Sed ut ab animis pleniùs excutiatur terror, publicum fiat, sapientiumque ore vulgatum nec ineluctabile nec insanabile malum pestem esse, quæ quidem videtur *dæmonii novum genus*, sed cujus artes ut hominibus notæ sunt, horum quoque sapientia ejicitur.

Hujus sapientiæ monitum primum erit, meminisse celerem esse pestis terminum, celerem itaque esse oportere medentis operam, aliis omnibus prætermissis remediis, quæ saltem pari passu ad salutem non perducerent, eaproinde sola adoptando & usurpando, quæ in peste proficua explorata sunt & usu comperta. Sicubi ergò, certè in peste curanda, ad manum habebit medicus obviaque menti, quæcunque uspiam feliciter a prudentibus artis usurpata fuerint, selecturus ea quæ illi adversabuntur graviori symptomati, unde præsentius & velocius ægroto impenderet periculum: oblitus nunquam, medici munus, maximè sub peste esse, hominis vitam ponere in tuto, spretis aliundequibuslibet consiliis, quæ ad comptiorem medendi methodum facerent fortè magis, sed ad æquè tutam quæ conducerent minùs.

Quapropter ad curandam pestem accingens se medicus, cerebrum afferet non secùs ac penuarium quoddam, suppellectilem omnem remediorum complectens; non quidem eorum quæ excogitaverit philosophiæ sagacitas, sed quæ docuerit, comprobaveritquè longior usus. At, inquies, ad quamnam se componet normam medicus, in eligendo definiendovè remediorum genere, quæ præferenda venient? hæc tibi norma erit; ut ut diversa sint & multiformia pestis *symptomata*, cogitabis communem omnium esse parentem & radicem unam, quandoquidem omnium idem sit ingenium, omnium eventus idem. Pestis enim morborum multorum complexus quidem est, sed ex iis habes nullum, qui non sit similis naturæ, *vomitiones* enim, *cardialgiæ*, *dysenteriæ*, *anginæ*, *pleuritides*, *hæmorrhagiæ*, *petechiæ*, *carbunculi*, *bubones*, *phlogoses* sunt, *caumata*, *inflammationumque* argumenta, quæ ergò cæcam, arcanamque tegunt *inflammatoriam diathesin*, ex eo ambiguam minùs, quod illam asserant viscerum gangrænæ, sanguinisque quibus merguntur sæpe effusiones, quæ omnia promunt cadaverum sectiones.

Interea observabitur omnia isthæc inflammationum stigmata; impressa maximè conspici in corporis habitu & viscerum superficiebus, ideòque in ultimis vasorum extremitatibus infire ejusmodi inflammationes, undè patet tam longè pulsum fuisse adactumquè sanguinem, stasesquè esse sanguinis *inflammatorias*, quæ sub peste

varum capillitiem occupant, longissimas ergò esse distantias locorum unde adcurationem revocandus est sanguis; insuper, ut penitiora sunt vasorum cava, intra quæ coercitus stagnat sanguis, consequitur ad commune fluentum reducendo illi paria imprimis esse remedia; quæ energias suas exerunt, intra ipsissimas vasorum capacitates, quas ab onere statim expediunt & impedimentis citò levant. At procul adeò pelli sanguinem, ambiguum non est effectum esse aut opus corporis fortissimæ potentiæ, ut potè cum ultima sint corporis confinia, quo abactus est sanguis; quæ potentia cum ad *solida* pertineat, a quibus nempe venit omnis impetus vis, nequicquam ad *fluida* quæ impetum sequuntur non inchoant, palam fit *elateris* potentiam esse, quæ sanguinem adegit; tunc intelligitur ad pestis remedium requiri simul ut intra vasorum capacitates operetur, & *solidorum* exsuperantem minuat potentiam; quibus si addas operis tantùm remedio illi brevi temporis intervallo esse peragendum, ratio se dat, propter quam infida, infausta & miserabilia sunt tam multa, tamque magni nominis ad pestem medicamina, culpanda ut plurimùm ex eo quod ut ut *volatilia* illa sint, *exaltata* & actuosa, curta aliundè sint, quia in *fluida* agunt, id est in illam potentiam, quæ corporis fortissima non est, nec ea proinde quæ morbum fecit, quam adhuc in tantùm non minuit, ut illam elevet magis, impetum quem frangere debuisset, monstrificè augendo. Posthàc esse & infelicia *alexiteriorum*, *cardiacorum* & sudoriferorum plurima expectabis, crudè enim exhibere *sudorifera*, id est, solorum *fluidorum* in sudores eliquandorum causa, spreta aut inintellecta ratione *sudoriferorum* vires ad *solida* simul convertendi, in quo uno *sudoriferorum* felicitas & efficacia sitæ sunt, alexiteriorum fructus perdere est, & pericula cumulare.

Sub hoc corporis rerum statu, aliusmodi sunt *purgantium* pericula, enimverò *purgantia* admovere partibus *spasticè* se habentibus, impotenterquè determinatis ad oscillandum versus locum, qui procul summè est, *currenti calcaria addere est*, factæquè determinationis morbidæ vestigiis inhærere, quod morbo famulari est, hujusquè impetui manum dare: tunc enim factis invalidis purgantium stimulis ad rumpendum currentis oscillationis impetum, revocandosvè ad corporis centrum qui in habitu illius stagnat succos, *crobones* tantùm *irritantur*, cassaquè aut præpostera purgantium operatione, utiles eliquantur humores in medio corporis centro, intactis & superstitibus in corporis aut viscerum confiniis illis humoribus qui *stases inflammatorias* alunt, sicquè ægrotans omnia *purgantium* subit pericula, beneficia non sentit.

Paris sunt periculi *vomitoria*, quæ *solida* acriter vellicando, ea illorum parte, quam non occupat morbidus humor, quoque revocari nequit a capillarium extremitatibus quibus impactus est, reliquos, fortè innoxios succos a coctione ventriculi superstites ejicient foras, nihilum delibando ex iis, qui fecere & fovent morbum; hinc interea succedente acerbissimo *eretismo* qui *fluidorum* stringit strangulatus, *stases* auget, inflammationibus cumulum addit. Ad hæc in inutilibus nec innoxiis medicaminibus, facta temporis jactura, eo in morbo qui celerem poscit medentis operam, festinatumquè aut diligens poscit medentis operam, festinatumquè aut diligens poscit levamen, aliud agendo otiari est; in eo namquè morbo, sub quo ad habitum corporis pulsa, illic hæret sanguinis pars melior, a cordis influxu aut regimine facta remotior, medentis perit aut nocet labor omnis qui illam cordis ditioni reddi contemnet aut non obtinebit, sic enim in temerè deturbandis innocentibus succis gloriosiùs triumphans medicina, ab hostilibus turpiter triumphatur.

Gravis hujus in medendo delicti reatus bene conscii, artis facti peritiores non pauci, ejurando *purgantium* sævitiem, hanc in curanda peste medicinam dedi-

dediſcendam eſſe confitentur, in *alterantium* uſu immorari præoptantes, ne quos purgando non ſervaverint, occidiſſe videantur. Et iis placebit maximè ſimplex hæc peſtis curandæ ratio, qui putant peſtem eſſe minùs ſanguinis maſſæ corruptelam, quam illius circuitus errorem, materiæ modum magis, quàm ſubſtantiæ vitium, ſanguinis enim qua parte ſpiritus eſt, *ſublimatio*, *eveſtio* aut evolutio eſt peſtis, qua ſummè tritus & tenuatus in auramſanguis ad corporis habitum abripitur, ubi vaſorum exrema capillamenta impediendo, ad corregredi ceſſat; ſed inde liquet ad peſtis ſanationem, *paginam*, ut ajunt, unam *alterantibus* quidem repleri, at alteram implendam venire remedii genere altero, quod abreptum ad habitum corporis ſanguinem reducat ad centrum, quod coronis erit aut complementum.

Hanc operam bellè exſequeretur *ſolidorum* vellicatus, a quo compreſſi vaſorum parietes, concluſum intra ſe ſtagnatumque exprimendo ſanguinem cogerent remeare, at quid & quantùm a ſtimulantibus hic metuendum ſit, expoſitum modo eſt, quæ ideo hinc exulabunt; interea ſi ad *diatheſin ſpaſticam* attendas, ſub qua ſangnis aut *fluida* ſtriguntur, preſſionis ſtatum *diatheſin* hanc eſſe comperies, caſſæ ideò & imparis ad exprimenda & pellenda *fluida*, quia horum *reſiſtentia* ſuperat preſſoriam *ſolidorum* potentiam; itaque illam *reſiſtentiam* amovere ſuam preſſioni huic potentiam reſtituere eſt aut vindicare, ut potè cum ablato vaſorum parietibus interpoſito obice, illicò reſurgat quæ feriabatur *ſyſtaltica virtus*: atqui hunc obicem confeſtim reſecat venæſectio, hæc ergò alterum eſt quæſitum remedii genus, quod alterantibus aſſociatum peſtis curationem abſolvet, quippe quod communi circulationis fluento reddet ſtagnatum ſanguinem. Memineris enim ut *ſolidorum* ſic & *fluidorum*, unum eſſe & continuum a corde ad habitum corporis filum; amplius, eandem nec interruptam eſſe preſſionem, unde ſanguinis ceu *fluidorum*, quæ majora, centro corporis poſita, vaſa occupant, portionem demere, prementi in habitu corporis ſanguini locum facere aut ſpatium dilatare eſt, idquè momento & inceſſanter; ut enim baculi extremum unum ferire, alterum extremum pulſare eſt, ita *fluidi* cujus continuæ preſſævè partes ſunt alicubi ſecuiſſe filum, eo verſus revolvi illud cogere eſt; igitur a venæ ſectione habes, non ſolum unde *alteretur* ſanguis a venæſectione enim hic habet, unde partium ſuarum mutet contactus, ſed & illius opera fit, ut ſtagnata etiam in diſſitis locis ſanguinis pars ad centrum corporis remeet non ſolùm ſed & remeet citò.

Hac arte a capillaribus vaſis ad majora tranſvehuntur ſucci, quod ab anguſtioribus tubis ad ampliores tranſire *fluida* eſt, atqui ſub tali tranſitu motûs non parùm *fluidis* perit, igitur a venæſectione ſub peſte minuitur ſanguinis *impetus*, *determinationes* mutantur, ab habitu ad centrum reſtituuntur *directiones*. Tria autem venæſectioni aſſerunt iſthæc commoda; ſi maturè, ſi ex debito loco, ſi idoneâ copiâ inſtituatur; ex hoc enim triplici fonte manat ſparſum in vulgus venæſectionis opprobrium.

A *cardiacis*, a *vomitorio* vel a *purgante* peſtis curam ſtatim auſpicari tritum eſt, id eſt, ab iis omnibus quæ ſanguinis jam ferventis æſtum & impetum augendo ad capillaria abigunt, trudunt, adigunt; quo crimine prænniſſo, turbis obortis ut medeantur, aliquot ſanguinis uncias timidi fundunt, poſtquam in viſceribus aut habitu corporis ſanguinis *ſtaſin* confirmarunt; ſed tunc illic hærens nimiùm ſanguis, venæſectionis invitamento & operæ auſcultare renuit, locoquè cedere reluctando, ad vacuati ſanguinis ſpatia ſegniter accurrit, inanitiſquè manentibus vaſis majoribus, in quæ capulari recuſant capillaria, fatiſcit ægrotans viribus minutus, quod malum venæſectioni imputantes, quod ſanguinis adactioni remediis commiſſæ attribuendum erat, in venæſectionem

refundunt, quod ad præpoſteram medicinam attinet vituperium.

Artis magiſterium eſt intellexiſſe, quorsùm ſub morbis inclinari juvet ſanguinis impetum, ut ſervatis naturæ *vergentiis* aut *directionibus* à morbi motibus aut aſſultibus ſanguinis viſcera tueatur medicus, bene gnarus & nuſquam immemor ineuntis morbi cauſam ſecùs ac miſſile quoddam habendam eſſe, a cordis *embolo* jaculatum; cujus projectus rationem aſſiduis mentis oculis ſpeculando, tramites proſpiciat, prævideatquè in quam caſurum eſt metam: ſic ſub peſte, ſuæ ſunt ſanguinis inclinationes, ſuivè impetus, juxta quos in hæc vel illa viſcera prorumpit *apoſtaſes* facturus, quæ meditando medicus, ſic illos reget, ſubjicietque motus, ut illos apponendo naturæ lucro, ab iis illos avertat locis, quo abrepti *ſtaſes* committerent, aut nodos inſolubiles, *ſtagnationes* nempe, *inflammationes*, *ſphacelos*, *hæmorrhagias*, ſimiliaque naturæ triumphatæ miſerabiliter teſtimonia. Itaque ſanguinem tractabit *derivando* modo, modo *revellendo*, pro ut cominùs, aut eminùs cum hoſtili humore concertare conveniet; ſed quia obſervabitur, partem hanc aut illam, *cerebrum* fuerit, *pectus* aut *inteſtina*, invadi ſub peſte ſolere, ex *ſymptomatum* gravitate, declivitate locorum, vaſorum communione, *cubiti*, *pedis* aut *juguli* venam amplo vulnere tundi, fortaſſis temporum *arteriam* ſecare curabis; amplo, inquam, venarum vulnere, ſub peſte enim, ubi ſanguis plenus *elatere* & æſtu turgens, partes corporis univerſas undequaque premit, in effugium promptum evadit ampla apertura, qua minuta magis *ſolidorum* hac parte *reſiſtentia*, eo verſus ubertim irrumpens ſanguis *derivat* meliùs aut efficientius & quaſi gurgite pleno revellit.

Interim hæc omnia ad væneſectionis ſub peſte felicitatem minus adhuc erunt, niſi copia idonea, promptaque profundatur ſanguis; faciente enim peſtis celeritate, ut paucis interdum horis perimat hominem, pandendus eſt prompte ſanguini locus, quo ſe immergat celeriter, ut cito declinans a viſceribus, viſceribus non aſſiliat. Sed in corpore locorum dilatationem promptiorem non obtinebis quam a vaſorum inanitione illico facta, quam concedere ſibi ſub peſte moris fuit medendi magiſtris, iis maxime qui peſti graſſanti aſſidere auſi ſunt, cujus ſævitiem cicurare norunt & vincere ſanguinem ad animi deliquium profundi jubendo (*a*); a qua ſapiente medendi audacia, ex quo recedere cœptum eſt, nimia illa in ſanguinem reverentia, qua theſauro vitæ, ut ajunt, parcere voluerunt, ipſius vitæ tutamini defuere; avarorum exemplo qui ſuis abuti timentes pecuniis in ſubſidia vitæ, neceſſariis fomitibus defraudant vitam: populari hac lue, quæ altera lues animorum eſt, infici ſe paſſi medentium plures, ſanguinis idolo litarunt, horumque indulgentia in morbis ordinariis laſcivire doctus ſanguis, in *malignis* didicit rebellare, ſuiſque furiis ſub peſte relictus, ſtrages edit medicatione, inquiunt, nulla ſanabiles. At reipſa, quod infauſtam, aut noxiam experiantur venæſectionem, in cauſa eſt vulgi opinatio publica non tantum, ſed & facta medentibus propria, qua labio & ore uno pronuntiatum eſt, ſanctè interdici ſub peſte venæſectionem. Hinc autem lapſus duplex, ſi enim cogente *plethora* inſigni, aut urgente *ſymptomatum* gravitate a mittendo ſanguine abſtinere in artis leges delinqui creditur, ad aliquot uncias illum mitti ſinunt, at iterari venæſectionem aliquot tantum poſt diebus concedunt. Interim ex illorum excidit memoria, ex morbis unicum eſſe, *peſtem* nempe, ſub quo *criſin* moliri medico permittitur, hancque artificialis *hæmorrhagiæ* forma; quod autem paucum, *criticum* non eſt, ſic ut ſanguinis ſtil-

la

(*a*) *Vid.* Sidenham *de peſte & authores ab eo laudatos*.

la ſub morbis, pro *criſi* non habeatur: de venæſectione ſub peſte ſimiliter judicabis, *criſeos* loco non habebitur ſi fuerit parca, ſic enim de majorum vaſorum ſanguinis mole tantillum tantum delibans, de ſanguinis quantitate quæ a majoribus vaſis ſufficitur capillaribus demit non ſatis; itaque conſtante plenitudine, conſtat *ſolidorum clater*, neque ſuccedit, quæ ſequitur ab inanitis, ut decet, vaſis, partium retendentium ſe laxitas.

Aliud in curanda peſte delictum eorum eſt, qui deſultoria adhibentes auxilia, venæſectionem modo, modo *vomitorium* jubent, nunc *catharticum*, nunc *ſudoriferum*, contrarias ſic, eodem fortaſſis die, ſanguini *determinationes* injungendo, eo ſub morbo, ubi parum ſibi conſtans natura, diſturbanda non eſt. In peſtis namque cura, fida memoria tenebitur uni & eidem cœptæ ſemel ſuccorum aut ſanguinis motuum per evacuantia inſiſtendum eſſe *determinationi*; unde ſi a venæſectione auſpicari viſum eſt morbi ingenio accommodum, vel ſi a *ſudoriferis* inchoare ſuaſerit conditio rerum (ſola enim iſthæc fauſtiora præ ceteris evacuantia experieris) vel incunctanter feſtinato & generoſe in mittendo ſanguine perges, non intermixtis hac illac medicaminibus, quæ ſanguinis miſſionis rationi vel operæ adverſarentur (*b*): vel audaciter *ſudoriferorum* uſui inhærebis, in proliciendis profuſe ſudoribus unice occupatus, interdictis omnibus quæ *ſudoriferorum* operandi modus foret contraria.

Et verò inflammationis complementum & conſummatio eſt peſtis, dum enim cæteris ſub morbis flammantur ſanguinis *ſulphura*, ſub peſte deflagrant ſanguinis ſpiritus, adeo ut exilioribus ſanguinalibus *arteriis* impacta rubra ſanguinis pars, impetuque ſe ruens & arteriarum *lymphaticarum* propaginibus adacta illius alba pars, completam faciant *ſtaſin inflammatoriam*, ſcilicet ex utraque ſanguinis parte conflatam, ipſumque partium meditullium occupantem: atqui tradunt *ſudoriferæ* meditationis ad curandos *inflammatorios* affectus authores, quales ſunt *peripneumonia*, *pleuritis* &c. tradunt, inquam, ſuccedere felicius *ſudoriferorum energias*, ubi præmiſſis aut intermixtis evacuationum nullis, ſolis *ſudoriferis* inſiſtitur, ſic enim juſſa primum ſanguini determinatione unica ad ſudores cogitur efficacius ſanguis; in peſte ergo, quæ inflammationum princeps eſt, ſi *ſudoriferis* ſubjicienda primum videbitur, in illis unis generoſe & conſtanter pergendum erit, donec profuſus & largus obtineatur ſudor (*c*). Obſervare enim ne ceſſes, ut ad corporis *peripheriam* ſub peſte pellantur humores, id eſt, ad ultimos vaſorum fines, ſiti ergo proxime ad *ſecretoriorum* cutis oſcilla, in quibus in procinctu ſunt ad ſudores ad quos cum vergant immediatius, duci ſponte viderentur; ſed ex eadem illa poſitura patet quam longæ ſint illæ locorum diſtantiæ, quæ *ſudoriferis* attingendæ ſunt; quanta ergo agendum cura, ut eo uſque conſtantes nec interruptæ perveniant *ſudoriferorum* virtutes: longæ ſunt oſcillationum undulationes quarum tenor a corporis centro ad habitum continuandus erit; unde liquet quantum ſub *ſudoriferorum* uſu a ſtimulantibus remediis omnibus caveri juvet, quorum fodicatione conſtricta *ſolida* corporis centro interciperent oſcillationum curſus, unde ad centrum corporis reflexæ *directiones* ſudorum excretionem impedirent; hincque mortes aut pericula certa.

Aliunde tam ex *alterantibus* remediis, quam ex *alimentis* ſeligere novit medicus ea quæ ſub *ſudoriferorum* uſu, oſcillationum in *ſolidis* tuebuntur *directiones* aut adjuvabunt, tum in *fluidis* ſervabunt pacem, arcendo æſtuationum tumultus; hæ quippe ſunt artes bene fortunandi *ſudoriferorum* uſus, illorumque

(b) *Vid.* Sidenham *de peſte.* (c) *Vid.* Sidenham *de Peſte.*

pacandi potentias. Sed has erues artes ab illorum eduliorum genere quæ æstuant minus, quæ nempe *evectis* particulis (quales sunt animalium carnes) non turgent, cujus sortis erunt ex cerealibus plurima, inter quæ tamen præoptabis *oryzam*, *hordeum*, *avenam*, unde pultes, cremores & jusculæ medicamentosa simul & belle nutrientia parabuntur, ab illis enim absunt coctionum illæ pestes, nimirum fermentescendi vires, quæ a carnium succis sanguini sub morbis venire solent. Attamen si jubet consuetudo ex carnibus juscula indulgeri, cerealibus illis medicata hæc erunt, ex juniorum animalium carnibus conflata, acidarumque herbarum succis, *acetosellæ*, v. g. *oxytriphilli*, vel *omphacii* emendata; *omphacii* enim imprimis virtutes, adversus pestem singulares usus ostendit.

Verum quia in *diæta* pestis *diapnoicum* omne esse oportet, huc quoque suum potulenta symbolum conferre convenit, ea sic constituendo ut ad *diaphoresin* contendant; pestis enim ut pote morbus qui totus spiritus aut aer est, sub quo videlicet internum corporis aerem aut spiritum infecit externus aer, diffiari amat. Igitur ex radicibus *diaphoreticis* blandioribus, *scorsoneræ* imprimis decocta jubebuntur, *limonum*, *citriorum* succis, vel *vitrioli* aut *sulphuris* imbuta spiritibus, ex quibus pro ratione indolis morbi, & ægrotantis temperamenti, *fixi*, graves aut leves plus minus seligentur; observabile enim est quantum sudores promoveat liberalis potus, qui si *acidis* fuerit perfusus, *solida* quæ flectit firmat, *fluida* quæ rorat densat, sicque expressum *serum* ad *excretionem* parat & cogit.

Inter *alterantia narcoticis* primas concedes tanti ad sudores obtinendos momenti, ut horum consortio carentia valentissima etiam *sudorifera*, pro sudoribus æstuationes, deliria, febres accendant, cutemque & viscera siccent: ita ut tota *sudoriferorum* felicitas ab *opio* illis admixto pendeat: hinc *theriacæ* laus omnis, quæ generis omnis, inconcinnè ut fermè videretur, farta medicaminibus, ab *opio* habet unde *sudoriferorum* etiam sub peste princeps sit, cæterorumque loco esse queat; cum enim remedio cuivis præmium melius asserat nihil, quam illius antiquitas, *theriacæ* præstantiam spondent sæculorum millia per quæ laude floruit & virtutibus ad venena quidem maxime laudata, at aliudne venenum pestis veneno præsentius? neque id conjectando dictum putabis, cujus commoda, fructus & præ cæteris securitatem in peste prædicant, qui pesti astitere medentium nobilissimi. Sunt qui taxant aut verendam habent illius caliditatem quam interim *acetum* emendat, in quo soluta *theriaca* si propinetur, stupebis ad profusos qui faciles se dabunt & paciferos sudores, de calore succedente nihil, quod uberi potu calido præverti non possit, aut posthac attemperari.

De calidis enim remediis adnotabitur, ea non sic calefacentia nata esse, ut semper & necessario flamment, urant, accendant, apta quippe facta ad sanandum a creatore, tempora, loca, opportunitates habent suas, morborum genera & ægrorum temperamenta, ad quorum norma accommodata, exhibitave, in tantùm non offendunt suis caloribus, ut calores morbidos & febriles æstus compescant. Calidus & siccans certè est *cortex Peruvianus*, hic interim tempore & loco exhibitus febrium incendia restinguit; *amara* omnia *antiscorbutica*, *martialia*, æstuosa sunt, acria attenuantia, attamen opportune data, suisque aptata morborum generibus refrigerio sunt; de *theriacalibus* experieris similiter, si suis locis adhibeantur, attemperantia illa esse & sedantia. Rationem si rogas hanc prodit *opii* admixta *theriacæ* portio non mediocris, quæ cæteris illius condimentis confusa, hæc suum ad ingenium transformat; porrò *opium* natura sua *oxyporum*, particulis tenuissimis, levissimis, agilibus maxi-

mè

mè & immenſum meabilibus conſtat, partibus, inquam, quæ non mole ſua quatiunt, non pondere gravant, impetu non pulſant, ſed incomprehenſa ſua *meabilitate*, flatus inſtar aut inſenſilis auræ ſanguinem pervadendo, ſed emovendo nihil, penitiores ſubit vaſorum receſſus, ipſamquè attingit *lympham nervorum*: medicamentoſus aer eſt qui interno corporis aeri natus affinis, illi geſtit adunari, cum autem aeris interni, id eſt, *ſpiritus vitalis* inquinatio ſit peſtis, quantùm utilitatis a *narcoticis* expectandum ſit ad ſanandam peſtem intelligitur, inſimulquè *a ſudoriferis* quibuſcum aſſociantur *narcotica*, ut *theriacæ* contigit, *ſudoriferum* quippe mitigando furores, infrænandoquè impetus, cicurant pericula & opera leniunt; ſic enim *narcoticorum* ſpiritibus ſubacta *ſudorificorum* ſævities, concentrataque & edulcorata illorum *ſalia*, ſanguinem pacata ſubeunt, nervorumquè cæcis aditibus & illorum *lymphæ* immeantia, rubræ ſimul & albæ partis ſanguinis *ſtaſes* ſolvunt amicè & placidè delent.

Aſt a *narcoticis* metus quoque ſit non paucis, opinantibus periculi impendere non parùm ſub morbo ubi a coagulatione ſpiſſeſcens ſanguis, viribus malè ſufficit, ſi ejuſmodi concedantur medicamina, a quibus ſtupent partes; quod, inquiunt, veneno venenum addere eſt, ipſoſquè ſuffocando vitæ fontes, omnes ſufflaminare *ſecretiones*.

De coagulatione fulta malè opinio ſuprà emendata fuit; de cætero, alias a coagulatione cauſas ſub peſte agnoſcit virium defectus, quas obſcurat aut celat *ſpaſtica ſolidorum diatheſis*, ſed quæ ſtringendo vaſa, *fluida* tardat, ſanguiniſquè circuitum impediendo ſtrangulat vires; quos autem *ſolidorum ſpaſmos* laxare *narcotica* cum demonſtratum ſit, hoc ſenſu *cardiacorum* nomen *narcoticis* veniet aſſerendum. A *narcoticis* autem torpere ſanguinem, ſpirituſque ligari, veteris philoſpophiæ alter error erat, quem confutat *opii diaphoretica* vis; inde quoque eruitur quam immerita ſit ſuſpicio *narcoticis* perperam imputata, *ſecretiones* comprimendi omnes, quandoquidem *diaphoreſin* movendo *narcotica*, quæ omnium *ſecretionum* ſuperat ſummam, omnibus abundè ſuppletur *ſecretionibus*. Tam iniqua adhuc eſt veneni calumnia, quam *narcoticis* exprobrant, antiquatæ enim *phyſices* mendacium ineruditum fuit, de illo medicamine frigus intenſiſſimum aſſerentis, quod præ ſpirituum exſuperantia calidiſſimum oculis ſubjicit chymica manus.

Fortè futurum aliquando ut poſt uſurpata *narcotica* neceſſarius fiat *acidorum* uſus, qua de cauſa *acida* pro *antido* adversùs narcotita *prædicant*, quorum deleteriam virtutem ſic emendari volunt; at ſi memineris *theriacalium* medicaminum offenſis, *acida* quoque remedio eſſe, recognoſcas oportet caloris reprimendi cauſa *acida* adhiberi, ideoque poſt *narcotica* neceſſaria venire, ubi effrænes factæ *opii volatilis*, aut evolutæ nimiùm particulæ fervores darent aut moleſtias, tunc enim *volatilibus* illis particulis accedentes *acidorum* maſſulæ, onere premunt illas, vetantquè impenſiùs pandi, dum aliundè gravibus *acidorum* ſalibus depreſſæ ſanguinis particulæ ſubſident & fervere impediuntur; igitur fervores ſunt quos *opium* accerſit, atteſtantibus *agrypniis*, *delirationibus*, *pruritu*, *vertiginibus*, oculorum rubore, *cardialgiis* à *narcoticorum* uſu interdum venientibus, quæ omnia incaleſcentis ſanguinis non obſcura ſunt judicia, imò & ſoporibus ab *opio* ſuperſtitibus, qui cerebri *phlegmones* non inſolita ſunt ſigna.

Miraberis quòd in tradenda peſtis curandæ methodo duplici, dum toti fuimus in generoſe jubendis *ſudoriferis* & *venæſectionibus* altum ſit filentium de *purgationibus* & *vomitoriis*, quibus grandia adeò fecere nomina, felices multi, ſtupenteſquè curationum eventus; nunquid non hominum vitæ tutulæ defuiſſe videbitur, in illo morbi genere, qui ut omnium graviſſimus eſt, illi,

indi-

indiget medicaminibus, quæ omnipotentia celebrantur, ab illis abſtinuiſſe, quæ omnium ferè calculo *panchreſta* ſunt, quæquè iu curando *omne punctum* tuliſſe multis videntur? abſit tamen iniquos nos inde quis putet *purgantium & vomitoriorum* æſtimatores, ſed de *purgantibus* imprimis tam confeſſa ſunt infortunia in curanda peſte, ut hæc ejuranda pronuntient tum ii medentium nobiliſſimi,(*d*)qui noſtris diebus peſti ſanandæ præfieiuntur, tùm illi qui præteritorum ſæculorum peſtilentiis aſtiterunt: (*e*) quò ſpectat hoc optimæ notæ medici monitum: (*f*) *porrò*, ait, *in febribus purgationem dubiam reddit earum malignitas, & quidem hoc confirmante experientia quæ multorum cippis inſcribenda erunt verba Hippocratis epidemicis* paſſim obvia, MORTUUS EST, QUIA PURGATUS FUIT. (*g*)

Revera de venæſectione quærimonia non minor: ita ſanè, at ab iis tantum qui de peſte nuper ſcripſerunt, qui in purgando audaculi facti, in ſecanda vena timidiores paulò ſe præſtiterunt aut puſillanimes, hic ergo (quod bona tantorum virorum venia dictum ſit) audiendos minùs; ſi enim tam ſeduli & diligentes in mittendo ſanguine, quam in purgando fuiſſent, idem illis certè quod (*h*) *Septalio* contigiſſet, nemque reſipiſcere a venæſectionis formidine, ſucceſſibuſque meliùs eruditi, ægrotantibus ſuis illo remedio profuiſſent. (*i*) Quod enim a virium defectione ſub peſte metuunt, non cadit in animum penes quem erit corporis rerum notitia, quandoquidem ipſiſſimum corpus quod derepente peſte corripitur; modò *euſarchum* erat, florens & *pletoricum*, illa proinde turgidum adhuc ſuccorum copia, quæ alendo corporis robori par erat; itaque quòd hodie fatiſcant quæ heri vigebant vires; non in cauſa eſt ſuccorum jactura, ſed illorum uſuræ defectus qui certè in corpore conditi ſervantur adhuc, quodque in corporis uſum reſtituiſſe, reſeraſſe eſt virium theſauros. Ad hæc, nunquid non inepta eſt & caſſa mentis ſollicitudo de non perdendis viribus, quarum fruendarum nec otium datur nec tempus, per celeritatem morbi ad exitium currendo feſtinantis! profectò tali ſub morbo vires tueri eſt, vitæ ſecuritati providiſſe.

Verùm in his rerum tricis & ambagibus, dubitationibus curationum & remediorum diſcriminibus, dedeceretne prudentem artis media incedere via? hinc arcendo *ſudoriferorum* furores, illinc temperando profuſas venarum ſectiones, interim ex utrorumque utilitatibus interpretando, quid medico veniant agendum, ut tam diro morbo proſperam inveniat aptetquè methodum. Annè ut inde litem ſibi moveri hic vel ille ſentiat? quin imò rixas hinc & jurgia exulare procul jubemus utpotè hominum cutis curam habentes unicè & artis finſtum non artificis gloriolam aucupantes.

Noſtrum hic format aùt acuit medicinæ conceptum, reperta noſtris temporibus, compertaquè ſapientibus illi morbo medendi methodus felicior, cui cum peſte convenit magis, adeò uterque concordat! *variolas* intelligito, morbi monſtrum ingens, peſti ſuppar, cujus unius malignitate vincitur. Formidabilis & confeſſa erat in curandis *variolis ſudoriferorum* aut *cardiacorum* pernicies, ſed hanc attemperare docuit *Sydenhamiana* methodus, hinc concedendo *venæſectiones*, ubi prævertenda aut curanda ſe darent graviora *ſymptomata*, illinc arcendo *ſudoriferorum* & calidi regiminis uſum; jubendo ex cerealibus juſcula, tum illa quæ ex carnibus conſtarent ſanctè prohibendo; ad illam methodum

(d) *Voiez les obſervationes ſur la peſte de Marſeille imprimees a Lyon.*
(e) Rivinus *de peſte p.* 895. (f) Hofmann. *diſſert. VIII. de Peſte.*
(g) Bohn. *d. offic. med. p.* 273. (h) *Vid.* Septalii *lib. v. a* 36.
(i) *Vid. adhuc.* Perdulium *de ſtateria ſanguinis; cap.* 10.

dum pertinet adhuc frigidi aeris aſpirandi, liberaliſquè potus hauriendi copia facta, quodque methodi caput eſt, *narcoticorum* familiaris aut creber uſus, denique ipſorum etiam ex mineralibus *acidorum* data poteſtas, ſi urgebit *malignitas*. Ad hanc imaginem exſcribi aut delineari peſtis curandæ exemplar, ſaperetnè inſanum aliquid aut malè ſanum? adoptandum ideò videretur medendi hoc conſilium, quod idem vetus author qui *Sydenhamianæ* ad *variolas* methodo præluſit, ſtabiliendæ hic ad peſtem methodo proludere videatur; *Rhaſes* (k) ille eſt, *octogenarius practicus*, medicorum *Arabum* princeps, in medendo *admirabilis*, (l) qui refrigerantis ad peſtem methodi author legitur. (m)

Illi enim peſtis *incendium* habetur; (n) *turbatio & fervor* ſanguinis, undè arcenda omnia *quæ ſanguinem flatu implent, & ad inſignem molem extollunt, faciuntque ut fervori & ebullitioni ſit accommodatus. Ad peſtis*, ut loquitur, *cautelam, vena ſecanda*; *alvos* ſi opus eſt *moveto ex prunorum Damaſcenorum ſucco*. Diæta erit *ex oleribus frigidis humidiſque* qualia ſunt *lentes, lactuca, papaveris capita, ſolanum, intybum*, &c. tum *ex piſcibus qui molli conſtant carne*; *in omni autem comeſtione aceto utendum erit, acidum enim omne in univerſum arcet peſtem. Aqua frigida lavandum* eſt & *aqua nivis in potu ſumenda. A cibis calefacientibus & a vino cavendum. Domus quaque die aqua & aceto roranda.*

Curationem traditurus, ſic habet; (o) *te illius volumus admonere*, quod quidem *medici vel per inſcitiam, vel quod parùm in arte ſint exercitati contempſere, ne in futurum periculoſam & erroneam curationem tentes. Cum igitur videris ſigna peſtilentis morbi ..... venam incidito, & quam multum ſanguinis effundito, ſcilicet ad animi defectionem uſque.* Remedia erunt, *quæ febrem ſedant*, qualis eſt *frigida aut aqua ex nive*; *verùm ſi redibit aut inaugetur calor, ... ad medicamenta extinguentia ac ſedantia* declinato; *quæ nempe ſanguinem præter modum refrigerant & addenſant, ſicuti cum opio, cicuta, lactucæ, ſolani ſucco & ſimilibus.* (p)

Sin videas malignam tranſmutationem ſuccedere (q) ..... *oportet ſatagere ut naturæ opitulemur, medicamentis excutientibus ..... quæ cutem rarefaciant ..... uti eſt neceſſum; ..... atqui ea temerè offerre non oportet, ſed diſtinctione ac conſideratione habita, ... delictum enim in hac parte magnum eſt, ... conſiderabis autem an caloris vehementia languentem ad interitum non ſit adductura, ... quamobrem non oportet hiſce inconſultò uti ..... ſed poſt quintam diem ..... febriſquè ita hebes ſit ſicuti eſt foris ..... tunc languentem foveto ..... aqua calida ..... in domo non admodùm frigida ..... frigidam aquam paulatim ſorbere imperato, ... frigida enim aqua ſi paulatim ſorbetur ſudorem movet ..... atqui opus eſt ut languens aerem ſuavem, frigidumque inſpiret, hac enim diligentia, ... ſervabis vires neque ullam vel præſtantiorem, vel conducibiliorem hac curatione eſt invenire.*

In his mutatis fortè rerum nominibus (quippe quæ temporum noſtrorum philoſophiæ quadrent minùs) naturæ greſſus & mores intueri licet; rerum ergò notiones & conceptus, qui uſus, ſapientiæquè viri in medendo recocti fructus ſunt, adoptati quid vetabit? ab eadem origine, undè *variolis*, ut ut ma-

---

(k) Ettmuller. (l) *Interpres* Rhas. *in proemio*.
(m) *Vid.* Rhas. *libello de peſte*.
(n) *Et Cap.* XXV. *tractatuum illius, tract.* 10. *fol.* 73.
(o) Libel de peſt. c. VI. p. 13. (p) *Ibid. p.* 12.
(q) *Rhas.* libell. de peſt. c. VII. p. 14.

malignis meliores venerunt medendi leges, rationes mutuando pesti medendi meliores. Enimverò *variolis*, quæ fuerint maligni moris nosse mederi, sananda pestis tyrocinia posuisse est. Itaque, ut in variolarum curationibus, discès ex his. *Rhasis* observationibus, sanguinis *phlogoses* sub peste temperare, illiusque *ecclampsin* prævertere *venæsectionis*, *diæta temperatæ*, *potus liberalis & calentis*, *frigidi aeris acidorumque* auxiliis, imò & *diaphoreticorum* opera, quorum occasiones, modos & genera edocent veterani illius medici consilia, in illis præsidiis posita maximè, quæ *vehementes sanguinis fervores extinguunt; & perturbationes sedant*. (r)

Atqui turbationum sanguinis aut febris exacerbationum *sedativum* singulariter præsidium, confessum omnibus, compertumque habetur, *cortex* nempe *Peruvianus*, cujus *energia in variolosis febribus Sydenhamio* nota fuit *Mortonoque* comprobata, qnin imò cujus potentiam adversùs *malignas* febres expertus apud *Italos* medicus nobilis, (ſ) illam opere singulari, singulariterque bono evulgavit; unde mirari subit, quo malo artis & ægrotantium fato, oblivioni relictus fuerit bonorum tam dives fundus ad felices curationum exitus, sub illa pestis feritate, quæ eruditissimos hodiè lusit medensium conatus, præsentissimaquè tempsit remedia. Annè discriminis plùs ab illo medicamine impendebat; jam præclaro felici suo curationum exitu, quam ab *emeticorum*, *purgantium*què furiis, *sudoriferorum*que incendiis, quibus tandem ultimum *valedicendum* fuit,

Prætereà medentibus cordi est & laudi *narcoticorum* cum *cortice Peruviano* connubium; notum laudibusque celebratum in urgendis fortioribus illius dosibus ausum felix, (t) quo febres *malignas*, quæ prope diem ægrotantes enecarent, incantamenti instar extinguit; nunquid non indè suspicari promptum erat, (u) de *extinguentium* numero esse *corticem Peruvianum*, quæ optat commendatquè medicorum *Arabum* princeps, cujus proindè sedativam febrium virtutem explorare cautè potuissent & utiliter, ad comprimendos illicò, suoquè in ovo suffocandos celeres pestis assultus, metuendo nihil a temeritatis incurrendæ crimine, docti, ductiquè affini non extero, curationum non absimilium *analogismo*, præeunteque sapientium exemplo, qui ad singulares malignitatis casus, *corticem Peruvianum* adhibere norunt feliciter.

Sedativum aliud est, quod in curanda peste invenitur adhuc inexploratum, *sal* videlicet *sedativi* nomine non temerè celebratum, cujus vis in sedandis *hysstericarum spasmis & hypochondriorum* turbationibus, cum cognita sit, (discriminibus nullis aliundè patens) ad coercenda pestis turbamenta transferri tutò potuisset, unaque cum sapientium judicio adoptati: eò securiùs, quod singulare quid ad pestem sapere videatur, originis aut prosapiæ titulo, a *vitriolo* enim prolicitum, hujus *acidi* indolem referre, cujus potentiam adversùs intentissimum *variolarum* malignitatis gradum expertam habemus, (x) scriptisque sua celebritate dignissimis memoratam.

Absit tamen, ut hæc quæ nostra; ideoque parva sunt huc proferendo, gloriæ illorum invidere videamur, qui in cicuranda pestis fera lue, suas tam digne locant operas, certè enim *non sumus nostris* in arte *patribus meliores*, at quia in præsenti hoc medicinæ gravi negotio, *asymbolos* abire dedeceret artis medendi cultores, tam præclarè gestis hactenùs in diesquè glorioſe gerendis, optaverimus saltem debiles nostros addi conatus,

POST-

(r) *Rhas. Ibid.* c. VII.
(ſ) Torti *de febrib. malig.* (t) Ibid. (u) *Vid.* Rhas.
(x) *Vid.* Sydenham.

POSTSCRIPTUM.

ECce, quo ipso tempore sub prælo sudat *conspectus* noster, in manus nostras opportunè cadit & feliciter, *dissertatio de pestiferæ contagionis natura*, &c. Authore *Richardo Mead*, apud Anglos totumquè medicorum orbem celeberrimo; qua cum cupida voluptate perlecta, sensimus doctrinæ nostræ de peste accessurum ponderis non parum ex tam nobilis authoris nomine, sapientia & eruditione, quibus protecti, antiquam ferè & obsoletam *Arabum* memoriam refricuisse, non timebimus, *Arabes* (y) enim *medici*, ut habet hic nobilis Anglus *morborum pestilentium naturam optimè perspectam habuerunt*, testem adpellando eundem *Rhasis* locum, (z) quem in appendice nostra laudavimus, Rhasemquè sequendo ducem, in describendis pestis prævertendæ artibus aut præsidiis; hanc insuper coronidis loco clausulam addendo, (*Aa*) *ex his*, quæ *de contagionis natura* (quam nobiscum igneam facit) *quæ præcepta ante data nituntur, dicta sunt, iniri potest certior sanationis ratio, quam quas vulgò authores docuerunt*; sed hanc tuebamur in appendice conjecturam, igitur tam gravis monitoris fulti sensis & sermonibus, a cordatis viris veniam expectamus aut fidem.

FINIS.

(y) D.Mead *Dissert.p.35.*

(z) Rhases *de re medica* (*nobis de pestilentia & libello de peste*, *Venetiis* 1556.)

(Aa) D.Mead. *dissert.p.42.*

NOVUS MEDICINÆ CONSPECTUS

UBI

EX SANGUINIS CIRCUITUS anomaliis *ſecretionum* errata, miſcellanea ſuccorum & humorum adulteria deducuntur;

MISSISQUE SISTEMATICIS ætiologiarum *deliriis, ex turbatis ſanguinis motuum legibus eruuntur genuinæ morborum cauſæ, veræquè medendi leges.*

ACCEDIT

Appendix de PESTE, iiſdem œconomiæ animalis legibus ſtabilita.

PARS PRIMA.

Quæ Phyſiologica eſt.

NEAPOLI, Ex Typographia Felicis Caroli Moſca MDCCXXXVII.
SUPERIORUM LICENTIA.
Expenſis Bernardini Geſſari.

INDEX

CAPITUM PARTIS PRIMÆ,

Quæ Physiologica est.

CAPUT I. *Quod sua sit, hæcque creata, Medicinæ veritas.* pag. 1.

Cap. II. *Quid certi habeat Medicina? Quid incerti? Utriusque rationes & causæ.* 4

Cap. III. *Rationes & causæ dantur labentis in Medicina veritatis.* 6

Cap. IV. *Pergitur in iisdem.* 9

Cap. V. *De reduce aut rediviva Medicinæ veritate.* 12

Cap. VI. *Data creatione terræ sinu suo condentis plantarum semina, tum & plantarum suis cum seminibus; dari principium, quod ut certissimum est & utilissimum, sic unicè necessarium Medicinæ est.* 16

Cap. VII. *Quæ habenda vera sit principii idea. Talem ideam, creationis principio convenire.* 19

Cap. VIII. *Creationis principio vera Medicinæ elementa contineri.* 24

Cap. IX. *Oscillis suis emergens corpus humanum considerandum illi esse, qui veræ illius fabricæ ideam obtinere volet.* 28

Cap. X. *De nascentibus in utero circuitus sanguinis ac totius animalis œconomiæ legibus.* 33

Cap. XI. *De iisdem pergentibus aut provenientibus a partu novis circuitus sanguinis legibus.* 38

Cap. XII. *De instituto a Creatore nutricatus genere, quo in recèns nato protegerentur jussæ ab eo circulationis leges.* 45

Cap.

Cap. XIII. *De durantibus in infante cœptis, & ſobolescentibus in adulto novis ſanguinis circuitus legibus.* 52
Cap. XIV. *De ſanguinis circuitus variantiis in Ephebis & in virginibus; in Prægnantibus & Pueris; tum & in lactantibus feminis.* 59
Cap. XV. *Quid vita? Quid ſanitas? utriuſque cauſæ, œconomia, leges.* 67
Cap. XVI. *In iiſdem pergitur, ſuperaddita ſanguinis circuitus ratione in attribuendis, ſingulis ſecretionibus, ſingularibus ſuccis.* 74
Cap. XVII. *De ſanguinis circuitus ratione, vi & arte in nutricationis negotio.* 81
Cap. XVIII. *De ſanguinis circuitus* mechaniſmo, *in aſtruendo fibrarum* elatere, *in modulando partium* tono, *ſtabiliendoque* fluidorum *cum* ſolidis *æquilibrio.* 89
Appendix de peſte. I
Monitum, ubi de Medici officio, ſub novi aut inſoliti morbi ingreſſu. IV

INDEX RERUM.

Tam in hac novi Medicinæ Conſpectûs parte, quam in appendice de Peſte contentarum.

Numerus Romanus Appendicis pag. indicat.

A.

Acretio quid? 26
Accretionis artificium. 89
Acetorum uſus ſub peſte. XV
Aer corpori circumfuſus æquilibrium conſervat inter ſolida & fluida. 44
— *Peſtilens calidarum regionum incola.* VIII
— *unde calidarum regionum incolis tolerabilis.* VIII
Aeris elateris aucti ſub peſte argumenta. VI
Ætas peſti obnoxia. ibidem
Alexitériorum, cardiacorum, ſudoriferorum infelicitas ſub peſte, unde. XVI.
Alimenta hominis vera fruges & fructus. 82
— *ad declinandam peſtem qualia?* XIII.
Alterantibus aggredienda peſtis curatio. XVII
Altilium tubulorum natura. 87. &c.
Amuletorum uſus ſub peſte. XIV
Analogiſmus morbi cum morbo ad curationem multùm confert. mon. app. III
Anni tempus peſti obnoxium. VI
Antidotum ad peſtem quale debeat eſſe dubitatur. XI
— *in alimento invenitur.* XII
— *præcavendæ peſtis aqua.* XIII
Aqua calida an frigida ſub peſte ebibenda ſit. ibidem
— *Acidis medicata.* XIII
Arteriæ lymphaticæ innumerabiles. 61
Arteriarum in ſanguinales & lymphaticas diviſio. 61
— *a nervis oriuntur.* 79
— *trunci vera idea.* 69
Atmoſphæra cuique peculiaris peſtem præcavet. XIV
— *univerſalis quid confert ad peſtem* ibidem.
Aura peſtilens lympham ſiccat, ſanguinem denſat. VII

B.

Bilis cur cum ſucco Pancreatio in inteſtinum confluit. 75
Botanice & Medicina in quo conveniunt. 30

C.

Calor nativus quid. 32
Carnes ab oleribus præſtantiam ſuam mutuantur. 56
Carnium eſu carere potuiſſet humana gens. 54
— *præ oleribus præſtantia refellitur.* 55
Circuitus ſanguinis in fetu triplex. 33
— — — *ratio.* 40
— — *ſolidorum motui debetur.* 91
Circulatio in placenta duplex. 65
Commercia perſonarum & mercimoniarum infectarum interdicenda ſub peſte. XV
Conceptionis idea. 63
Contagium quid. VIII
— — *peſtis unde* ibidem
— — *quomodo propagatur.* ibidem
— *duplici ratione accidit.* VIII
— *in ſolida primùm agit.* XIV
Cor & arteriæ ſua ſyſtole partium cluterem firmant non ſolùm & perennant. 90
Corticis Peruviani uſus ſub peſte. XVIV
— — *narcoticis admixti.* ibidem
Creatio materiæ ſuis cum germinibus verum

rum & unicum principium quo alia nituntur . 17
Creationis principio vera medicinæ elementa continentur . 24

D.

Determinatio ſuccorum a fibrarum tenſionis modulatione pendet. 93
Diæta moderata ſub peſte eſſe debet. XII
Directio viarum fibrarum tenſionis opus. 93.
Diſſolutio ſanguinis ſub peſte. X
Divites peſtis invadit unde? XIII

E.

Elater partium in quo conſiſtit. 74
Elementa medicinæ creationis principio nitur . 25
Entia omnia creata ſunt . 16
—— creata ſuis cum germinibus. ibid.
—— —— cum rebus neceſſariis ut eſſe pergant. ibidem
Excrementum a recremento in quo differt. 57

F.

Fecum excretio ſecretionibus poteſt annumerari . 41
Fecundandi germinis motus ſyſtalticus eſt . 30
Fecundans ſpiritus quid? 30. 36
—— —— vermibus non continetur . 29
Fecundatio a ſpiritu venit . 29
Femina prima condebat in ſe omnia futurorum omnium hominum compendia . 27
Fermentatio nihil conducit ad fecundationem . 30
Fibra ſanguinis lymphæ conditorium. 12
—— vaſorum elateris antigoniſta. 92
Fibræ ſanguinis natura . ibidem
Fluida duplicem elaterem ſolidis impertiunt . 93
Fluidis ſuus eſt elater . ibidem
Fluidorum elater ſolidorum cauſa . 93
—— —— agendi ratio . 77
Functiones unde pendent . 27
—— —— ad ſecretionem omnes referuntur . 67

G.

Galactophora vaſa ſunt degenere arteriarum . 65
Generatio, unde? 29
Glandulæ vaſorum glomeres ſunt . 75

H.

Humidum primigenium quid? 32

I.

Infantis recens nati vita in quo differat a vita fetus . 39
—— Cum matre commercium in quo poſitum . 64
Inflammatio ſub peſte qualis . X
Inflammationem denotant peſte denatorum viſcera . XI

L.

Lac, quid? 46
—— In ſtomachum fetus deſcendens vim ipſius oſcillatoriam exſuſcitat . 47
Lactis natura . 49
Lipothymiæ ſub peſte cauſa . VI
Loca & regiones quibus endemia peſtis eſt . ibidem
Lochiorum materies . 66
Lympha mater, quid? 31
—— —— unde illius motus . 31
—— —— Nutritia tubulorum ſeminium . 72
Lymphæ conditio . 51
—— —— unde alitur fetus gemini fontes. 65.
—— —— Nervorum ſecretoria expendunt. 79. &c.

M.

Mammæ a partu lacte turgeſcunt, quare? 66
Mammillarum fetus officium . 33
Medicina, quid . 25
—— Scientia eſt a Deo creata . 1
—— neceſſaria . 2

— non conjecturalis nec in certa. 2
— Utilis & activa. 2
— à Deo certitudinem suam habet. 32
— si incerta artificis culpa. 5.27
— Sacrorum Codicum testimonio commendatur. 2
Medicus, quid. 27
Medici Philosophia. ibidem
Membrana systaltica virtutis authores. 43
Menstrui sanguinis secretionis ratio. 58
— secretio in quo ab aliis secretionibus differt. 62
— quare singulis tantùm mensibus. 62
Morbi novi aut insoliti cognitionem incertant systemata, app. mon. II
— veram ideam suppeditat naturæ contemplatio. II
Motus inter solidas & fluidas corporis partes reciprocus. 26
— quid operatur. ibidem
— Systalticus qualis. ibidem
— in adulto idem qui in germine. 30
— Fluidi in sanguine a solidis pendet. 92
Mutationes in infante recens nato. 42
Mutationum in utroque sexu sub pubertatis annis contigentium ratio. 58

N

Narcotica sudoriferorum effectum promovent. XX.
— quandoque cardiaca. XX
— Acidis quando emendanda. XXI
Narcoticorum usus sub peste. XX
— ab usu sub peste metus refellitur. Ibidem.
Naturæ nomine quid intelligendum. 45
— leges eædem sunt, quæ in ipsa mundi origine. 4
— operationes a chymicis artibus alienæ. 77
Nutricationis nomine quid intelligendum. 82
Nutricatum inter & fecundationem comparatio. 89
Nutriri partes, quid. 93
Nutritio quid. 55
— Fetûs. 35
Nutritii succi indoles & motus. 51.83
Nutritionis materia pars alba sanguinis. 55
— ratio explicatur. 56.82

O

Objectiones adversùs principium creationis hic ut unicum & verum admissum refelluntur. 22
Odorum energia. V
Olerum usus ad vitam carnium usui anteponendus. 54
Oscillatorius motus a solidis & fluidis pendet. 69
— vitæ functionum author. Ibidem.
Ova, quid. 51
Ovi fecundatio, quid. 33

P

Partes in humano corpore quotuplicis generis. 36
— Solidæ, quænam sint. Ibidem.
— primùm fuerunt. 29
— Fluidæ quales. 26
— creatæ omnes in germinibus. 29
— singulæ corporis elateres sunt. 90
Parturitionis causa. 66
Pestis febris est. V
— atrocitas a duplici elatere. VI
— symptomata unde & qualia. VI. X.
— invadit duplici modo. XI
— est inflammatio extrema. VII.XV
— a solidis orditur quibus propria. VII. IX.
— sanguinem modo dissolvit, modo coagulat. IX
— omnium morborum & causarum morbi omnium summarium est. Ibidem.
— pauperes præsertim invadit, quare. XII
— causa elateris augmentum. X
— contrarios morbos affert. Ibidem.
— symptomatum omnium radix una phlogosi. Ibidem
— causa evecta elasticitas. Ibidem.

Placentæ & mammarum analogia. 45
—— *cum utero connexionis ars.* 64
—— —— *similitudo.* 64
Plethora qualis secretionis mensium causa. 61
Potus qualis esse debeat sub peste. XX
Principia quibus constant entia ignota sunt. 16
Principium, quid. 19
Proportio datur inter corpus & animam 94
Pubertas, quid. 59
Pulmones in fetu otiantur, quare. 39
Pulveris pyrii usus sub peste. XVI. XXII
Purgantium pericula sub peste. XIV
—— —— *venit a creatione.* 96

R

Recrementum, quid. 75
Remedia calida morbis inflammatoriis non semper nocent. XX
Remediorum sub peste necessaria celeritas. XX
Rhases refrigerantis ad variolas & pestem methodi author. XXIII
Richardus Mead Rhasis methodum confirmat in dissertatione sua de pestiferæ contagionis natura. XXV

S

Salibus non debetur partium generatio aut evolutio. 32
Salis sedativi utilitas sub peste. XXIV
Salium in humoribus præsentia refellitur. 73
Sanguinis natura. 51
—— *essentia in quo ponenda.* 37
—— *motus sub peste.* V
—— —— *unde augmentum sub peste.* Ibidem.
Sanguis sub peste copia idonea mittendus, quare. XVIII
Sanitas, quid. 20
—— *iisdem hodie legibus regitur quibus in ipsa hominis creatione.* 4
Sanitatis, vitæ & morbi causæ a motu veniunt. 15
Secretio, quando incipit. 42
Secretiones, unde pendeant. Ibidem.
—— —— *feculentæ paucæ.* 81
Secretionum materies lympha. 67. 73.
—— —— *unde diversitas.* 69. 77
Secretoria vasa, quid. 42
Securitas animi pestem præcavet. XV
Solidorum nomine nervi intelliguntur. 93
—— *motus oscillatorius est.* 30
—— —— *fluidorum motum moderatur.* 72
—— *energiæ auctæ sub pubertatis annis varia argumenta.* 59
Spirituum gratia universa exercetur corporis œconomia. 68
Stomachus, quid. 42
Stomachi cum aliis partibus consensus 42
Sudorifera sub peste cæteris evacuantibus feliciora. XIX
Sudoriferorum usui inhærendum si ab iis pestis curatio inchoata fuerit. Ibidem.
—— *effectus quibus alimentis promovendus.* XX
Systaltica vis in fetu otiatur. 40
Systema, quid. 4
—— *calidi, frigidi, &c.* 4
—— *Cartesii.* 8
—— *atomorum.* 10
—— *fermentationis.* 10
—— *mechanismi in medicina aliis anteponendum.* 11
Systematum notiones & verba perpenduntur. 12

T

Temperamentorum diversitas unde. 94
Tenuitas sanguinis in quo consistit. 37
Testes in viris, quid. 57
Theriacæ utilitas sub peste unde. XX
—— *caliditas aceto emendatur.* Ibidem.
Transpiratio secretionum terminus. 75
—— *magistra.* 77
Transpirationis materia. 74
—— —— *materiæ tenuitas.* 74
—— —— *quantitas.* 77
Tubulorum lymphaticorum natura. 71

V

Variolarum & peſtis analogia. XXII
Vena cubiti, pedis, aut juguli quando ſub peſte ſecanda. XVIII
—— *amplo vulnere ſecanda, quare.* Ibidem.
Venæſectionis utilitas ſub peſte. XVII
—— *infelicitas unde.* XVII. XXII
Venæſectioni inſiſtendum ubi ab ea peſtis curationem inchoare viſum fuerit. XIX
Veritates in corpore humano dum enaſcitur explorandæ. 30
Veteres & recentiores ſi non vocibus, animi ſenſibus & principiis conſentiunt. 12
Vinum non omnino ejurandum ſub peſte. XIII
Vitium defectus ſub peſte alias a coagulatione cauſas agnoſcit. XXI
Viſcera vaſorum glomeres ſunt. 45
Vita evolutio eſt partium corporis non ſolum, ſed & vivendi legum. 35
—— *hominis ſtatim poſt diluvium contracta.* 4
—— *iiſdem quibus ante diluvium legibus regitur.* 4
—— *orditur a ſolidis.* 30
Volatilia quare ſub peſte parùm proficua XVI
Vomitoriorum ſub peſte pericula. XVI
Urina ſecretionum omnium complementum aut ſupplementum. 81
Urinæ ſubſtantia quadruplex. 81
Uteri natura. 39
—— *fabrica.* 57, 61

Finis Indicis Rerum.

PRO-

NOVUS MEDICINÆ CONSPECTUS.

PARS SECUNDA.

Quæ Pathologica est.

CAPUT PRIMUM.

Totius animalis œconomiæ conspectus naturalis ; ceu Naturæ typus , ad cujus intuitum ut naturæ disciplinam sic artis suæ partes intelliget medicus & officia discet.

QUOD è nihilo surgat humanum corpus, in causa est suprema vis, Creatoris nempe summa potestas; quod enascatur, efficit spiritus fecundantis energia ; quòd adolescat, author est *elater* per omnes illius partes a Creatore diffusus, *fibras*, *viscera*, *glandulas* non tantùm, sed & per succos omnes, quos condit aut prodit sanguis. Igitur caducum quantumvis, labile & infirmum humanum corpus, quovis sub respectu conspiciatur, vel creatione eductum, vel generatione propagatum, vel nutricatu adultum, vim undequaque promit, cujus opus aut pabulum est. *Solida* ex quibus com-

compingitur, *elastica* machinamenta sunt, *fluida* quæ complectitur, ex *elateribus* sunt conflata; unde quod extùs corpus humanum exhibet, quod intùs celat, totum *elater* est, proindeque vis, energia, potestas: vis autem non cæca, non accidentalis, non fortuita, sed jussa, instituta, & aliquò directa, ut pote manans unde incerti nihil, nihil inutilis aut fortuiti descendit. Certitudo enim, sapientiæ veræ proprius ille caracter principio cuivis ficto aut invento inconcessus, creationis principio individua est: itaque, quam vera est corporis humani creata vis, tam certa ea parte est, qua ad præstitutum & ordinatum a Creatore scopum collimat aut tendit.

Inde venit in prospectum virtus duplex, potentiæ nimirum & consilii; potentiæ, quæ indole sua omnium maxima est, *elateris* namque vis est, qua nulla major; consilii vero, cujus ullibi vix tam multa minùs argumenta sunt quàm portenta. Hinc enim respicias inconspicuam *fluidorum* molem, quæ a *puncto saliente* clam proficiscens, eam motus vim sensim acquirit, qua intra corpus palmas plures latum longomve, materiæque libris pluribus solidum circumagi valeat: isthæc erit in fetu sanguinis circuitus vis. At quàm mirificè propagatam exhibet adultum corpus, quod accrescendo, ut *mechanismi* longè plus adhuc quàm materiæ adipiscitur, calles novos & intentatas semitas calcandas sanguini & peragrandas parat; adeo ut illa virtus quæ *fluidorum* molem in ovulo ad lineas aliquot, & in fetu ad paucas palmas circumagebat, eo usque assurgat in adulto corpore, ut illam ad quinque sexve pedum longitudinem circumpellat. Interim hæc pauca erunt, illa enim potentia quæ sanguinis circulationi peragendæ per novem menses in fetu par fuerat, eidem prorogandæ ad sex, septem plurave adhuc annorum lustra in adultis par evadit. Neque tamen hic consistit potentiæ illius augmentum, quæ, id exigente ætatum, conditionum (fortunæ aut vitæ) sexuum varietate, tum & organorum aut functionum evolutione, crescit in dies; tot enim sunt sanguinis circuitui faciendæ appendices, quibus ad distantiora loca exspatietur. Tam dives est virtutis aut potentiæ fundus! quem partibus indidit Creator, ut præsentibus officiis exercendis par sit non tantùm, sed & venturis impleadis non sit impar: sic cor, quod in fetu intra angustissimos limites sanguinem circumrotando exercet, ad plures pedes eundem in adulto evibrare valet, ampliùs; idem ipsum cor quod in nostris hominibus ad lustra tantùm aliquot sanguinem circumferre solet, eundem olim in primævis hominibus circumagere poterat ad sæcula. Ejusdem exempli est *meningum* cerebri *elater*, qui in fetu *lymphæ* nervorum ad palmarum aliquot longitudinem trudendæ sufficiens, eandem in adulto ad pedum quinque sexve distantiam propellere potest. Similiter adhuc in mulieribus observabis, quò usque assurgere possit partium robur, quod dum in virginibus sanguinem intra illarum corpus circumpellere satis habet, eundem in prægnantibus ad alterum transmittere valet, fetus nempe corpusculum quod circulatione sanguinis communi cum matre vivit. Sed mentione nata fetus aut occasione, non præteribis singularem cordis & partium virtutis circumstantiam; cordis ea vis est, ut ad cutis *secretoria* sanguinis aut succorum eam extrudat copiam, quæ *secretionum* uberrimæ materiem abundè sufficit. Interim hæc ipsa virtus sic in fetu temperatur, ut dum ad corporis habitum nimiam sanguinis copiam ferre abstinet, ad corporis centrum aut præcordia maximam innoxiè reflecti faciat. Vnde cogitabis unam & eandem vim esse, quæ infantis & adulti corpus, quæ hæc aut illa organa, has vel illas *functiones* agit & regit, quæ huc illuc modò flectitur, reflectitur modò, idque declivitatum, pronitatum aut *tendentiarum* invitamento, vel *determinationum*,

num, *directionum* aut *resistentiarum* vi; cogente & reflectente angulorum, plicarumve *directione*, situ, positu; in quibus omnibus forte dulci mixtum mirabiliter & ubique agnoscere licet, adeo ut utrum mirari debeas magis anxius hæreas, blanditiei vim, an virtutis blanditiem; hæc enim reipsa est, qua liquor maxime calens, catuliens spiritu, pulsus vi, impetu missus & celerrimè currens, medias per partes, quæ sensu tenerrimæ sunt, facillimæ moveri & affici promptæ, latenter adeo & tacitè prætergreditur, ut cursus sui aut trajectus admonitionem non faciat aut sensum. Aliunde, supra fidem fermè videbitur virtutis potentia, si partium quibus insidet, molem, textum, numerum spectas: *solidæ* enim inprimis sunt, quæ cum solidi plùs aut massæ habeant & firmitudinis, fortioris erunt *elateris*; quodque plicarum plùs habeant & gyrorum *elateris* tenaciores erunt. De numero liquet adhuc magis, *solidarum* enim partium ad *fluidas* ratio saltem est, ut 5. ad 1. quandoquidem dum 20. circiter librarum est sanguinis pondus, quod corporis supereſt 100. circiter librarum est. Ideone virtutis exsortes habebuntur *fluidæ* partes? imo vero, at saltem inde concludere erit ad *solidas* maxime robur pertinere: sed hinc ne resultaret inimicantis aut periculosæ virtutis nimia vis, æmulæ potentiæ renisus objiciendus fuit, *fluidorum* nempe, quæ quia *elateribus* quoque imbuuntur, *antagonistarum* loco *solidis* facta sunt. Materiæ ergo minus quam virium compactura est corporis humani textus, cujus omnes & singulæ partes cum canaliculi sint, aut canaliculorum *embryones*, omnes & singulæ *elateres* erunt aut *elaterum* semina; *elateres* in *solidis* partibus, *elaterum* semina in *fluidis*: porro quantùm a perfecto corpore distant corporis rudimenta, tantùm ab *elateribus* perfectis *elaterum* primordia distant, indeque manant virium quæ *fluidorum* sunt, & illarum quæ sunt *solidorum* discrimina; in his enim evolutæ erunt, in illis evolvendæ, at illius pronitatis & *tendentiæ*, ut *elateris* quem inposterum proferent, vim affectent jam & exercere tenent, sicque nisus aut conatus est, potentiæ quidem subjectæ, sed luctantis, reluctantis imperium, patientis tamen. Sors hæc est *fluidorum* potentiæ, cujus conditio mancipatus & obsequium est, sed ut de *elaterum* familia sunt, non cessando obediunt, sed agendo. Posthac, quantumlibet obnoxia sit illorum actio, virtutis accessio & augmentum est, unde arguas nihil esse in corpore, quod actuosum non sit, cum quidquid illud habet, quod *fluidorum* & *solidorum* nomine continetur, aut *elaterum* compago sit aut seminium. Sub hoc conspectu quod intus extusve exhibet corpus, id omne *elatere* micat undique, sic ut hoc ipsum quod infirmio.is habet, id quoque *elater* sit & virtus, vis & potentia.

Nihilominus tamen fragilia sunt, tenella & mollia ex quibus conflatur corpus; quod solidioris habet aut compacti magis, dissolutioni proximum semper est, quod spiritus, diffiationi paratum; quod *fluidi*, fluxilitati natum; Creatorisne providentiam bellè sapit, fragilitatis tantum tanta cum potentia fuisse commissum? conjugium tam impar aut inæquale, ruinæ aut deprædationis causa institutum fermè videretur. Interim non aliunde venit Creatoris sapientiæ argumentum lucidius, *vocans enim ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, ex infirmitatis sinu virtutem eruere novit, ex concordiæque nihilo, concordiæ miraculum. Infirma isthæc & caduca, ex quibus compingitur corpus, Creatoris opera sunt, eaque ratione stabilia, ut pote cum in Creatore omni ea qua carent firmitudine fruantur; nominum operibus in eo præcellentiora, quòd dum hæc artis & materiæ fetus sunt, ordinis fructus sint creatæ res quas jubet unum Creatoris verbum, quas illius educit imperium, potentia tuetur, voluntas ordinat; hæc eadem quæ cœlo & terræ pen-

dere juſſit, quæ mari ſuum dixit modum, aquis & fluctibus limites fixit. Ut autem ſummè ordinantis inſtitutum eſt, quod macrocoſmi partes invito rerum ſpontaneo pondere, vel reluctante illarum naturali volubilitate, ſingulæ ſuis quæque ſedibus ordinatæ durent, ordinis quoque virtus aut potentia eſt, quòd microcoſmi partes natura ſua labiles, caducæ, fragileſque, juſſos ſibi ordinatoſque ſitus, itinera, loca, poſitus, conſtanter & aſſiduè ſervent. In illis infirmatas, ſubjectaſve videre eſt, Creatore volente, proprias rerum vires, & ab illarum indole alienæ virtuti ſervire; in his, eodem volente, nativam infirmitatem rerum aliena vi vides elevari; hac certè de cauſa, quod caſſa languet aut torpet infirma creatarum rerum natura, quæ propriis viribus fulta fuerit; fortis è contra fiat & valida quæ Creatoris juſſu fuerit elevata. Igitur in quantum è materiæ ſinu profectum humanum corpus caducum & fragile eſt, ruinę proinde & corruptioni natum, durationi & conſtantiæ addicitur, in quantum creatione eductum eſt. Tantùm autem virtutis & potentiæ tam ſubito venire rei quæ nihilum erat facilè intelligitur ab eo qui attenderit, quàm multa ſit in Creatore virium copia, quàm curta in creata re copia rerum; ſed ut abundantiùs admittunt & uberiùs aquas, quæ infimæ magis ſunt & ſubjectæ valles, quoque celſiora ſunt montium juga; ſimiliter eò pleniùs imbuuntur creatæ res, quæ minus de rebus proprii aliquid habent, quoque præcelſioris potentiæ & virtutis eſt Creator. Creatio enim mancipatus eſt, quo rei creatæ accipiendi neceſſitas incumbit, cum enim nihil illi ſit potentiæ, reſiſtentiæ nihil habet, uni patens undique & ſubdita Creatoris actioni.

Hinc Creatoris in humanum corpus actio, conditionis illius caracter ſit & notaculum, Creatoris enim veſtigium aut via eſt, unde intelligat humana mens in quo ſita ſit corporis virtus & natura, quæ ideo nihil aliud erit quàm impreſſus primùm Dei digitus, qui, quæ primo creando fecit & ordinavit, facere quotidie pergit & ordinare, creatam ſervando rem, tuendo & cuſtodiendo; illa unica & omnis corporis humani virtus aut potentia eſt, cum tutelæ nihil illa aut ſalutis habeat quod non acceperit: accepit autem humanum corpus ſuo in germine creato, partium ſuarum ſeriem, ſitum, ordinem; partium ergo ſeries, ſitus & ordo ille ipſe eſt, qui hodie perſeverat; a ſeipſis autem pergere nequeunt, cum non plùs habeant virtutis ut eſſe perſeverent, quàm habuerunt ut eſſe inciperent: unde quod perſeverabunt de Creatoris dono aut munere erit. Enimvero *quaſi lutum figuli in manu illius*, quæ novit *plaſmare illud & diſponere*; *omnes viæ ejus ſecundùm diſpoſitionem ejus: ſic homo in manu illius qui ſe fecit.* (a) Ubi adumbratam habes creationis corporis humani phyſicam notionem, hinc enim quas partes habet & organa, Creatoris manus opera eſſe liquet, quaſve edunt functiones Creatoris conſilia: verè igitur in illo, *eſt*, *vivis & movetur* ipſum corpus, cujus durandi ritus, menſura, modus ab illo oriuntur non tantùm, ſed & fluunt in dies. Poſthac, quòd certum attingat vitæ terminum, quòd regulares motus, aut motuum regulas conſtanter ſervet, quòd tam æquabilis a Deo ſit functionum concentus, tam conſtantes periodi, harmonia tam admirabilis, in conſpectum venit, (b) *intuendo in opera altiſſimi*, quæ ſingula hæc ſunt, & (c) *in multitudinem diſciplinæ, aut ſcientiam Domini*, qui *ſeparavit* (d) ea aut ordinavit, *immutavit*que, aut varias fecit *vias eorum*. Totus ille corporis *machaniſmus*

(a) *Eccleſiaſt. c. 33. v. 13. 14.* (b) *Eccleſiaſt. c. 33. v. 15.*
(c) *v. 11.* (d) *v. 8.*

niſmus de mandato Creatoris eſt, (*e*) corporiſque functiones *illius præcepta* (*f*) ſunt organis *cuſtodienda*.

Ad hunc intuitum meditando omnia corporis œconomiæ arcana, aberunt quidem ſcientiæ illius quæ vanitate inflat amœnitates aut luſus, at abundè ſupplebunt nec injucundè, alterius quæ veritate ædificant doctrinæ lumina. Veri enim ſcientia eſt meditata Creatoris operum cognitio, quæ ut gloriam, ita & ſapientiam illius enarrant. Ideonè ut in contemplatione *metaphyſica* medicus conquieſcat? quin potiùs, ut inde medicæ *phyſices* principia diſcat, medendi nempe normam, dogmata, leges. Id innuit medicinæ ſincera notio; exſcribendæ enim naturæ ars eſt, ſeu motuum illius & operationum ſcientia: ſed cum natura poſita ſit in inſtitutis a Creatore rerum potentiis, legibus & regulis, juſſaque has omnes inter harmonia, concentu, ſymmetria, hinc tutus calcare docebitur medicus, non delirantis naturæ calles, non devia illius premere veſtigia, imo edoctus naturæ certitudinem, artis incerta dediſcet, in quantum ordinis certa diſcet dogmata. Sed quantùm certitudinis ex ejuſmodi philoſophia naturali venturum medicinæ ſit, concipies ex omni illa certi copia, quam in corporis mechaniſmo obſervabis. Quantumcunque ſit humanum corpus, ſive ſpectaveris illius ſummam, ſive luſtres ſingulas illius partes, *ſolidas fluidas*, *ſimilares diſſimilares*, internas externas, arcanas evidentes, privatas communes, ſanguinales *ſpermaticas*, duras molles, verbo cujuslibet coloris, faciei, naturæ aut officii fuerint, omnes & ſingulæ canalitiæ ſunt aut ex vaſis conflatæ; veritaſnè creata datur, quæ plùs aut tantum habeat univerſitatis? exinde manat altera quæ latitudinis non minùs, ſed tantùm habet; ſcilicet ne tantillam eſſe corporis partem quæ plena non ſit, in *micro* enim non ſecus ac in *macrocoſmo* vacuum nihil patitur natura: porrò, quo plena illa ſit, oſtendit ſingularis & propria vaſorum natura aut uſus, quæ cum trajiciendis liquoribus deſtinentur, palam fit ſucco cuidam vehendo dicata eſſe omnia corporis vaſa. Sed quiſnam aut qualis ille ſuccus? quæ ratio, qualis ars, qua ſuccus ille ſimul & ſemel replendo occuparet tam denſum canaliculorum numerum, tam longam illorum menſuram, quam conſtituunt non numeranda millium ulnarum milliaria, monſtrat *lympha matris* conditio, natura, vis; ſuccus eſt albus, *elatere* imbutus & pulſus intra primævos ovuli canaliculos, intra quos ſaliendo movetur. Igitur non abſimilis ſit oportet ille ſuccus qui intra corporis adulti vaſa ſaliendo ambulat aut ambulando ſalit; ut enim uniſtirpe eſt corpus humanum; ita quoque ejuſdem ortus ſunt aut originis ea, unde fuit conflatum & cretum; quod de *fluidis* accipiendum, quæ a *lympha matre* deſcendentia propagatavè, ejuſdem naturæ erunt & conditionis. Atqui ejuſmodi eſt ſanguis, maxima ſui parte albus, qui *elatere* turget & *elateribus* urgetur, premitur & premit, reſilit & evibratur; ſanguis ergò eſt quo plena vaſa ſunt. Unde duplex exurgit veritas, quæ medentis animo excidet nuſquam: prima. In humano corpore eſſe nihil, quod non vas ſit aut canaliculus: ſecunda. Nullum eſſe vas, quod vacaverit, aut fuerit vacuum; exindeque emergit veritas tertia, videlicet ſanguinem eſſe, quo plenum eſt quodlibet corporis vas. Sanguinem autem hic dices, ſuccum omnem qui in partem venit univerſæ ſanguinis maſſæ; maximè ſi ſuccus ille omnium ſanguinis maſſæ ſuccorum potior & uberior fuerit, cujus eſt ſortis *lymphaticus latex*, qui illa replere ſolet vaſa, a quibus abeſt purpurea aut rubra ſanguinis

por-

(e) *v.* 8. (f) *v.* 11.

portio; hincque constat veritatis tertiæ veritas.

Intereà litem dirimere juvat, quam primæ veritati movebunt ii, quos præoccupavit iniqua suspicio de partibus *fluidis*, negantes ex canaliculis eas conflari, contraque asserentes, dari partes quæ sanguine plenæ non sunt. At revera præjudicata eorum opinio est quam emendat facta circa fluidas partes observatio melior, quas cum constituat inprimis *lymphaticus* latex, de illis affirmare tam verum erit, quod canalitiæ sint, quam de iisdem quod altiles sint & nutritiæ: at altiles succi canalitii revera sunt, ut suo loco traditum est; de *fluidis* partibus ergò asserere quoque licet, quod canaliculis contient. Neque concedendum est vacuas illas humore esse, *lympha* enim puriori primigeniæ analoga gravidari adhùc ostensum est, qua propter instituto superius veritatum ternioni derogatur nihil.

Stupendum quam pauxilla sit & curta sanguineæ molis quantitas immensæ canaliculorum replendæ longitudini comparata; quid enim, amabo, librarum fortè viginti mensura (si sua calculo vulgari stabit fides) liquidi alicujus, cui replenda dabuntur ulnarum canalis millium millia? maximè si teres adeo sit canalis, ut capilli latitudinem superet; atqui longè magis elevant corporis vasorum exilitatem, quæ ostendunt plusquam capillaria esse, quandoquidem observatione facta compererunt capilli tenuitatem vincere millies capillaria corporis vasa. Heu portentosas *diametrorum* angustias, quæ *fluida* trajiciendæ venient! ita tamen est, cum non alia suppetat illi via, ut ad cor circulando regrediatur; virtus ergò fuerit aut dolus, modus aut ratio est, qua sanguinea moles, tam arctas vias subire valeat simul, & tam longa canaliculorum spatia emetiri, ut dùm nullum emetiendi spatii punctum intactum præterit, nullum sit illius punctum quod præterlabens fluidum non tangat indesinenter. Fingere erit teretissimum filum ex sanguine prodigiosè tenuato exporrectum, quod a corde proficiscens, ad ultimos vasorum sanguinalium fines, ex his ad *lymphaticas* arterias, hinc ad nervos, ex his ad *lymphaticas* venas, hinc denique ad cor reflectitur: quos per anfractus, mæandros, glomeres & orbes, bone Deus! animo deliberare concedetur, qui meminerit, intra testiculi unius massulam implexas contineri tercentas & ampliùs canaliculi ulnas; quam totam tenuandi artem assequeris, conspiciendo in eas artes, potentias & leges, quas partibus indidit rerum Conditor.

Puncti salientis hoc opus, hic labor est; ovuli enim staminum instructor sit, corporis organorum ordinator, artifex aut cusor *elaterum*, Creatoris legum custos aut administer, potentiarum dispensator, virium œconomus, nascentis animalis œconomiæ parens simul & moderator. Malleatoris genus est, incudi suæ materies subjiciens, succos, id est, altiles, sive quos condebat *lympha mater*, sive quos a matris *lympha* nutritia jugiter accipit; utrinque incudi veniunt ductiles materiæ, quæ *puncti salientis* ictibus everberatæ panduntur, extenduntur, elongantur, densantur tamen, sic ut extenuando se firmitudine crescant, viresque acquirant in longum eundo. Corporis ergò virium mensuram invenire si cupias, illam cogita quam a puncto ad ulnarum milliaria ductæ productævè illæ materiæ partes assequuntur: longitudinem namque partium quæ ab extensione sumunt vires, virium illarum mensuram esse necessum est, utque *elastica* sunt istiusmodi vires, harum mensuræ, *elateris* earum modulus erit. Itaque qui hac ex parte se dat animalis œconomiæ prospectus, stupendam exhibet *elateris* vim & copiam, in eo tantam, quod tam multa & multiplex sit, quam numerosi fibram glomeres, quamque multiformes gyri, earum convolutiones & orbes. Hic *salientis puncti* effectus est, illius

lius industria, hoc illius in *solidis* opus, hæc illius in *fluidis* opera, *solida* dum trudit, intrudit *fluida*, fit ut non priùs exporrigat pandatque vasa, quin insimul invehat humorem, ut eodem quo formantur tempore oppleantur illicò, sicque fit par & æquabilis utriusque progressus: in hocque posita vides *fluidorum* cum *solidis* proportionum, concentus, harmoniæ, æquilibriique mirabilis initia. Enimverò non secùs ac amicabiliùs inter se versari & familiariùs convivere discunt ii quos finxit aut formavit educatio communis, contubernales quasi esse voluit Creator *fluidas & solidas* partes; insimul saltem formari, ut ex uniusmodi convictu; illis fieret unitas morum aut communitas. Ulterius progressa est Conditoris providentia, utrasque simul eodem ex puncto & tempore eodem nasci instituit, ut ex iisdem eunis eadem exiret indoles, par ingenium; gemellorum exemplo qui eodem in utero una formati, similes produnt animos & mores non tantum, sed & iisdem voluntatibus duci suescunt & desideriis. Sed in his similitudines legum & communitates, quibus *fluida & solida* servire congaudent facilè recognosces, eidem enim sociata jugo aut assueta, eidem annuunt tamulitio; eò lubentiùs quòd eidem potentiæ subjecta nata sint, cujus vi ut emersa sunt, illius imperio didicerunt obsequi. Hic autem ut nascentis œconomiæ animalis disciplinæ rudimenta vides, indidem prævidebis progressus. Reipsa crescentibus partibus aut exporrigentibus se, accrescit simul aut propagatur *elater*, cui pari passu suppositus resilent humor, *elateris* tantùm partibus spondet, quantùm *solidis* futurum erit longitudinis, quantumque *fluidis* fiet augmenti, adeout pro singulis cretorum *solidorum* punctis appellat una humoris resilientis particula; pugiles duos diceres, qui æmulatores assidui, nullibique non occurrentes, luctantur ubique; hinc intelligis qua de causa & continuum sit, non intercisum aut interruptum circulantis sanguinis filum, & *elateribus* urgeatur undique circulans sanguis. Inde pressus universalis, jugisque nisus & alternans, unde necessitas circulationis & universalitas, ut enim *solidorum* particula nulla est quæ non premat, nulla *fluidorum* est quæ non prematur, prematur autem intra canaliculos eò versus reflexos, unde profecti sunt, illùc ferri, cogique *fluida* necessum est: at à corde proficiscuntur vasa quæ ad ultimos corporis fines protenduntur: igitur ad cor remeare sanguis cogitur, sanguis, inquam, universus, cùm nulla sit vasculorum pars quæ sanguinem non remittat, quæ repercutiat nulla. Verùm, qua fide, quo harmonico concentu, quam concordi motu; quam placido, quam æquabili! miraculum saperet aliquod confluvium, quo liquores ex millenis locis in unum ex condicto regrederentur, etiamsi uniusmodi, indolis & naturæ essent, mole, substantia, celeritate pares; tum etsi per ductus, itinera, canales, quæ diametris, directionibus, positu, intervallis convenirent: at humores dispares natura, ingenio diversi, quos inter motu tardant alii, alii festinant, in quorum aliis ponderis plus est, in aliis plus molis, in his succi plus, in illis plus spiritus: adde ex iis esse qui per calles flexuosos, esse qui per rectos, esse qui per itinera longa, esse qui per brevia feruntur: superadde id omne trajectus fieri intra varios diametros, declivitates, positus & intervalla locorum tam multiplicia, quam multifomes sunt & variegatæ corporis humani succorum *secretiones*; hos interea succos omnes concordare, ut ad unum cor placidi corriventur, pro portento erit. Quid autem si memineris minùs quam circulationum illud esse quod ad cor fit confluvium? præterquamquod enim tantilla quæ fuerit corporis pars vasculorum compactus est, undè qui circulando refluunt succi, cordi redduntur; viscera si numeraveris tot habebis singularia circulationum singularium organa, unde succorum circulatione fabactorum, modulatorumvè vortices totidem exeunt, alii celerius, tandiùs alii, in

unum

unum tamen conſpirantes cordis confluvium. Quantùm dexteritatis habeat omnis hic *mechaniſmus*, nemini non in proſpectum venit, mirabiliorem tamen tegit adhuc induſtriam quam prodit & manifeſtat propria & ſingularis, debitis ſibi & deſtinatis vaſis facienda ſuccorum diribitio. Unicus enim in radice canalis eſt, qui ſanguinis maſſam ſuis omnibus ſecernendis ſuccis gravidam complectitur: finditur hic princeps canalis in alios ſibi famulantes, in quorum alios rubram fundit ſanguinis partem, albam in alios: horum autem, qui excipiendæ ſanguinis portioni albæ dicantur multiplicitas major adhuc eſt, aut numeroſior, ut pote cum *lympharum* quæ partis albæ ſanguinis ſoboles ſunt, quarumque familia longa eſt & multiformis, canales ſint aut colliquiæ: quo dato, totius animalis œconomiæ cardo verſabitur, in eo ut albæ partis demenſum quod in varias ſed ſingulares organorum *lymphas* abire debet, *cerebri* nempe, *ſtomachi*, *pancreatis*, *hepatis*, *inteſtinorum*, *renum*, *uteri*, *teſticulorum*, verbo, partium omnium quæ *glandularum* & *ſecretoriorum* nominibus celebrantur, ut, inquam, demenſum, illud, ſuum quodque canaliculum fidiſſimè ingrediatur: adeò ut pars illa quæ debetur *hepati* non ad *ſtomachum*, quæ *cerebro* non *ad hepar*, quæ *pancreati* non ad *uterum* inverit. Id ſucceſſus anno contigiſſe ſemel, ſemel fortean in menſe fidem vix inveniet, ſed quod dexteritatis tantum, in hora multoties in die, infinite in anno, luſtro aut ſæculo, conſtanter & aſſiduè ſuccedere pergat, non errando, nutandovè, pari paſſu, ſemitis iiſdem, eventu non diſſimili, omnem humanæ mentis aciem ſuperari eſt. Attamen ſuccedere ſingula hæc in confeſſo habetur; hic ergò digitum Dei confiteri perges, ſeu operantem indefinenter Creatoris potentiam, qui quæ creando ordinavit, ſervando creare perſeverat: ſimili modo quo primæva germinis ſtamina creavit, impreſſum a ſe ovi fecundati partibus motum creare pergens. Itaque quòd conſtans adeò & tam diu duret iſte motus, cauſa erit Creatoris poſita lex, poſita, inquam, non brutæ, non inconditæ materiæ, ſed ordinatæ inſtructævè ingenitis quas ille inſtituit *ſolidorum* potentiis; inſitique quas ordinavit ille *fluidorum tendentiis*. Cæterùm caſſas ſenſu voces, aut merè ſonantia verba eſſe *potentiarum* & *tendentiarum* nomina putaverit nemo, ut pote quibus mutuas utrarumque *proportiones* exprimere animus eſt: adeòut poſito ſemel mutuo ad ſe invicem ordine, quem in apta *fluidorum* cum *ſolidis* poſitura, idoneo ſitu, juſtaque compagine locabis, *potentias ſolidorum* dicas illorum ad *fluida* habitudines, *fluidorum tendentias* illorum ad *ſolida* reſpectus, reſpectus autem rerum & *phyſicas* habitudines intelligas, hoc eſt partium tam dextere ſitarum, digeſtarum tam juſtè, diſpoſitarum ordine tanto, ut mutuas vices & operas non poſſint non præſtare ſibi. Talis a Creatore facta eſt *animalis œconomiæ* legum inſtitutio, hæc naturæ diſciplina, quæ medico ſpeculum erit, aut medicinæ ſpectaculum, quod mentem illius illuminet, inſtruat artem, conſilia formet, opera moderetur.

CAPUT II.

Expoſita pergit earumdem rerum ſeries.

AT indè quam magnificè ſplendet animalis œconomiæ conſpectus! quam ſplendida ſe profert, quam ordinata bellè naturæ rerum diſciplina! en ſe exhibet opus filatim mirificè elaboratum, ejus artis & induſtriæ, ut unicum filum ſit tam variè, tam pulchrè, tam multipliciter tortum, inflexum, curvatum-

cumque, ut variarum ubique, diviſum nullibi aut diſſolutum, diverſa organa formet, aut varia figuret inſtrumenta. Inſuper, canaliculatum id filum eſt, adeò ut non tam filatim, quam canaliculatim ſit inſtructum id opus, eo ordine, ſerieque tam conſtanti, ut inconfuſi ſuas quique ſedes, diametros, poſituras canaliculi ſervent. Prodigium auget non menſurabilis fili illius aut canalis longitudo, cujus anfractus, angulos & curvamina, nullibi delitando, permeat ſuccus, qui ut ut tenuatus tantùm, quamtùm ſtriatus & anguſtus eſt omnium teretiſſimi canaliculi diameter, curſus ſui aut itineris tam tenax eſt, quam inconfuſus ille quo vehitur canaliculus. At inauditum hactenus & inſolens hinc ſe prodit recentioris phyſiologiæ portentum; *vaſculoſum enim ſeu canaliculis conflatum penitus eſſe humanum corpus*, prima eſt veritas; *canaliculorum illorum nullum eſſe qui ſucco plenus non ſit*, ſecunda veritas eſt. At ecce compar *ſolidorum* quantitati *fluidorum* quantitas; ſingulis namque canaliculis ſuus cuique datur commenſus canalitius humor; ſicque univerſæ corporis maſſæ, dimidium ſaltem fit *fluidorum* moles: ſaltem, inquam, ut enim *lymphaticorum* venarum exemplo, tenuiſſimæ erunt aut translucidæ canaliculorum tunicæ tantò plus *fluidis* quantitatis erit; quanto minùs erit ſpiſſitudinis canaliculorum tunicis, unde exurget fortaſſis *fluidorum* ſumma major, quam *ſolidorum*. Sanguinis ergò ſeu *fluidorum* molem viginti tantùm quinque librarum eſſe negandum erit; e contra vero partem *ſolidorum* moli, naturæ regendam venire *fluidorum* quantitatem; affirmandum. Ita quidem eſt, ſed aliunde reſtat adhuc impar non minùs *ſolidorum* vi, *fluidorum* potentia, cum enim *elateris* virtus ſit *ſolidorum* vis, quæ virtus ſub incude creſcit, reſiliendi verò *fluidorum* virtus, quæ ſub preſſu minuitur, palam eſt tanto magis decreſcere *fluidorum* virtutem, quantò magis premuntùr, ut pote cum attenuata magis depreſſavè queant reſilire minùs. Itaque dum in immenſum ducuntur, exporriguntur vè *ſolidorum* fibræ, in glomereſque, plicaturas & ſtrata multiplicia denſantur, in his, quod mechanicorum *elateribus* accidit, videre videris, ut enim horum *elateribus*, virtutis tantò plus aut energiæ venire compertum eſt, quantò ex numeroſioribus lamellis aut foliis coaluerint, ſimiliter *elateris* potentia eò major *ſolidis* accreſcit, quò numeroſiora ſunt ex quibus conflata fuerint fibrarum ſtamina. Facit adhuc ad *elateris* robur, partium denſitas aut compactura, hùc enim tendit tota percuſſuræ ratio; ſed ut denſando panni alicujus aut telæ texto, contribuit maximè filorum exquiſita gracilitas, quàm portentoſæ denſitatis erunt ſtamina partium corporis humani, quæ ſtruunt ſuprà capillum omnem gracileſcentes fibræ? at, inquient, quò hæc omnia? quorſum ſingula hæc de *elateris* fabricatione? ut hac parte conſpectum *corpus humanum*, *immenſo robore ſetum animadvertatur*; *robore autem quod non a ſola muſculorum firmitudine æſtimabis, at meliùs a partium illarum elatere quæ infinitè minima ſunt, proindèque ab infinito elatere*; in hocque ponitur tertia veritas. Neque commentitius videbitur hic conſpectus animalis œconomiæ, attendenti nullum eſſe temporis punctum, ex quo ſemel explicari ceperunt prima corporis ſtamina, quo *elateris* actioni ſubjecta eſſe deſierint; quandoquidem a primo *puncti ſalientis* ictu, quem ſtatim a fecundatione conceperunt, *elaterem* exercere non tantum jugiter, ſed & augere conſtanter perſeverarunt; evolutio enim, qualis eſt corporis humani fictura, aut novas prodens partes, aut inceptas pandens; fibrarum ſolidatio eſt, qua lenteſcendo denſantur omnes; undè aſſerenda venit *quarta veritas, ſtupendam eſſe vim, quæ corpus humanum regit aut agit*; *eamque univerſam eſſe, ut pote ſingulis non viſceribus tantùm, aut organicis partibus, ſed & ſimilaribus, quæ organorum ſtamina ſunt aut fundamenta*.

Iſthæc autem vis non cæca, non temeraria, non inconſulta eſt, ducitur enim,

enim, regitur, ordinatur a Creatore deſcendens, illiuſque ſerviens conſiliis & voluntatibus, quas illa revelat, injungit, applicat. Argumento eſt, ordo ille mirabilis, conſtans *ſecretionum* ſeries, functionumque concentus ille aut harmonia, quæ decreti Creatoris aut inſtituti illius conſectaria ſunt aut effecta. Cogitando enim quidquid energiæ, motus & ordinis exercitum vides in adulto corpore, illud omne a *puncti ſalientis* impetu, vi & rythmo datatim proficiſci, evolvendoque ſe partes in alias quæ ſuccedunt aut pandent ſe tùm traditam ſibi motus menſuram, impreſſamque modulationem aut juſſum ſibi rythmum in illas traducere; nihil energiæ, motûs & ordinis in adulti corporis partibus recognoſces, quod velut ex traduce, a prima corporis ſtaminum motiuncula, ſeu a primo partium puncti ſaltu, tandem a fecundante ſpiritu non deſcenderit. Dubitationi locus eſſet, ſi aliquid arcanæ virtutis ſuſpicari liceret in inchoatis ſemel partibus, quod evolutioni cœptæ ultimam imponeret manum; at verò cum tam egena ſit & iners ex ſe materia, ut nedum modificationis ſuæ vel leviſſimæ author eſſe queat aut principium, non eſt undè motionum ſuarum & ordinationum poſsit haberi parens, ut pote cum architectationis genus illud omne ſit, in tantum materiæ potentiam ſuperans & capacitatem, in quantum materiam vincit mens aut ratio. Semoto enim inintellecto illo conſenſu quem corpus inter & animam intercedere neceſſum eſt, ut ſtare poſsit hominis vita, & in quo rationis arcanæ intervideas non aſpernabile dominium, ſic erudita eſt ea quæ corporis œconomiam moderatur architectæ naturæ vis, ut rationem ſapere, aut arguere ſapientiam videatur. (a) Et revera, ut *inviſibilia Dei, ipſius quoque ſapientia & divinitas, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, ſimiliter recondita Creatoris ſapientia, arcanaque conſiliorum ipſius ratio, per ea quæ in humano corpore ordinata ſunt, manifeſtatæ revelantur. Ex hocque animalis œconomiæ conſpectu *quinta* venit *veritas; ordinem & harmoniam, æquilibrium & proportionem veras eſſe aut nativas animalis œconomiæ rationes*, in hiſque poni omnem medici philoſophiam, in eo mendacem minùs & ab allucinatione tutam (& hæc eſt ſexta veritas) quòd in ipſius Creatoris *legibus, regulis & ordinationibus* fundata ſit.

Porrò hanc philoſophiam ſua commendat ſimplicitas, ſincerus illæ naturæ caracter, qui cum huicce philoſophiæ proprius ſit; bene certe convenit cum medicina, illa videlicet arte, quæ naturæ interpres aut adminiſtra eſt. Ea autem eſt illius ſimplicitas, ut medicinæ unicum quid & ſolum ſemper & ubique conſpiciendum exhibeat; vas unum, unum humorem, vim unam unicam legem quæ proportionum eſt, in omnibus æquilibrium unum; hæcque omnia ab uno Creatore profecta. Annè ſimplicitatis plus ineſt ſcientiæ cuilibet aut arti? vaſis unius nomine intelliges canalem unicum; an quò confluunt cæteri canales? imò, quo cum cæteri canales unum ſunt, adeò ut reipſa uniformes etſi non ſunt omnes corporis canales, unigenum omnes conſtituant canalem, ſemper & ubique ſibi continuum, cujuſvis hic illic fuerit formaturæ, textus, coloris aut diametri, adeò ut flectatur in plicas, angulos, orbes, plexus, glomeres denſiores, rariores, rubros, albicantes, pauciores, numeroſiores, duros, molles, ſtrictos aut laxos; huic aut illi, publico aut privato, continuo aut periodico famulantes officio; idem & unicum ſit vas, omnibus in partibus *ſimilaribus, organicis*, carneis, oſſeis, membranaceis, nerveis, adipe, glandulis, viſceribus omnibus, cerebro, corde, pulmonibus, hepate, liene, teſtibus, utero, iiſque omnibus quæ ſuccingunt intùs, extus cingunt, aut intrò condunt omnia corporis loca.

At

(a) *Epiſt. ad Rom. c. 1. v. 20.*

At plenum ſemper & ubique vas illud eſt; hocque ſub conſpectu, unus & idem erit qui intrò fluit ſuccus, ab eadem officina prodiens, eadem ex materia, iiſdem inſtrumentis & artibus; a *lympha* naſcens, in *lympham* deſinens. In radice igitur idem, ſed qui a brevioribus in longiores canaliculos, a ſtrictioribus in capaciores diametros, a rarioribus in denſiores glomos, a paucioribus in numeroſiores tranſeundo, modò hos, illos modò induit caracteres, texturas varias, diverſas vires, ſapores & colores multiplices, celeritatis aut lentitudinis, tenuis aut ſpiſsi, calidi aut frigidi diſsimiles gradus. Variæ ſunt rerum facies, ſimulacra varia materierum, quæ ſub diverſo vultu idem repræſentant, humorem nempè immenſe ductilem, hacque ratione (quacumque faciem induerit) unum, quod in immenſum tenuari, produci & exporrigi poſsit, ſic ut canaliculorum totius corporis immenſæ longitudini queat æquiparari, æqualitate tantâ, ut nulla ſit vaſorum tenuitas aut minuties cui æquipollendæ ſit impar. Quod autem tantùm ductilis ſit hic humor, efficit incomprehenſa illius facilitas, qua minui poteſt, ſubigi & attenuari, hocque ſub reſpectu una ſemper & ubique ſimilis illius natura ſe profert, quod ſuccus ſit, non in pollinem ſummè dividuus, quod artis induſtriæ vis aut punctum ultimum eſt, ſed in tantam fili minutiem facilis ſit exporrigi; fili inquam adeò gracileſcentis, ut oſcilli aut capacitatis nihil ſit quod ſubire non queat aut pervadere.

Succi & vaſis virtutibus reſpondet vis impellentis non parilitas, non analogia, ſed *identitas*; qui enim in inchoandis partibus faliendo micare cepit *elater*, in iis perficiendis *oſcillando* idem perſeverat: hic enim *elater*, quod genitis rebus moris eſt, *elateris* primævi non ſecùs ac ſui genitoris progenies non eſt, imò neque creationis tam opus (non enim ens alterum aut ſubſtantia nova eſt) quàm ſeries & propagatio illius in creatis rebus, ſic a Creatore ordinatis, aut *elateris* vis defutura illis non ſit, quandiù modificationi ſuæ, quæ Creatoris in materia ordinatio eſt, ipſæ non defuerint. An quia, quod de animabus verum eſt, crearet Deus in dies propriam cuique corpori genito *elaſticam* vim? ſecùs cum corporibus actum eſt. Marem & feminam creavit Deus, ſuo utrumque fetum germine, maſculo in maribus, feminino in femellis; quod in illo ſpiritus fecundans erat, in hoc ordinatio partium quæ admittendo illi ſpiritui ſic idonea erat, concinniter adeò comparata, tantaque proportione illi commenſa, ut maſculino germini accidenti promptum in feminino pararetur obſequium. Ut autem in mare primo concreata fuerunt poſterorum marium germina non tantum ſed & germina germinum, ſimiliterque in feminis concreata poſterarum ſemellarum ovula, inſimulque ovulorum ovula, abundè liquet *elateren* creationis opus eſſe minùs quam creationis ſeriem & propagationem, proindeque unum cum eo quo cum creatus eſt. Ex tam ſimplici cauſa, qui exit effectus ſimplex eſt, motus nimirum qui unicus eſt in univerſa corporis œconomia, *orbicus ceu circularis*; alterum addere moris fuit, quem *fluidi* motum dicebant; ſed qui reipſa coit cum orbico, quo cum ſic idem eſt, ut ex ſe nullius virtutis aut officii videatur in regenda corporis œconomia, quandoquidem orbico deſinente pereat; igitur ubicunque motum animadvertis, circularis ille eſt, rubram aut albam pellat ſanguinis partem, proprius, ſingularis aut privatus ſit, communis, publicus aut generalis, jugis aut periodicus; intra hæc vel illa vaſa, quæ *arteriæ* fuerint aut *venæ*, *lymphatica* aut *nervi*, ubique motus unus eſt, ubique orbicus ſeu *circularis*. Plures tamen eſſe *fluidorum* motus conſentitur, at omnes & ſinguli in orbem eunt; omnes, inquam, in circulum enim ferri omnem ſanguinis maſſam publica vox eſt: ſinguli verò, quia ſuccorum ſinguli ſingulares habent & proprios motus, qui circulatim fiunt. Interim, ut duo genera ſunt ad quæ *fluida* referuntur, ſanguinis rubra pars & alba, utriuſque motus, *fluidorum* quo-

rumlibet motus omnes exponent. Atqui *circularis* eſt rubræ partis motus, ab *arteriis* in *venas*, circularis quoque eſt motus albæ partis, ab *arteriis* in *arterias*; duplex ergò, iſque circularis motus, qui univerſam corporis œconomiam regit. Neque te morabitur quæ hic aſſeritur iſthæc circulationis ſpecies ab *arteriis* in *arterias*, vocum enim hanc novitatem minuit expoſita, quæ ab antiquo eſt corporis vaſorum ſeries aut ordinatio naturalis. Ut venæ ſunt, in quas tranſit rubra pars ſanguinis; quem vehunt arteriæ ſanguinales, *arteriæ* ſunt *lymphaticæ*, in quas tranſit alba ſanguinis pars, quam quoque vehunt *ſanguinales arteriæ*; quæ naturæ arte, univerſæ ſanguinis maſſæ circulationi perfectæ proviſum fuit: perfectæ quidem, dum enim a corde per arterias pulſa altera ſanguinis, quæ rubra pars eſt ad venas pervenit, eodem pulſu altera ejus quæ alba pars eò appellit, ubi in *lymphaticas arterias* evadunt ſanguinales arteriæ; ſic ut dum rubra pars venarum vias remetiendo ad cor regreditur, pars alba emetienda *arteriarum lymphaticarum* itinera longa peragranda ſuſcipiat: milliariorum videlicet canaliculorum immenſas longitudines, ex quibus conflatur tota corporis moles, & intra quos ſerpendo repit tùm ad nervos, tùm ad *lymphaticas venas*, hincque per venas ſanguinales adreit ad cor. Id circuitùs ut palam fiat, memineris circuli illius quem aquæ maris ſubeundo terras, ex hiſque ad mare tandem redeundo deſcribere ſolent, ut enim hinc per patentes vias, qua flumina ſunt, illinc per itinera cæca quæ ſunt penetralia terræ currendo aquæ aut ſerpendo adrepunt ad mare, pari ratione ſanguinis maſſa, aut evidenter per venas aut latenter per nervos & *lymphatica* remeat ad cor.

Inde ſanguinis circuitus duplex, hujus nempe veſtiti purpurâ, quaſis intra arterias ſanguinales & ejuſdem nominis venas continetur, qua tamen ſub veſte albæ potiorem quam rubræ partem tegit, & hic circuitus ille eſt qui omnium ore teritur, vulgi enim oculis & manibus ut objectus eſt, communi omnium calculo approbatur: circuitus alter, ſenſibus obvius quidem minùs eſt, certus aliunde in tantùm, in quantum certa eſt, juſta & æquabilis vaſorum ordinatio, ſeries, proportiò, quæ cum Creatoris opera ſint aut inſtituta, conſtantiſſimæ certitudinis erunt. Qui fieret enim ut caſſa & inutilis eſſet concinna adeò oſcillorum concurſus, juſtuſque diametrorum commenſus, tantaque aptata his atque reſpondens ſuccorum minuties aut attenuatio? ideò certè ut ſuus fluido cuique pateret exitus. Ita fit evibrato ſanguine ad arteriarum extrema dum gracileſcunt in tubulos diametri diverſi & directionis variæ, illic enim ſuccorum qui his modulantur illicò receſſus fit aut diremptio, hinc nempe portionis albæ quæ in *lymphaticas* arterias ſecedit, illinc rubræ quæ intra venas adigitur. Itaque videre videberis oſcilla mille, quæ *lympham* ad arteriarum ſanguinalium extrema appellentem protinus & feſtinatò ſorbent; ubi alteram, mirabilem non minùs intuebere induſtriam, ut enim copia major albæ quam rubræ portionis ſanguinalibus arteriis continetur, numeroſiora non tantum præ venis, ſed & paratiora quoque vaſa præſto eſſe curavit natura, quæ *lympham* uberius exciperent & celeriùs; ut enim de arteriarum genere ſunt albæ partis exceptoria vaſa, de venarum verò familia, quæ rubram partem revehunt, plus illis ſyſtoles eſt, vi cujus crebriùs oſcillando & celeriùs, tantò largiorem *lymphæ* quantitatem ſugunt & glutiunt, quantò frequentiùs hiſcunt & vegetiùs; dum ergo librarum circiter viginti erit ſanguinis maſſa; quæ remeabit ad cor, tantò major erit *lymphæ* quantitas, quam *lymphaticæ* circumferent, quantò præ ſanguinalibus vaſis numeroſiora *lymphatica* erunt.

Concipere inde in proclivi erit (ſi calculo vulgari danda fides) dum alterutrius circulationis opera octava forte *fluidorum* pars in orbem fertur, ſeptem quæ ſupererunt octavæ, alterius ope circumferri; hæc circulatio erit quæ per

lym-

lymphatica, illa quæ per *venas* agitur. Itaque dum una *fluidorum* pars *venas* fertur, partes aliæ ſeptem per *lymphatica* ferpunt, proindeque minor ea erit *fluidorum* pars quæ rubicunda fluit per *venas*, quam ea quæ alba repit per *lymphatica*, quo dato longè majori *fluidorum* copiâ turgere intelliges ea quæ latent quàm quæ patent vaſa. Et revera, ſuis quibus madent aut inſuccantur partes humoribus ſi ſpolientur, ſuo quo præſtabant pondere minutæ illicò conſpiciuntur, etiamſi figuræ ſuæ aut magnitudinis nihil amittant: argumento eſſent, eloti *pulmones*, exſuccique facti *lienes*, ut anatomici benè norunt. Sed rem conficit oſſium uſtio, ſeu *calcinatio*, qua licet partium omnium ponderoſiſſimæ ſint, rareſcunt adeò ignis vi ſiccata, ut quæ plurium fuerant unciarum ad drachmas aliquot deſcendant.

Ad *lymphæ* circulationem pertinet *nervorum lymphæ* circuitus; cujus enim miniſterii ſunt erga *ſanguinales arterias arteriæ lymphaticæ*, ſimilis uſus ſunt ergà eaſdem, *cerebri*, *ſpinaliſque medullæ medullares* fibræ; in has enim ut deſinunt *arteriæ ſanguinales*, in *nervos* coaleſcendo deſinunt *medullares fibræ*, quæ cum canaliculi ſint *arterias* inter & *nervos* intermedii, appendices vicariæ ſunt, quæ ab *arteriis* in *nervos* transferunt *lymphaticum rorem*, Ulteriùs cum in *membranas* pandantur *nervi*, & *lymphaticis venis* totæ egerminent *membranæ*, non perperam in colliquias habebis *lymphaticas venas*, quæ quam undequaque *membranæ* plorant *nervorum lympham*, ad cor per ſanguinales *venas* reportabunt. Poſthac palam erit ratio, propter quam pluries in hora per cor circulet rubra ſanguinis portio, cujus ut minor quantitas eſt, celerior quoque eſt motus, tubulorum ipſius conditione, quibus plus eſt aut venit *ſyſtalticæ vis*; contrà verò tardigradus immensè erit *lymphæ* circuitus, inquam teſtudineum ejuſmodi reptatum competere evincitur, ex eo quòd ſi parili lentoris gradu è cælo deſcendendum foret liquoris ſtillæ, non minùs quàm ſæculorum millia illi impendenda forent. (a) Lentoris portentum ſimul & diligentiæ miraculum! lentoris in progrediendo, diligentiæ in ſufficiendo; quid enim ejuſmodi motu mirabiliùs, qui cum ſuprà conceptum omnem tardare videtur, lentè tamen adeò feſtinet, ut celeriori nulli daretur tantùm conficere operis aut ſufficere ſucci. Reipſa, ut *lympha* perpluunt undique corporis cava, quàm multis & repentinis eluvionibus illa paterent, ſi abeſſent elices quibus aquæ jugiter derivarentur. Id muneris conceſſum *lymphaticis* eſt, quæ *membranarum* lingendo madorem ſub *lymphæ* vultu, ad ſanguinales venas illum revehunt; hæcque poſtrema ſanguinis circulationis meta eſt quo primo tendit, quo definit ultimò, neceſſaria proinde ad vitam conditio, ſine qua illi ceſſandum eſt aut animali pereundum.

At verò fierinè poteſt, ut dum in coporis capillaribus tam locuples fundus eſt ſucci, qui tam ſubtilis eſt, tenuatus adeò, eoque adactus vi omnium potentiſſima, hujus intereà tam parcus fiat ad ſanguinem reditus? enimvero viginti tantùm eſſe librarum ſanguinis maſſam aſſeritur, cum centum fortè & ampliùs librarum fuerit illa liquidi copia, quæ *lymphaticis* arteriis aut ſimilibus vaſis continetur. Sit ergò corpus centum ſexaginta librarum, quandoquidem hujus ſubſtantia tota vaſculis conflata eſt, pondus illud ex copia ſucci in vaſculis contenti æſtimandum erit, oſſium exemplo quæ ſi ficca facta ſunt, tanto magis tunc temporis levia fiunt, quanto cum ſuccis plena erant fuerant ponderoſiora; ſed conceſſo ſolido partium tegmini ſexaginta librarum pondere, quod certè maximum erit, centum quod ſupererit, ſuccorum pondus erit. Ulteriùs, viginti librarum fit tali in corpore ſanguinis maſſa, pauxillum erit ſucci quod per *lympha-*

(a) *Vid. Verdries de æquilibr.*

phaticas venas ad ſanguinales redundabit; licet enim portionem rubram multùm ſuperet alba, hujus partem maximam appellenti in dies chylo, ſi, ut decet, imputaveris, nihili fermè erit quod à reflua per *lymphaticas* expectabis. Nihilominùs tamen jugis eſt *lymphæ* refluxus, circuituſque illius ad ſanguinem indeſinens; unde alterutrum aut utrumque admittas oportet, aut ſucci intra capillaria corporis vaſcula circumducti partem non nimiam ſuffuratur *inſenſilis tranſpiratio*, aut tam lentè, ſenſim adeò, a partium punctis minutis, multis disjunctis, per canaliculos tam arctos, graciles & longos ſanguini advehitur quæ a capillaribus illi redit lymphæ pars, ut maſſæ, molis aut materiæ hilum tantùm afferat, imo nihil aliud niſi roralis aut aeræ ſubſtantiæ filum. Omne autem illud artis ejuſdem vis energiæ debetur, omnem enim illam ſucci copiam quam in *lymphaticarum* arteriarum capillamenta adegit cordis & arteriarum ſanguinalium *elater* cogit, arctat & premit *elaſtica* vis, adeò ut quæ a partium ſaltu cepit ſuccorum circulatio, partium preſſu abſolvatur.

At verò ſi tam multa exequitur una & eadem vis, tam multarum ordinationi præeſt eadem & una lex, quæ lex proportionum eſt, ordinis & harmoniæ; quantalibet enim fuerit potentia, vincendis tot reſiſtentiis, rumpendis tot repagulis, ſolvendiſque tot difficultatibus, quas denſe formant diverticula viarum canaliculorum anguſtiæ, anguli, curvaturæ, impar certè erit, niſi acceſſerit naturæ vi induſtria, labori ſagacitas. Talia autem exprimunt aut produnt *ſolidorum* cum *fluidis ſymmetria*, proportio, conſonantia; hanc enim efficiunt *directionum* poſitus juſti, concordes rationes, mutui reſpectus, amicæ habitudines, unde rerum ſocietates, nexus, vincula, commercia quæ formant amores, tendentias, alunt & proclivitates, connubia jungunt. Poſthac ſtupere ceſſabit, qui functionum concentus, motuum regulas, *ſecretionum* leges, excretionum ſeries, periodos & conſtantias conſpexerit; ordinis aut proportionum vis aut effectus ſunt, quibus ſic ſibi concinunt, reſpondent atque concordant partes ut habeant nihil, quod mutuum non ſit aut obnoxium, tantùm invicem ſibi debitæ videntur! ea eſt (quod exemplo erit) *ſolidorum* conditio, ut ſua qua præſtant *ſyſtaltica* vi, ad terendum, comminuendumvè comparata ſe monſtrent; ſimiliter ejus indolis ſunt *fluida*, quæ agitanda & elaboranda *ſolida* ſuſcipiunt, ut præ cæteris omnibus teri ament; tenuari & comminui. Sed hæc ut ſuccedat exquiſita comminutio, opus eſt, ut nullibi non & nulla non ſui parte tangantur fluida, tundantur, cudanturvè. Reipſa vero *ſolidorum* quælibet vel intactilis, particula *elaſtica* eſt, aut *elateris* mica, perpetuò micans, occillans aſſiduè, jugiter vibrans. Denique agitata ſemper materies, facta ſubtilis, preſſa continuo, fugæque parata illico vaporabit aut elabitur, ni loca diffiliant; itaque in parte nihil eſt, quod canaliculus non ſit, quod undequaque non fuerit pertuſum oſcillis, hiatibus & emiſſariis pervium. Atqui in corpore receſſus tam cæci nulli ſunt, quos non ſubeant *fluida*, eapropter viſcerum non tantum nullum eſt, ſed & *glandularum* nulla, quæ *ſecretorio* ſuo aut exceptorio vaſe careat; at vero *glandulis*, ut loquuntur, tunicæ & membranæ reſperſæ ſunt, tum & univerſa cutis, & interna quævis partium involucra: unde pars nulla eſt quæ ad evacuandam, exhalandum aut tranſpirandum non ſit parata. In his omnibus conſpicias intuitu uno animalis œconomiæ laboris ſcopum, inſtrumenta laboris & inſtrumentorum opera, ſic ordinata ſibi, ut difficilè definires an ſcopus laboris cauſa, aut ſcopi cauſa labor, an inſtrumenta cauſa laboris, aut labor inſtrumentorum cauſa, an inſtrumentorum cauſa opera facta ſint, an cauſa operum inſtrumenta: verbo, dum in univerſo corpore materiæ multum eſt, molis non parum, maſſæ plurimùm, ſuperat operis magnitudo, laboris immenſitas, infinitas artis.

Tam

Tam mirificæ artis effectus aut opus, æquilibrium est; æquamentum intellige corporis rerum quo amice diffidentes pugnare amant, vincere nolunt. Libramentum est aut lucta, quæ oscillando ludit eo tenore aut rythmo, quo pugilum neuter prævalare nititur, sed æquivalere; certaminis novum genus, quo certantium uterque ex æquo se tuetur aut servat; æquilibrium enim nomine tibi non veniet æquipondii conceptus, quo corpora duo distantiis & pondere consentientia adeo conquiescunt, ut à motu ferientur; non sic se habet corporis rerum æquilibrium, sed quantum illæ produnt æquilibritatis, tantùm mobilitatis condunt, *elastica* nempe vis, qua sese invicem lacessunt, ictuum tali moderamine, ut ea quâ se aggrediuntur pugna, ad concordiam via sit. Motuum ergo alternantium æquabilitas est, actionum consensus unus & in unum conspiratio, aut in harmoniam unam, unde cuncta manant sanitatis & vitæ bona.

In his omnibus singularum rerum unitatem cernere datur; mobilis, motus, viarum, legum, agendi rationum, proportionum operandi, unitatem tandem æquilibrii, cujus ad unas regulas instituitur universa corporis œconomia; hujus autem unitatis rationem prodit originis communitas aut illius unitas fontis qui summè unus est, Creatoris videlicet à quo uno fluit omnis mechanismi corporis ratio, ordinatio nempè illius, legum ortus, constantia, perennitas; quidquid enim caduci his omnibus affricare materia videatur, divinam vim, unde descendunt, sapiunt semper, iis feta viribus, quas ut educere nequit materia, protulit creatio.

Hoc offertur medicinæ spectaculum, in his versabitur medicus, qui non secus ac naturæ candidatus artibus illius & consiliis erudiri cupidus & informari, mores meditatur illius, voluntates explorat, contemplatur leges, regulas, ritus & usus, unde documenta sibi faciat aut exempla. Hinc autem edocebitur, densus quantum sit, varius & multiplex partium numerus, unde compingitur corpus, duplicis tantum eas esse generis, quæ totam illius compagem constituunt, *liquidas* nempe & *solidas*; verius, unicam esse partem unde coaluerint partes universæ, canalitiam scilicet substantiam, quæ quidem plus minus habet spissitudinis, ponderis, motus, fluxilitatis aut massæ, sed quæ ubique aut canalis, aut embryonum aggeries canaliculorum; si quidem illic canalem exporrectum aut continuum intueri licet, hic canaliculorum segmina; illic vasa, hic humores aut succos qui *tubulata* substantia constant. At indè quam simplex animalis œconomiæ conspectus! contemplandus enim medico veniet canalis unicus, aut unicum vas exporrectum & continuum in *solidis*, sectum, divisum, solutumvè in *fluidis*; motûs ubique particeps; illic motoris, mobilis hic vices gerens aut officium, itaque quidquid motus habetur in humano corpore, à canalibus simul & in canaliculos exercetur, sed ejusdem generis ille est & rythmi, *oscillatorius* nimirum, hocque titulo unus. Stupendum tamen quàm multos, quàm diversos, quàmque multiplices edat effectus, quàm plura exequatur opera, quàm multiformes *secretiones*, quibus non est impar; in causâ est *directionum*, *determinationum*, *tendentiarum* ratio; in quibus ut fita est tota corporis mechanismi concinnitas & industria, ponenda quoque tota sapientia artis & medici contemplatio. Hic cogitabit, quàm longè exporrecta sit canalis illius longitudo, intra quem sanguis, hujusque satellites succi feruntur, cujus quamvis mensura sit millenorum ulnarum milliariorum, interim quos complectitur succos ad ultimos sui fines constanter & directè ducit; ubi intueri medico datur exaratam lineam, descriptumque ductum, juxtà quem sanguini ambulandum ita est, ut ipsi delirare sit inconcessum; adeo ut *directionum* naturalis regula sit & cursus norma, citrà quam aut ultrà progredi nequeat aut exilire. Hinc igitur cancelli facti sunt atque limites, ut intrà suum alveum sanguis coerceatur,

in-

insuperque facta ei necessitas ad extremitates canalis quo vehitur perveniendi, quâ datâ illi à Creatore metâ obtinendâ, ne cespitando sanguis defraudaretur sæpiùs, posituræ unius aut declivitatis conditus non fuit *sanguifer* canalis, sed curvaturæ multiplicis & multiformis inflexus, ut angulorum, anfractuum occursu, repercussuvè, allisus, collisusque ad præstitutos sibi calles determinaretur efficaciùs, & ad ordinatum itineris scopum certius perveniret. Inutilisnè cursitationis causâ? imò causâ utilitatis quàm maximæ, videlicet ut illam quâ potissimum indiget, dotem exquisitam, id est, tenuationem assequatur, quæ eò major fit, quo longius in filum ducitur; simulque ut longum habendo iter, hùc illùc eructando succos, quocunque *secretionum* spargat materies, suumque suis singulis *secretoriis* dividat demensum; denique ut copiosissimæ & solemni maximè *secretioni* ab solvendæ, *transpirationi* nempe sufficiat. Tam multa bona apportat *determinationum ars*, quæ *solidorum* opus est aut virtus, cui si addideris id omne commodi quod venit ab arcanis *fluidorum* tendentiis, unico oculi ictu apprehendere erit omnes sanguinis circulationis fructus & utilitates, totumque corporis *mechanismi* miraculum. *Tendentiarum* enim nomine intelliges mutuas rationes, parata obsequia, insito svè nisus, aut connatas proclivitates, quibuscum natæ res, serviunt ad nutum & ultroneæ obediunt: ejusmodi sunt *fluidorum* naturæ, quæ flexiles factæ & faciles, nutantibus *solidis*, aut oscillantibus sponte obsequuntur, vi ordinis primùm instituti, quo *solidorum* viribus famulando, Creatoris auscultant consiliis. Hæc autem consilia sunt, ut *fluida* iis omnibus feta, quæ tuendæ corporis œconomiæ debentur, earum rerum promptuaria sint, quæ operibus illius erunt necessaria. Sed ad nutricationem & *secretiones* isthæc opera referuntur, ut ergò eo tendendum iis erit, in se quoque habebunt unde edendis iis necessaria contribuant; hinc nempe particulas tenuari summè faciles, aut immensè dividuas, illinc sequaces particulas, ductiles, tractabiles & obsequiosas. Unde quidquid energiæ aut virium *solidis* erit, in evolvendis excludendisvè ejusmodi *fluidorum tendentiis* insumetur, quidquid verò promptitudinis & obsequentiæ in *fluidis*, *solidorum* nutibus & imperio servire gestiet. Aliquidnè tam unanimum aut consonum magis?

CAPUT III.

De morborum causis.

UNANIMITAS hæc erit, consensu sque hujus rationes & modi, quæ dogmata arti sufficient & artifici consilia; qui abstinendo cautus a scrutandis causarum arcanis, quæ creando celari voluit Creator, non infidis quæ monstrat rerum exemplis gaudebit erudiri. Ita fiet ut medicinalis disciplinæ canones & regulæ, ordinis leges sint & veritatis, illius videlicet ad cujus normam res ipsæ non tantùm conditæ sunt, sed & rerum effectiones, modi, rationes, naturæ, motus; quorum omnium mensuras, quantitates, periodos noviſſe, id omne habere est, quod medicinali physicæ & arti medendi necessum est. Ecquid enim sensili scientiæ convenit melius, quàm quod sensibus manifestè verum deprehenditur? at ejusmodi sunt æquabilitatis, proportionum, ordinis & æquilibrii leges, quas medico monstrat naturalis ille œconomiæ corporis conspectus, sub quo regulares *solidorum* rythmos, pressus & *oscillationes* observare, *fluidorum* motus, *secretionum* mensuras, tempora, periodos tenere, denique mutuat utrorumque habitudines, *directiones & determinationes* assequi sufficit, ut ex conpectis nativis eorum moribus & ingeniis, eorumdem ventura vitia, eruas & delicta.

Me-

Medicinæ *gnomon* eſt iſthæc harmonia, quæ juſtà ſua operum directura, operationum illius modulatio eſt; nedum ſollicitæ aut ancipitis, ceſpitando in eligendis quæ capeſſenda habeat conſiliis, aut veſtigiis quæ habeat premenda, quin potiùs viarum ſolùm eruditæ, quæ uſurpandæ illi veniunt, illarum exemplo quas natura terit, rerum non ſolùm quæ tractandæ ſunt, illarum judicio quas illa regit, ſed & rationum, menſurarum, temporum & quantitatum quas ubique prodit. Poſthac non aliundè repetes medicinæ munus & officium medici, harmoniæ enim illius imitamen erit, quàm reſtituendam ſuſcipiet aut reſarciendam, juxtà calles aut ductus, numerum & tempus, menſuram & quantitatem quam docet & monſtrat partium *ſymmetria*, circulationum ordinatio, ſuccorum *anadoſis* aut diribitio, *ſecretionum* ſeries, quantitas *excretionum*, verbo omnium æquilibritas & proportio; ut enim corporis rerum æquamentum eſt ſanitas, diſſociatio eſt morbus. Interim diſſociationis nomine non veniant ſalium *fluores*, *fuſiones*, *diſſolutiones*, *præcipitationes*, *decantationes*, quæ in partem *ſymptomatum* veniunt, non cauſarum; ſed ipſorum ſuccorum à ſuis vorticibus, circulationibus, viis, vel ductibus, emiſſariis aut *ſecretoriis* delirantium alterationes; quarum vitio, huic vortici dantur qui alteri debebantur ſucci, has ſubeunt vias qui ad illas ferendi erant, denique qui illis *ſecretoriis* proprii erant, his addicti videntur. Ejuſmodi allucinationum exempla produnt *icterus*, ſub quo, quæ ad hepar viam affectare debet *bilis*, ad cutim effertur; ſanguineus mictus, quo ſeri loco ſanguinem fundunt *ureteres*; menſium ſuppreſſio aut evagatio, qua qui ad uterinum ſanguinis circuitum pertinebat ſanguis, intra generalis ſanguinis circuitus fluentum reſorptus, nullos non particulares circulantis ſanguinis vortices miſcet, vitiat, contaminat. Jam manifeſta mala ſunt, quæ inducit in integrum facta ſuccorum diſſociatio, ſed infeſta quoque committit, ſi partita fuerit aut inabſoluta, qua cumulata ſanguinis maſſa iniquis mille ſuccorum *ſecernendorum* reliquiis conſpurcatur. Argumento ſit *inſenſilis tranſpiratio*; quàm larga hæc eſſe debeat & copioſa palàm eſt, ita ut ſi tantillo minuatur, vix ullam cogitabis corporis partem, cui aliquid non afficiet mali, ipſimet enim vitæ fontes, maſſa nempe ſanguinis indè inquinati, quocumque ferunt quam combiberunt peſtem. Mille inter, alterum offert exemplum, menſium minutio; namque licet, quaſi ex condicto, horâ ſuâ, tempore & ſolitis viis prodeant; neque ſuis defecti coloribus, nullum erit quod non offendant, laceſſantvè organum, ſi breviùs fluant aut parcius.

Itaque ſanguinis maſſam conſpicies non ſecus ac fluentum ex pluribus ſocialibus ſuccis cretum, quod aquarum ritu principali alveo coercitum, hic illic intra obvios & hiantes laterales fluvios diſſociatur, hæc enim principes arteriarum canales præterfluens, quos eundo ſentit hiantes ſibi laterales ductus ingreditur, eà arte, ut pro ſingulis ſingulorum *diametris* diſſocietur, cuique concedendo illam ſui partem, quæ mole ſua par illi fuerit & commenſa. At elaboratio eſt & modificatio hujuſmodi commenſus, quâ fit ut materies cui ſic paratæ denegatur ingreſſus intra illos qui illiuſmodi erant canales, congruo ſibi exitu defraudata, incongrua ad ſanguinis fluentum regrediatur, ſic in ſocietatem remeans quæ ad diſſociationem facta fuerat. Hæcque erit morborum omnium publica aut univerſalis cauſa, æquabilitatis amiſſæ aut cadentis æquilibrii rationem importans, quà enim materiæ portione levari debuerat, onuſta manet aut impedita ſanguinis moles. Neque in excuſationem veniet ſucci tantillum, ut ajunt, quod ex defraudata aut minuta *ſecretione* aliqua, ad ſanguinem remeare poteſt, quantò namque eſt æquipondii parilitas major, tanto diſparilitas facilior, undè quod ſtateræ momentum eſt, hoc ipſum corporis functionum æquilibrio eſt elocati diſſociativè ſucci tantillum: opinionem enim quà volunt parva admodum eſſe ma-

magnorum morborum initia, ut confirmat fumantis lucernæ odor, quem in feminis vitam extinxiſſe compertum eſt, evincit fontanellæ perperam facta occluſio, quâ ad ſanguinem repulſa liquoris ſtilla, portentoſum quot mala det, dolores & pericula; tam aliundè multiplicia, ut pars nulla ſit, intra cæcos quoque corporis receſſus altiùs recondita, quàm inficere non poſſit tetra illa mephitis.

Tantillum autem illud ſucci hinc illinc abreptum ſuperadditumvè, æquilibritatiſque peſſundans æquabilitatem, non ex fonte aut loco unico venire poteſt, ut enim *ſecretoria* tot ſunt quot incernicula, tot autem incernicula quot viſcera ſunt aut organa, veriùs quot *glandulæ* dantur, ad numerum ſtupebis attendendo ad numerum multigenum ſuccorum, materierum, miaſmatum, quæ ad ſanguinis maſſam reflexa, circulationum illius turbamento erunt; ſanguiniſnè nitorem fedando, impurandovè? vulgarem hunc arcent conceptum, quæ à ſucci alicujus retroceſſu tam ſubitò ſurgunt incommoda. Quid enim tam repentinum, quàm terroris ſubitaneus effectus, qui *menſes*, aut *lochia* comprimendo, *febres*, *nauſeas*, *vomitus*, *ſtrangulatus*, *ſuffocationes*, *deliria*, *lipothymias* confeſtim accerſit? At eſto quoque hinc vitietur ſanguinis *craſis*, modo abeſſe intelligatur craſſamentorum, phlegmatum & ſordium congeries, accerſi verò tantùm *heteregenei* aliquid, alieni aut peregrini, quo cum amicabiliter ſanguini verſari non datur; hinc enim fortè naſcetur mutua ſuccorum repugnantia, incongruitas aut *antipathia*, quæ contubernio illorum & pauci adverſabitur; ſed aliundè proficiſcuntur ex reflexu ſuccorum œconomiæ animalis turbæ, pluribuſque ex locis venit harum materies, illinc videlicet ex interrupta *ſecretionum* æquabilitate, hinc ex totuplicibus fontibus, quotuplices ſunt in corpore ſuccorum circuitus, horumque *ſecretiones*.

Circuitus ſunt tum partis rubræ ſanguinis, tum albæ, earumdem ſunt *ſecretiones*. Rubra circumfluit ex arteriis ſanguinalibus in venas ejuſdem nominis, quarum loco ſi fortè *lymphaticas arterias*, aut viſcerum *ſecretoria* ſubire illi contigerit, cruentari *lympham* obſervatur, undè deducas tam multiplicium ſanguinis *excretionum* rationes, ſub quibus certè non brevem morborum catervam contineri palàm eſt: at quàm immensè creſcit horum numerus quos invehunt aſſidua ſanguinis hic illic arietantis molimina; oſtendit enim fibratus partium textus, horum ſingulis ſuum eſſe *tonicum motum*, aut *elaſticam* firmitudinem, quæ tubulos, undè conſtant, premendo jugiter, ad circuitum jugem adigit præterfluentes ſuccos. Interim ſi ſtrictioribus factis *circulatorium* aut *ſecretoriorum* vaſorum diametris; aut ſi quæ ſanguinem evibrat potentiam, ſuperante nimium tonico partium motu, ſolitâ quâ decebat quantitate vel à majoribus vaſis in minora, vel ab arteriis in venas, *ſecretoriavè* tranſmitti ſanguinem omittatur, hic undique preſſus, pulſus & arietans, quò non pertinebat ferendo, ſe, vim infert, adactuſque coactus & hærens, lenteſcit, tardat & ſtagnat, ſic mille parit *ſyſtaſes*, *phlogoſes*, *phlegmones*, omnium ferè morborum parentes, aut cauſas. Caſſorum ejuſmodi moliminum, quæque committere poſſunt malorum exempla dant ſiccæ *hæmorrhoides*, in iis qui earum fluxibus fuerant obnoxii; tum & *menſium* defectus in feminis, quarum ætas horum evacuationi mancipata adhuc; otii enim impatiens qui refluit ſanguis, aliò deflectit, nulla non incommoda commiſſurus; tanta ſævitie, ut vix quempiam invenias, quem ejuſmodi ceſſata tandem aliquando non incommodent. Alia produnt morbidorum ſanguinis moliminum exempla, qui membro curti facti ſunt, in his enim ſanguis, cui in longitudinem, cui natus erat, ſuum negatur producere circuitum, in ſe revertens cumulatiùs, circulare frequentius cogitur; interim tantum de ſuo acquirens *inteſtino* motu, quantum de *progreſſivo* perdit, alterutrum

erum committet aut arietando undique, *hæmorrhoidum* seu similes aut reserabit vias, aut enormes pariet, vel abnormes pulsus, mille daturos vix tolerabilia morborum tædia.

Hæc edunt, si cassa sint & evacuationis exsortia, sanguinis molimina; at ostendit medendi usus aut observatio abortivas dari aut degeneres *excretiones*, quæ inquietis sanguinis aut illius moliminum effecta sunt. Hujus sortis sunt in multis *catarrhales* affectus, *coryza*, *tusses*, *rheumatismi*, *arthritides*, in nonnullis *diarrhœæ*, *perirrhœæ*, *sudores*, tot spuriæ *secretiones* aut morbidæ, quibus purgari sanguinem in iis adeo necessum est, ut si tempore suo fieri cessent, morbus aliquis illicò succedat: denique ejus virtutis & potentiæ sunt in quibusdam sanguinis molimina, ut cutis rumpendo spiramina, aùt emissaria violando, sua illi inurant noxacula; exempla sunt *herpes* & *erysipelas*, tyrannici illi affectus aut tam intolerabilis dominatus, ut si semel erumpere cessent, desinant in pejus, *sopores* nempe, *spasmos*, *tusses*, &c. Unde laborem assiduum & perennem dices *tonicum* partium sub illis affectibus motum, ni concipere malis ut nisus perpetuos & pressus indesinentes, urgentia illa semper sanguinis molimina, quæ in extrudendis & amovendis quæ sanguinis oneri sunt aut labori succis assidue contendunt; unde deduces quoque *lassitudinum* causas & flatuum origines, quæ *plethoræ* aut *stagnationum* comites duo & assectlæ non infidi sunt, pressæ enim partes, præterquam quòd sanguinis & succorum, qui ægrè permeant *circulationes* sensiferas reddunt & doloris participes, facit *diametrorum* strictio fortior, ut pressiùs arctata *secretoriorum*, quibus perfunduntur interni partium parietes, oscilla, pro succo vaporem eructent, humorisque loco explodant fumum.

Sub hoc universali partium pressu intueri licet lentescentis simul & *inflammatorii* sanguinis causas, videlicet illius coriaceæ pellis albæ, plus minùs pro *inflammationis* grada rufescentis, quæ sanguinem tegit aut vestit, sub iis omnibus morbis qui *inflammatorii* nuncupantur, quique morborum qui graviores sunt, maximam occupant partem. Memineris enim ex canaliculis conflata esse partium stamina, iisque alba sanguinis parte turgidis, quæ *lympha* est, succus proindè ductilis & tractitius, densari facilis & compingi: si addis, natura sua lentum esse a *lymphaticis* capillaribus arteriis ad sanguinales venas circulationis regressum, concipere erit pressum, densatum, stipatumve succum, qui ad sanguinem lentus appellit; sanguis autem succis ejusmodi abundè cretus, spissescit in dies, tardigradusve factus cespitat, hæret, moratur, *lympha* enim spissiore malè saginatus invisatur, & in pingue spurium abit.

Sed hæc ad sanguinis albæ partis circuitum pertinent, unde fluunt tot ægrotationum corporis, ægritudinumve mentis causæ; utrarumque, inquam, ab alba enim sanguinis parte venit *nervorum lympha*, quæ vitiata semel, a motu aut *crasi* sua degenerans, ipsi menti incommodat, ut suo loco exponetur. Non autem is est *lymphæ* sanguinis circuitus, ut, licet serum idem quocunque circumambulando ferat, ejusdem coloris & vultus ubique serum illud repræsentet; quamvis enim ubique sit idem seri fundus, *secretoriorum* textura diversa, diversas iis affigit facies. Itaque *bilis*, *succus pancreaticus*, *lympha stomachalis*, *nervorum lympha*, *urina*, *sudor*, nomina varia sunt *seri* ejusdem, sed variis vestiti coloribus. Ut autem *colores*, *sapores*, &c. particularum seri illius varii situs sunt, rationes & modi, quos parat aut instituit pressio, tritus aut comminutio; quantùm veniet periculi, si *serum* in *bilem*, &c. tritum, *modificatumve* aliò asportetur? quò magis enim hepatis incerniculo fuerit aptatum, eò minùs alteri aptum erit, unde incongruis & disparilibus succis fetus sanguis secum rixabitur, in seque divisum dissociabitur, indebitos visceribus

trudendo ſuccos; inde ſanguinis turbæ, *ſecretionum* chaos & ſuccorum *migmata*, hicque *cacochymiæ* conceptus erit.

Enimvero in *cacochymiæ* voce luditur miſerabiliter; vulgò habetur pro congerie & acervo humorum *ſalibus* fartorum peregrinis aut malè ſanis infectorum ſaporibus, *acidis*, *auſteris* aut *muriaticis*; non infrequenter pro exundante *colluvie ſeroſa*, qua partes merguntur frequentiùs, pro *pituitarum*, *phlegmatum* & craſſaminum ſaburra, intra *primas*, ut loquuntur, *vias* ſtagnante. Ut ut ſe habeant ejuſmodi *cacochymiarum* ideæ, his movendi litem, nec tempus, nec animus eſt, ſed ad corporis humani *mechaniſmi* veritatem propiùs accedit ea quæ concipiendam *cacochymiam* exhibet non ſecùs ac inconcinnam benè moratorum etiam ſuccorum aggeriem, qui dum locis ſuis aut ſedibus diſtributi, applicitive, animalis œconomiæ bono ſerviiſſent, incommodo illi veniunt, in unum remiſti; bilis exemplo quæ in *hepate*, ut decet, *ſecreta* utilitati eſt; damno verò, ſi ab hepate dejecta ſanguini remiſcetur; *bilioſa* enim *cacochymia* eſt mille apportans mala. Unde intelligere dabitur, ſuci unius refluxum ſatis eſſe ad inferendam *cacochymiam*, ad *cachexiam* enim ſufficit, quæ ſuci unius vitio aut indebita mixtione difficiles committit aut contumaces morbos. Argumento ſit ſeroſus latex, qui a *tranſpiratione* indebita redux, *catarrhales* omnis generis affectus inducit. Hujus quidem valoris eſt deerrans unicus humor; ſed quantæ potentiæ multiplicium humorum regreſſus! inprimis ſi non tantùm intra privatum locum aut ſingulare viſcus colligerentur, ſed intra publicos vitæ fontes, ſanguinis nempe maſſam conveniendo remeent. Status aut caſus eſt moroſorum illorum affectuum, dubii nominis aut ancipitis naturæ, qui cum nullius non morbi ſemina condant aut prodant diſcrimina, nullius, quem tutò definias, vultum oſtendunt, *complicatos* dixere, ut pote implexos tam multis ſemper, ſæpe diſcrepantibus adeo *ſymptomatis*, ut dum *diagnoſin* adjuvant, aliunde miſceant *indicationes* & curationem incertent. Tam inconditos mores induere poſſunt morbi, quos animi *pathemata* pepererint, hæcque inter mœror aut *melancholia*, ſanitatis illa quotidiana peſtis, quæ cum nervis ſingulariter inimicetur, a quibus non unius organi, ſed nullorum non organorum dimanant functionum rationes, diſſimillima quoque protulerint fortaſſis ſymptomata; frequentiùs tamen inconditi *ſymptomatum* ſatellitii author erit aut cauſa, diſſimilium ſuccorum a ſuis *ſecretoriis* dejectorum in ſanguinis maſſam confluxus; cum enim tunc temporis irrita aut caſſa facta ſunt pluſquam unius partis *tonica molimina*, plurium partium defraudatarum ſupereſt offenſæ ſenſus ſcilicet violatarum illic, hìc inverſarum *oſcillationum* ſtatus, qui ut ſupponit mutatas ſuccorum ordinationes, varias etiam partium habitudines facit.

Expreſſam hìc vides *chronicorum* morborum imaginem; ſub *acutis* enim, a quibus ſæpe decidui illi ſunt (artificis culpa fuerit aut artis) perperàm laceſſitæ partes, *tonici* motûs loco *ſpaſmum* contrahunt, & pro *directionum* rectitudine, ſiniſtras & præpoſteras exercent *oſcillationum undulationes*: aliundene multiplicium *ſymptomatum* fons uberior? cauſane dabitur, quæ diſpares magis pariat effectus, aut majores turbas prænuntiet? hinc *ſecretionum* diſparilitas, *excretionum* abalienatio, turbamenta rerum & confuſio. Viſcerum *obſtructiones* aut infarctus, evacuationumque defectiones (quæ *chronicorum* appendices ſolitæ ſunt) ex iiſdem fontibus manant, *ſecretoriorum* namque diametris & vaſorum capacitatibus inepti ſucci, undecunque venientes, impediendis iis, opplendis, infarciendiſque opportuni fiunt; quantùm enim energiæ & proclivitatis nata ſunt *ſecretoria*, ad admittendos, ſuoque fovendos ſinu, qui congrui erant, ſuccos, tantùm capiunt repugnantiæ adversùs

eos

eos qui illis inopportuni ſunt: *ſabſtantiæ familiaritas* hæc eſt, qua perèunte, tot ſanitati ſuccedere mala ſubintellexerant primi medicinæ patres. Interim facta vi, a proprio ad alienum *ſecretorium* transfertur *excretio* tot morborum mater, totque morbidarum evacuationum, quæ *chronicos* deturpant affectus, origo.

In ſanguinis maſſam cadunt iſtius ſortis incommoda, cum univerſalem illius circuitum evagari contingit; at ſua quoque invehit mala particularis quilibet ſingularis ſucci circuitus, ſi vitium capiat, qualis ille eſt quo nervorum *lympha* (quam *ſpiritus* dixere patres) per nervos circumfertur; cum aerius ſit liquor, qui proinde parùm habet corporis, vix de materiæ vitiis & affectionibus illum participare crederetur: at ex quo a cerebro ad ultimos nervorum fines illum devehi, hinc ad venas ſanguinales revehi confeſſum eſt, circulationis legibus obnoxium eſſe conſequitur; ſegneſcere igitur, tardare, lenteſcere poterit; eò magis, quò iis coercitus tunicis, quæ ut *elateris* omnis, ita *oſcillationum* omnium ſunt authores, *laſticitatis* erroribus qui ſtrictionis aut laxitatis nimiæ vitia ſunt, patebunt magis: ſi addideris, hunc ipſum liquorem, ut pote cum ſit *lymphæ* genus, ſpiſſitudinis eſſe proximum, in proclivi concipere erit, lentori & tarditati illum eſſe maxime ſubditum; utque partium nulla eſt, quæ nervis intexta non ſit, palàm eſt harum eſſe nullam, ubi *ſtaſin* aut lentorem contrahere non poſſit nervorum *lympha*, proinde nullam quæ nervorum offenſæ non pateat: hæc autem ut plurimùm *erethiſmi* aut contractiunculæ genus eſt, quo tot inter vitæ labores, *pathemata* animi & mundi commercia feriri ſolent & emoveri tunicæ nervorum, quæ tali œſtro percitæ criſpantur quadantenùs, *lymphamque* quam aſſiduè *occillando* premunt, arctiùs ſtringendo tardant. Sed hinc conniventia nimiùm illa arteriarum *lymphaticarum* oſcilla, quæ a ſanguine ad cerebrum efferendam habent nervorum *lymphæ* materiem, ingreſſum illi negant, cujus è contrà ad ſanguinalia vaſa facto receſſu, turbamenta mille aut tumultus intra ſanguinem ſurgere vides.

Circulationis hujus duplicis duplex error aut vitium eſt; hinc enim aucto, a ſucco aliquo remeante, ſanguinis fluento, cumulatiſque illius ſuccis, *ſyſtaſes* & *ſtagnationes* intra ipſum fieri neceſſum eſt, unde obices & repaguſa mille, quæ circulationem totius ſanguineæ molis turbant & miſcent; illinc ſolito commeatu defraudati nervorum canales elangueſcunt, invalidiùs *occillantes*, lenteſcit illorum *lympha*, ſegniùſque abſolvitur illius circuitus; quibus ex cauſis fit ut dum tumultuatur ſanguis, torpeſcant ſpiritus, oppletiſque cerebro & ſanguinalibus vaſis (unde *comata*, *lethargi*, *ſopores*) exſolvantur nervi, unde *languores*, *lypothymiæ*, *ſyncopes*. Hic pingi vides non inſolita *hyſtericis*, *hypochondriaciſque* affectibus ſymptomata; ſed alia adhuc apportat mala tumultuarius, hærens aut a ſuo tramite delirans nervorum *lymphæ* circuitus.

Non enim uniuſmodi ſunt *oſcillationum* errores; facit interdùm admotus nervis ſtimulus, ut ſua ſerie aut *directione* ſervata, accelerentur tantum illorum *oſcillationes* & adurgeantur; quo cum incommodo, oſtendit *lymphæ* indoles, ut ut enim tenuata illorum *lympha* ſit, *lympharum* more tardigrada hæc eſſe amat, citatiori paſſu urgeri non ſuſtinens, imo vero crebrioribus *ſyſtoles* ictibus percuſſa, in tantum non obſequitur, ut inſpiſſata lenteſcat, ſuoque ſic circuitui obicem ponens, moram injicit. Quod ergo properanti nimis ſanguinis circulationi contingit, qui pulſus fortiùs, cuneatur, ſtagnat & hæret, hoc ipſum in *lympham nervorum* cadit, quæ crebriùs verberata, ſegnius ambulat aut tardat gradum, ſuumque circuitum eo lentius abſolvit aut exequitur, quo ad circulandum diligentius ſtimulatur magis. Hic multigenos difficilium morborum nidos, fomites

mites aut igniculos poni auguraberis, nec temere, si attendas quam *glandulæ multæ*, quæ occurrunt infarciendæ, quam crebra emissaria aut *secretoria*, quæ obturanda veniunt, quam plurimæ, quæ *erethismo* objiciuntur membranæ & tunicæ, in quas desinunt pandunturvè nervi, denique quàm numerosa vasa, quæ ex singulis membranarum punctis emergunt aut egerminant, quæque succi nervorum, illuc undequàque appellentis erroribus patula sunt. Posthac nunquid non ut sanguinis, sic *lympha* nervorum suas dari *stases* aut *stagnationes* inferre licebit? quin potius & vasorum sanguinalium & nervorum, suos esse infarctus, aut obstructiones licebit affirmare. Sed hinc intelligere datur cujus valoris aut momenti medico sit vasorum capillarium consideratio, quorum tam sanguinalium, quam *lymphaticorum* posituræ, occursus, textus & ordinatio tot incommodis, discriminibus erratis & offensis causam præbent aut ansam. In capillaribus nidulari febrium fomites subolfecerant veteris medicinæ antistites, ulterius informata habet medicina recens, undè stabiliat ex illis scaturire locis longe plurium morborum origines; imo illorum quorum abstrusiora, aut cæca habita fuerant incunabula, quales sunt *glandularum* & *nervorum* affectus, quos ut facit sanguinis albæ partis aut *lymphæ* vitiositas, hos aperit compertus *lymphæ* cursus aut circulatio.

Indidem se profert *colluviei serosæ* solemnis illius & decantatæ nimium morborum causæ, *colliquationum* que multiplicium ratio, quarum uberes proventus exhibet roris illius, quo madent semper membranarum universæ superficies, copia immanis, qui halitus faciem sub sanitate gerens, in aquam sub morbo cogitur; *transpirationis* ritu, quæ cum ex natura sua visum fugit & tactum, a natura desciscens, sudoris aut aquæ induit speciem. Quod igitur est a *transpiratione* læsa factus sudor, idipsum erit a degenerante membranacearum madore spissescens humor; utrobique enim *transpiratio* est externa ex cute, interna ex præcordiorum membranis vaporans; utrinque eadem materies, *lymphaticus* nempe succus, qui illic immense tenuatus in aerem resolvitur, quique hic *nervosi generis* omnibus functus officiis in aereum vaporem efflatur; iterum a vitiata *transpiratione* externa, sudore stillat cutis, a læsa interna *transpiratione*, humore pluunt interiores membranæ, unde factum impluvium subjectæ partes, si plenæ fuerint, aut plane cohærentes *rheumatismos* dabunt; si laxiores, molles aut divulsæ, *leucophlegmatias*, *anasarcas*, *œdemata*; si cavæ, *ascitico hydropes*, diversi nominis pro cavitatum aut viscerum varietate, ejusdem vero itematis, originis aut prosapiæ, a lympha ubique natos, quales sunt *cerebri*, *pectoris*, *abdominis* & *scroti hydropes*.

Quorum palato sapiet minus isthæc *ætiologia*, hanc firmabit quod *lymphæ* accidit *discrasiæ* genus; succosa illa & dulcis esse solet, ut animalis œconomiæ muneribus benè serviat, sed quavis ratione *fluorem* aut deliquium passa, aquosa nimium aut serosa facta, in phlegma eliqueſcet, halituſque loco serum plorabit, unde *colliquationes*, *catarrhi*, &c. iterùm si hæc pauca videantur, numeratis, si licet, non numerandis oscillis, quibus forati sunt aut pervii membranarum interni parietes, aquarum cataractas in microcosmo aperiri sic intelliges.

Quidquid in humano corpore boni absolvitur, aut committitur mali, id omne pressus, *syſtoles*, aut *elateris* vi, operæ aut potentiæ debetur; æquitatis virtus est, succos æquilibrans omnes, motuumque illorum rationes æquiparas, ea dexteritate aut commensu, ut suos singuli calles & itinera subeant. Interim virtus hæc, quæ aliundè rerum humanarum sors est, nutabilis est, cum enim in *oscillatione* sita vita sit, in nutamine consistit sanitas; imminuta ergò fraſtave hac æquilibritate, sanguinis albæ partis a rubra diremptioni vitium fit

aut

aut error, quo committitur, ut quæ preſſa mediocriter alba pars, *lymphaticas arterias* inter & *ſanguinales venas* diſpertita, circulando æquabiliter incedere conſueverat, inverſo aut præpoſtero preſſu citata, intra *lymphaticas* ſe immergat plenius, unde uberius ad extrema membranarum oſcilla affluens, horumque violando diametros, fundat pro madore imbrem. Hujus deflexus occaſio aut cauſa eſt, ſanguineæ illius molis quæ majora vaſa occupat tumor, quo turgeſcit hæc adeo & ampliatur, ut tota vaſorum replens loca, appellenti nutritiæ *lymphæ* ingreſſum neget aut hoſpitium, quæ cum interea *ſyſtaltico* partium preſſu adurgeatur, lateralibus *lymphaticis* adacta illarum diametris vim infert, factaque via vi, intra illarum capacitates abſumitur tota illa *lymphæ* quantitas, quæ cum ſanguinalibus dividenda fuerat: caſus adhuc erit aut effectus ſanguinis tantæ facti ſpiſſitudinis aut compacturæ, ut patere aut dilatari neſcius, parum aut nihil adventitii ſucci intra ſe admittat; argillarumnè illarum ritu, quæ aquis non meabiles, ingreſſum omnem intra ſe illis recuſant? melius glutinum more quæ textus firmitudinis vi, id omne quod aqueum eſt reſpuunt. Is ipſe ſtatus eſt ſanguinis, quem miſſum *hydropicarum* affectionum non minima pars oſtendit, ſub quibus non raro cernere datur ſanguinem coriaceo, pelliceo illo & albicante glutine veſtitum, qui *pleuritici* ſanguinis titulo circumfertur; adeo *inflammatoriis* morbis proprius eſt! certè, quantum vulgo errari ſoleat in *chronicorum* affectuum *ætiologiis* & curis, hinc ſuſpicabere; ſed *de tramite in viam*.

In his, quæ pauca ſunt, evagationum exempla habes, quibus a ſuis decidentes *ſecretoriis* ſucci, ſanguinem turbant & functiones miſcent; quod errati genus, ſi ad ſingulos corporis ſuccos transferas, in conſpectum venient omnium morborum rationes & cauſæ, ſuccum enim elocari, morbum committi eſt; unde fingas tibi *bilem*, *ſuccum pancreaticum*, *tranſpirationis* materiem, *urinam*, *menſes*, *ſeminales* ſuccos ſub quovis ſexu, a ſuis ſedibus ad alienas transferri, quot peregrinis organis exantlandi erunt labores, dum quæ ſuccis ſuis viduata erunt, feriabuntur; interim quot organorum aut ſuccorum, tot morborum nomina erunt aut cauſæ; ſaltem inde turbæ naſcentur, aut tumultuatio, unde morborum ille princeps ſeu morbus univerſalis, *febris* nempe, quæ cæteros morbos faciatne, an finiat, non facile definies; ut enim illorum plurimis comitem dare ſe ſuevit; ex illis unum ægrè invenies, qui vel a febre initium non faciat, vel febris operâ finem: qua ratione, acriter & ab antiquo diſceptatum non compertum eſt, myſterium enim eſt ſermocinationum minus quam obſervationum momentis tractandum, inſtitutum nuſquam ut medentium mentes ſerudiat, ſed ut opera illorum dirigat & conſilia, factum exemplar, unde diſcant quam in curando ſequatur aut faciat ſibi natura artem. Sub ejuſmodi conceptu *febrem* oſtendit nobis corporis *mechaniſmus*, unde medicinæ veniet niſi doctrinæ plus, plus ſaltem conſilii.

CAPUT IV.

De febre morborum omnium radice aut cauſa univerſali.

QUalia ſunt nobilium ſtemmata, quæ filendo heroum facta loquuntur, ſic eloquia muta ſunt naturæ phœnomena, quæ illius conſilia loquendo interpretantur; ejuſmodi ſunt medicinalis philoſophiæ theoremata, quæ

ex

ex unis naturæ legibus, regulis & ordinationibus non ex arcanis operum illorum naturis eruuntur. Ad hunc intuitum veram morbi naturam ex naturali causa animadvertere licet, quam indicat perpetuus constansque in edendis morbis naturæ ritus, hunc enim exploraſſe, doceri, tenere, intellexiſſe eſt morborum rationes, quæ artes ſunt quibus tueri ſe natura ſolet. Morbus ergò naturæ tuitio eſt, conatuſve quo inſurgit illa adverſus infeſta ſibi & ominoſa, ut hæc a ſe amoveat & amoliatur; qui conatus, cum ea omnia inferat, quæ *ſymptomata* morborum dicuntur, eorumdem morborum cauſa erit; hic autem conatus eſt qui febris vocatur, medicorum & ægrorum illud terriculamentum, reipſa tamen ſolitum & familiare inſtrumentum quo ſe protegit. Omnium ergo turbarum, quæ ex hoc certàminis aut belli genere neceſſario ſequuntur, radix & origo eſt febris: cujus motus niſus ſunt, quorum tendentiæ, initia, ſeries & exitus notacula ſunt & veſtigia, quæ calcando natura premenda medico docet, ut ea dediſcendo quæ ſuggererent male ſanæ curioſitatum fabellæ, ex ipſa naturæ & morborum hiſtoria, diſcant horum cauſas, & illius imitamina.

Hunc ſub morbis naturæ conatum exponunt & elucidant, quæ ſub ſanitate aſſidua fiunt *tonica conamina*, quæ corporis æconomiæ præficiuntur, hinc partium illa perennis inquies, *oſcillatio* jugis, nativos ſuccorum motus dirigens, emendans hoſtiles, arcens peregrinos. *Syſtaltica* vis eſt quæ partium *tonum* alit atque temperat ea teneritudine, ut accedente vel leviori *erethiſmo*, qui mollem & liberam fovebat fibrarum firmitudinem *elater*, ſpaſmum illicò concipiat, unde quæ latenter *oſcillabant* partes, apertiùs reſultent & validiùs, ſicque ingeminatis & crebrioribus factis ſtimulatarum fibrarum ictibus, qui latebat partium pulſus apertè micat, & a nativo *rythmo* deſciſcens, ſua quoque ab æquabilitate recedit. Febrem hic pingi dices? conſentitur, modo ſub hac morbum minùs communem, quàm communem morborum cauſam comprehendi recognoſcas, ut pote cum huic malè conveniat genuinus morbi conceptus. Morbi nomine accipitur manifeſtè facta functionibus læſio, at amabo, quanta cum pulſuum turbamentis, frequentia, celeritate, magnitudine, duritie, inæqualitate pergit ſanitas in iratis hominibus, plethoricis, ſenibus? Igitur morbi præludium aut cauſa eſt non morbus pulsûs turbamentum, a quo manantes functionum evidentes offenſæ, morbum conſtituunt. Et revera, lædi tantùm incipiant vitæ munia, quando dejici cœperunt & mutari motuum ſanguinis aut circulationum *directiones*, unde aliò quàm decebat dejecti ſucci, dum curſus ineunt incongruos, degeneres brevi, invehunt & abalienatas functiones; atqui inſimul cum pulſuum turbamentis, ſanitati ſolidas circulationum directiones conſiſtere apertum eſt: igitur morbi cauſa non morbus eſt febris.

Hoc ut palàm fiat; *conaminum tonicorum* quæ ſub ſanitate jugiter exercentur, rationes & uſus exponi convenit: artes ſunt, quibus utitur natura in amoliendis inutilibus aut nocituris ſuccis; inſtituta enim ut eſt corporis œconomia, ſuccis quotidie cumulatis eluxurians, brevi ſuffocari periclitaretur, ſi deſes & virium inops careret effugiis, quibus a ſuperfluis ſe expediret. Quantùm exempli cauſa diſcriminis & incommodi impenderet illi, ſi *bilis*, *ſucci pancreatici*, *ſalivæ*, *urinæ* & *tranſpirationis* materiæ moles & pondus diutiùs illi ferendum veniſſet? qua ergo de cauſa antlias a nautis jugiter exerceri oportet, ne aquis navem ingredientibus brevi mergantur, ſimili ratione, labore jugi œconomiæ animali opus eſt, quo a ſuccreſcentibus ſuccis levetur in dies, ne illorum luxurie extinguatur: hoc ut ſuccederet, preſſoria facta ſunt corporis vaſa, quæ manuum aut digitorum inſtar tractant & pinſunt, premunt & exprimunt quos continent ſuccos, hoſque tandem propria versùs emiſſaria

cogunt,

cogunt, pellunt, amoliuntur; cumque *secretionum & excretionum* ejuſmodi continua ſit neceſſitas, *oſcillationes* juges, niſus perennes aut *tonica molimina* partibus indidit Creator, quæ circà has evacuationes indeſinenter occuparentur.

Corpori in anteceſſum accepiſſe eſt præſentis ſimul ſanitatis cauſas & futura venturis morbis auxilia, quæ enim continuandis ſervandiſque ſuccorum circulationibus ſub ſanitate addicuntur *tonica molimina* ceu *ſyſtalticæ oſcillationes* tacitæ, molles & ordinatæ, iiſdem ſub morbo reſtituendis revocandiſvè paratæ fiunt, factæ vividiores, fortiores & ſtimulatæ. Ejuſmodi illæ erant, quæ ſanguinem terendo, tractando, comminuendovè, à lentore, denſitate, ſpiſſitudine præſervarent, illius conditionis hæ fiunt, quà lenteſcendo, ſpiſſeſcendo, ſtagnantique ſanguini diſrarando, explicando & eliquando pares evadant. Iterum illæ ſerviebant ſanguini ſuis in itineribus continendo, idoneæ hæ fiunt ſanguini à ſuis peregrinationibus revocando, reſtituendoque ſuis itineribus nativis.

Sub his contineri veram febris notionem, quà habetur morbi cauſa, indè liquet, quod cujuslibet functionum oſtenſæ, quæ illi ſuccedit, author evadat, proindeque parens enaſcentis morbi: argumento eſt quod inter medendum obſervatur; quodque in dies docebit uſus.

Ecquam enim aſſignaveris febris ſpeciem, cujus *ſymptomata* conatûs ejuſmodi non ſint argumenta? modò dolor has illaſvè partes infeſtat *lancinans, punctorius, oſtocopos, pulſatilis*; modò prorumpunt humorum effluxus aut evacuationes *lymphæ, ſeri, bilis*, ipſius imò *ſanguinis*, qui pluſquam uniuſmodi dat *hæmorrhagias*; erumpunt aliàs *maculæ, papulæ, puſtulæ, abſceſſus*, certe tot effecta *ſyſtaltici* preſſus ceu conaminis *oſcillatorii*, moleſti aliquid aut nocivi amoliri nitentis. Id moleſti nuncuparunt morbidum humorem, *coctionem* conatus energiam, febrem denique ipſum conatum, ſed pro morbido humore nobis erit ſtagnans aut lenteſcens ſanguis, quem diſrarare, pandere, & ſua verſus *ſecretoria* remittere contendit partium *ſyſtaltica* vis. At verò ut fibrarum nervearum operæ ſunt *tonica* illa conamina, non erit undè ſtupeas ad eas tam multiplices & numeroſas moleſtias, quæ conamina illa comitantur, cum ſenſus omnis in corpore authores ſint nervi; neque ad tot partes, tot viſcera, tot *ſecretoria* quæ læduntur, cùm hi omnium partium ſtamina ſint, nervorumque omnium eadem ſit & unica radix. Hinc videre conceditur *ſymptomatum* omnium evacuationum, *colliquationum & eruptionum* cauſam eſſe illum conatum; concludere ergò erit febrem eſſe morborum cauſam, qui illorum *ſymptomatum ſyndrome* conſtant.

Solidis igitur propria erit aut addicta morborum cauſa? ita videbitur ſi ad primum morbi inſultum attendas, ſub quo *occaſionalis* aut *procathartica* cauſæ vim (interna hæc fuerit aut externa) in *ſolida* primùm exerceri obſervabis. Si in corpus peccaverit aer, corrugatur cutis, unde vitium duplex ex æquo *ſolida* primùm ſtimulans; hinc enim ab occluſis cutis ſpiraminibus exſpirantis materiæ retroceſſus immanis, undè factus ad ſanguinem confluxus, & ſuperaucta ſubitò hujus moles, *fluidorum* vim & *reſiſtentias* elevat, unde cùm veniat *ſolidis* arietandi neceſſitas major, fortiùs illi *oſcillandum* eſt & frequentiùs, ut in facta ſibi repagula vegetius enitendo, vincant efficacius: illinc exaſperatis ab aeris læſura papillis cutis, totum exhorreſcit nervorum genus, ut pote quod totam in cutem deſinit, unde millenorum vaſorum diametros anguſtari, coerceri ſuccos & ſanguinem, in hoſque venturos everberationum; *oſcillationum* aut conaminum *tonicorum* niſus mille & ictus animadvertis.

Indè ſanguinis *ſtaſes, ſtagnationeſque* ſuccorum, quibus diſſipandis aut diſcu-

ſcutiendis operas dando *ſolida*, motus dant febriles & conamina produnt; hæc que pars eſt quam in productione morborum *fluidis* concedes; humores quippiae aut illa inquinatos corruptela fruſtra ſuſpicaberis: hoſtiles eruut qui peregrini fuerint ſucci, id eſt elocati, aliam à propria ſedem occupantes; qua abiis quæ a natura nacti fuerant *ſecretoriis*, intra ſanguinis ſinum remeaverint, tum temporis nativis viribus exuti, ſubjectique alienis, ut ſuas miſcent *craſes* partium etiam turbant *oſcillationes*; indè *iræ*, in advenas enim & à ſuis locis exules ſuccos *ſolida* inſurgunt, tùm ut cumulatos & ſtagnantes ſuccos eliquando diſſipent, tùm ut in illos inſiliendo ad ſua aut inidonea minùs exceptoria remittant. In his duobus, omnem febris vim aut rationem poni intelligas, cujus opera fit, ut eam undè *liquida* exciderant fluiditatem reſumant, & ad idonea *ſecretoria* amandentur; ſic fiunt morborum ſolutiones, *judicationes* & *criſes*, cum eâ dexteritate, ratione & commenſu triti ſunt, comminuti, aptativè ſucci, ut eas ingrediantur capacitates & ea ſubeant emiſſaria quæ morbi moribus aut ingenio magis reſpondeant conveniantvè; undè *ſudorem* modò, modò *diarrhœam*, bonis ægri rebus ſuccedere vides, ni caſſo & infelici tritu ruditer aut erudè ſubacti, in incongrua liquamina degenerent, quæ ſolidis *ſecretorium* diametris inepta ſtagnant diù, ſicque aut *chronicos* varii coloris affectus committunt, aut utilium loco *ſecretionum*, *apoſtates* dant aut *abſceſſus* dubii eventus, inopportuni ſaltem & faſtidioſi, ut pote quibus malè *judicati morbi non ſolvuntur*, ſed poſt ſe aut *recidivas* relinquunt, aut infelices trahunt reliquias.

Ex dictis concluderetur *paſſivam* aut famulitiam eſſe in febrium productione *fluidorum* conditionem, maximè cum ictibus ſubjecta ſubactaque hactenùs viſa fuerint; interim, neque diffitendum, ſua quoque eſt hoc in opere *fluidorum* energia, luctæ enim genus febris eſt, ſub qua ut ut obſequioſa *fluida* ſint & patientia, retaliant tamen & reluctantur. Sanguis enim cæterorum ſuccorum radix aut parens, cum alba parte maximè conſtet, ſucco fibrato turget, *compreſſili* maximè aut *contractili*, qui iteratis vaſorum *oſcillationibus* ſtipatus dureſcit, & in compacturam *elaſticam* coaleſcit, quam repræſentat duricorius ille ſanguis, quem exhibent *inflammatorii* morbi: porrò ille ſuccus vaſorum *ſpaſmo* compreſſus & *ſyſtoles* ictibus percuſſus ſæpè in ſe redit, deturgetvè, à *diaſtole* verò dilatatus reſultat & panditur, ſicque partium *oſcillationes* mirabiliter adjuvat, quin potiùs auget & frequentat; repagulum enim ſtringenti ſe arteriæ objiciendo, *ſyſtolen* breviat, quæ dum brevior fit, crebrius repetitur, unde pulſus crebritas, frequentia, celeritas. Sed hac ratione patet, quæ *fluidorum* vis aut effectio ſit in febribus, ſub quibus pulſuum varietates à ſanguinis denſitate & *elatere* deducendas eſſe intelliges, quem medenti oſtendit ſanguinis educti pellicea durities, quæ eâ curâ obſervanda venit, ut omni levamini fidere intutum illi ſit, quandiù coriaceâ illâ ſuperficie veſtitus educitur; juxtà traditum illud a priſcis artis antiſtibus documentum, utiliſſimam fuiſſe compertam in magnis febribus *phlebotomiam*, quæ ad *coloris mutationem* inſtituta fuerit.

Hæc quidem *fluidorum* vis, ſed quæ illis propria non eſt, at omnino mutuatitia, quamque habent à *ſolidis*, tanto mancipatu, ut ſi illorum *oſcillationibus* fuerint deſtituta, quantolibet *elatere* turgeant, torpeant iguava, ſtagnent, reſideant, undè cita mors. Hac enim ratione contigunt ſubitaneæ mortes, *apoplexia* imprimis, quæ repentinam accerſit mortem, ex eo quod ſanguis alimentorum ſaporibus, ſuccis & ſpiritibus fartus in dies, ardentiumque liquorum iguibus flammatus, ſic inſuccatur, ſtipatur, denſaturque vividioribus quas eſculenta ejuſmodi pariunt *oſcillationibus* jugiter everberatus, ut tandem cumulatus oppleat ingurcitetque vaſa, illorumque *ſyſtolen* mole ſua ſufflaminet; vaſorum enim parietes ultra tonum diſtendendo, dum illorum *diaſtolen* auget, *ſyſtolen*

ſtolen ſupprimit. Tanti eſt *ſyſtoles* uſus! ad quem adeò pertinet tritus ſanguinis (quod & circulationis eſt) negotium, ut illa abſente, dum teri deſinit ſanguis, circulare ceſſet: hacque de cauſa febris *apoplexiæ* ſuperveniens, illam ſolvit, tunc enim ſanguinis molem & *elaterem* ſuperante *ſyſtole* vaſorum, teri incipit & tenuati ſanguinis, circuituſque ſui relegit iter.

Sub hoc conceptu meditata febris, non obſcurè univerſalem ſe proferat aut monſtrat morborum cauſam; ni fortè univerſalem morborum illam nuncupari malis, quaſi morbos omnis febris ſit, ſeu unicus omninò ſit morbus qui febris diceretur. Hoc ſenſu, quod de febre aſſeritur, in morbum cadit; igitur naturæ conatus erit, amolentis à ſe moleſti quid ipſi venit aut adnaſcitur; iſthæc idea medendi, ut ut fortè tolerabilis, id haberet incommodi, quòd morborum nomina circumcidendo, medicinæ rebus inferret turbas. Itaque licet ſui generis morbus dici poſſit, commodius erit & utilius ſuam cuique morbo febrem admittere, quæ ut omnium erit illius ſymptomatum cauſa, adjutorium quoque illi accedet quo ab his ſeſe expediat. Sic *pleuritidis* comes febris, niſus erit in lenteſcentem ſanguinem, quem in curſu ſuo ceſpitantem, laterique præ *pleuræ ſpaſmo* hærentem ſolvere tereudo contendit; argumento eſt *tritus* illius febrilis eventus naturalis, qui ſi imperturbatus & felix fuerit in ſudorem exit, non dubium certè comminutionis indicium. De cætero ſuam dari cuilibet morbo febrem, quæ proprium curationis illius ſit inſtrumentum adeò verum eſt, ut facta tantillæ parti injuria quæ actionem illius violet, præſto febris ſit quæ in auxilium accurrit: teſtis ſpina eſt digiti extremo infixa, quæ febrem invocat; teſtes *veſicantia*, quæ æquo licet moderamine applicita, in teneris hominibus febrem accerſunt, imò quæ febris augendæ cauſa, à non ignobilibus medicis jubentur, ſub iis morbis, ubi *ſolidorum* conamina aut *oſcillationes* promoveri, aut increbreſcere opus eſt; ejus ſortis fuerunt apud veteres *apoplexia*, *lethargus*, *comata*, quibus recentes addi volunt *febres malignas*, ſub quibus ex obſcuro pulſu augurantur, molliores eſſe aut invalidiores *ſolidorum oſcillationes*: porro hos morbos ſua febre defectos exiſtimantes, aſcititia febre adjuvari volunt, quam *veſicatoriorum* appoſitu provocant & obtinent: arte ſimili, in ſenum morbis alendæ febri ſtudendum eſſe opinantur alii, edentulum, ut putant, illorum ſanguinem refocillaturi, labantes (quod aliorum mens eſt) *oſcillationes* reſuſcitaturi; id dogmatis, *cum grano ſalis* (ut ajunt) accipiendum, de erratis enim medentium in ſenum morbis forſitan aliàs; at rem evincit divini ſenis effatum, qui *ſpaſmo* ſupervenientem febrem pro remedio habet; cum enim *ſpaſmus* ſit morborum pars maxima, ex his nullum invenias, cui remedio non ſit febris, conatus nempè ad ſanitatem, quem fortiùs *oſcillando* exerunt vaſa, ut ad *ſecretoria* in quæ continuantur, morbidos ceu devios humores extrudant.

En ut malo malum natura noſtra trudit, quaſi tam propria homini ſit infelicitas, ut vel propriis in bonis eſſe debeat miſer! interim, ſic rem ſe habere fermè ſuaderent ipſorummet, quæ invenit ars, remediorum effectiones, quas ſi æquo animo exploraveris, febris operibus non adeò abſimiles eas eſſe comperies; Prima ſe ſiſtant *cardiaca*, hæc enim amabo, quid aliud ſunt, quàm caloris, ut ajunt, nativi ſuſcitabula? meliùs, mobiles materiæ aeris particulis aut *elateribus* turgentes, & *oſcillationis* proximæ, quæ vel intra ſanguinem diffuſæ, gelaſcentes illius ſuccos aut ſtagnantes agitent, aut liquent, vel quæ partium fibras vellicando, *elaterem* illarum erigant aut promoveant! *hypochondrii* dolores qui abſque inflammatione fiunt à ſuperveniente febre ſolvi obſervavit *Hippocrates*, in quo remediorum quæ *aperientia* vocantur, rationes recognoſcere eſt; febris enim genus eſt, quod exſuſcitant, ſuis quibus *aperientia* pollent vividioribus & actuoſis particulis, quarum vi partium fibras *ſpaſmodicè* tenſas,

ſtricta ſque emovendo, ſopitas aut abalienatas earum reſuſcitant aut revocant *oſcillationes*. Hanc de *aperientium* effectionibus opinionem probant aut firmant *martialium* medicaminum operationes; ab horum enim uſu quantum exſuſcitentur *tonica* partium conamina aut *oſcillationes*, oſtendunt caloris ſenſus, capitis dolores, faciei rubor, *hæmorrhagiæ*, arteriarum pulſus, de quibus in ipſo *martialium* uſu conqueruntur ægrotantium plurimi; quibus omnibus ſi addas rutilum, qui aberat, ſanguini ſupervenientem colorem, qui *martialium* uſui ſuccedit, in apertum venit febri analogum quid eſſe illud omne quo morbi curantur. Huc quoque ſpectat *narcoticorum*, *opii* imprimis energia, quæ tota in evolvendo, evehendo, calefaciendove ſanguine inſumitur, atteſtantibus faciei rubore, ſudoribus, cutis pruritu, & papulis *narcoticorum* uſum excipientibus, tum & *menſium* evacuatione, quam ſæpè illa reſtituunt. Atqui confeſſum eſt, quanti auxilii eſſe ſueſcant *narcotica* in *ſpaſmodicis* affectibus, unde deduces *Hippocratis* effati veritatem, remedio eſſe *ſpaſmo* ſupervenientem febrem aut aliquid febris æmulum. Pro coronide erunt petita argumenta ex corporum exercitationibus, mutationibus ſoli & peregrinationibus, quas ſuis injungunt ægrotantibus medicinæ ſapientes, ut à pulmonum morbis & ſimilibus affectibus *chronicis* contumacioribus illi convaleſcant; ſcilicet ut vel agitatoriis partium motionibus, vel novi & inexperti æris aſpiramine revaleſcentes *ſolidorum* ſimul & *fluidorum oſcillationes*, efficacio & examurcando ſanguini allaborent. Revera ut à ſtagnantibus ſuccis, quos ſtringendo coerceret *ſolidorum ſpaſmus*, incipiunt morbi, ſtupendum quò deſidiæ perveniant, ſi in *chronicos* evadant! hinc horribilis ſuccorum pigritiæ, ſub quâ vitium capientes, corruptelarum millemodis viſcera ſordidant & vaſa, quibus ut medeantur, *digeſtivorum*, ut loquuntur, advocant auxilia; ſuccos autem *digerere*, eos retractare eſt, quaſi rem ad incudem revocares; reipsâ *digeſtivorum* officium eſt, *ſyſtalticam* partium vim excitandi, hujus ingeminandi ictus & *oſcillationes* ſtimulandi, quod partium conamina & vires elevare eſt, febrileſque ciere motus. At verò ſi eò venerit *oſcillationum* ſtupor quem ingurgitata conceperint vaſa, quæ eum altè ſepulta ſint imis viſcerum, *glandularum*, *oſſium*vè penetralibus, ubi ut obſcuræ & debiles eſſe ſolent *oſcillationum* undulationes, ſic difficiliùs poſſunt reſtitui; tunc temporis efficaciùs cum *oſcillationibus* redintegrandis medico agendum eſt, ut uſu venit in *ſtrumarum* & *venereæ* luis curationibus, quæ inſticui ſolent ejuſmodi remediorum ope, quæ inſitos non tantùm partium *elateres* reſuſcitare valeant, ſed quæ *elateribus* novis deſides queant informare partes, hujus ſortis ſunt *mercurialia*, quæ tota *elateres* ſunt, dividua tam mirabiliter, tantaque pernicitate meabilia, ut ſuas *elaterum* & *oſcillandi* vires, quocunque diffundere poſſint, & quamvis maximè cæcos penetrare partium receſſus: undè ſive leteſcant in mediis oſſium medullis ſucci, ſive hæreat reconditioribus glandularum labyrinthis *lympha*, his cum *elatere* animam ferent & *oſcillationem mercurialia*, quæ latentes oſſium *membranulas* & exiliores *lymphaticorum* tunicas attingendo, ad oſcillandum eas invitant aut cogunt. Objicient videri morbos, in quibus febrile nihil animadvertitur, tam conſtans & imperturbatus ſub illis eſt pulſus, ſic ut dum maximè torquet aut urget earum paroxyſmus, tunc æquales ſint pulſuum ictus; exemplo veniunt *hyſterici*, *hypochondriaci*, & *aſthmatici* affectus, ſub quibus dum liquuntur ægrotantes, ſuffocantur, aguntur ſpaſmis, doloribus torquentur, alienantur mente, pulſu quieto donantur & ordinato.

At non unicè ex pulſu naturæ conamen metiri norunt medendi artifices; ab uſu tenent alterius eſſe vultus aut ſimilitudinis conamina naturæ ſub morbis *ſolidorum*, qui *ſpaſmodicis* aut ſicci ſunt, alterius ſub morbis *fluidorum*, qui humoribus attribuuntur. Sub illis ſimplex nervorum raptus eſt, corrugatio,

quam

quam aura levis aut halitus aura levior, sæpiùs animi motus, verbo incorporeum fermè aliquid, aut modificatio quædam accersit, & undè paroxysmus committitur: indicio est illorum indoles aut *temperamentum*, qui *spasmodicis* affectionibus obnoxii sunt, homines natura sua tenerioris texturæ, de quorum numero feminæ sunt, aut qui seriis nimium cogitationibus vel studiis tenerescunt, quos, ut chordis ad *unisonum* exquisitè tensis accidere suevit, afficit aut emovet motiuncula quævis; hinc in utrisque undulationum mutationes & inversiones *oscillationum*, à quibus *spasmi*, corrugationes & contractiunculæ, in quibus consistunt *hysterici & spasmodici* morbi? Sub ejusmodi nervicearum partium, quæ siccissimæ sunt, conamennè expectare convenit contendentis naturæ in humorem quem exterminare niteretur? efflatum quid expectabis, quem, Hippocrate monente, *sternutatio* producet; in aliis succedent *ructus, flatus, borborygmi*, quibus *hysterica & hypochondriaci* conflictari solent, & unde levari consueverunt. Contentit medendi ratio, quæ ab *anodynorum*, demulcentium & *narcoticorum*, usu felix est, infelix autem *purgantium* usurpatione.

Urgent inter medendum quasdam occurrere, febres dicas an febriles pulsuum habitudines, quæ nec *hectica*, nec *colliquativæ* sunt, continuæ tamen, quæque gravium morborum non rarò appendices sunt; sub his pulsus adest celer, frequens & *duriusculus*, noctium inquies, vigiliæ, sitis abest & linguæ ariditas, constat appetitus, coctiones perseverant, interim ægrotantes ejusmodi non revalescunt, ad *evexiam* non pervenientes & in statu neutro versantes; licet ex pulsus conditione constanti febrem adesse pronunciares: at, amabo, qualem febrem, quæ si vel in annos plures abeat, nullum conatus dabit indicium, quo ad hanc vel illam propendeat evacuationem aut *apostasin*. Reverà comperta est *lenta* febris, aut *hectica*, quam fermè cum antedicta misceres, sed hæc *colliquativa* est, pulmonibus minitans, in sudores, sputamina, diarrhœas propendens, quæ nisus exterminantis signa sunt: igitur illam fortè pro lenta habendam voles? neque adversabimur, modo a *colliquativarum* numero illam arceas, proindeque recognoscas conatus omnis exsortem.

Inobservatæ febris fortè genus est, quæ tota in *tonica* partium evibratione *spasmodica*, aut *spasmodico* arteriarum *rythmo* consistit, quem alit imbibitus stimulus, irritatio, fremitus a prægressis febris succussionibus superstes; *solidorum* anxietudo, instabilitas aut inconstantia est, a sua cum *fluidis* inæquali sultura veniens aut a perditis *fluidorum* premendorum cum *solidis* prementibus *contractuum, resistentiarum & distantiarum* commensu & proportionibus, undè malè sultæ, *spasmo*que tensæ arteriæ in se celeriùs reflectuntur, seque motando fremunt. Hujus *ætiologiæ* veritatem promit curandi ratio, quæ iltiusmodi febri medetur; hanc exasperant *cathartica, amara* lædunt, *diluentia, nitrata & absorbentia* juvant, modò facta fuerint, non *salina*, non *acria*, quibus addes *anodyna, fotus, balnea*; sed hinc aberit *cortex peruvianus* febrium ille *Hercules* aut strenuus debellator, à quo hæc febris novas acquirit vires; quæ tamen monita omnia cassa erunt, omissa corporis & animi quiete; adeò quiete tractari amat ejusmodi febris! Interim sub assiduo illius labore, arteriarum conatus mille tentari crederes, quibus in quandam materiem excernendam eluctarentur; nitendo tamen jugiter, enituntur nihil, *critici* enim nihil aut *judicatorii* observatum usquam est, quo expedire se sueverit hic morbus; irritus ergo, ecce inquient, & impotens febrilis conatus? irritus quidem si materiem spectes, utilis si ordinem; ordinis autem est, non solùm ut absolvat naturæ debitas *fluidorum* evacuationes, sed & ut tueatur nativi *solidorum* motus regulas & leges, sicque servet *solidorum* cum *fluidis* amicabile commercium; porrò ab hoc concentu recessus & abalienatio est isthæc febrilis inquies, quæ proindè nihil aliud est,

quam

quam ad quietem conatus. *Spaſmodica* enim affectio eſt, ſub qua partium *elaſtica* vis ſuum ultrà *tonum* extenſa agitatur: at ut ſuam ad quietem regredi contendit nimiùm dilatatus *elater*, ſic ſuum ad *tonum* redire nititur *ſpaſmodicè* tenſa *arteriarum elaſticitas*; hicque conatus erit, illius quam hic tractamus *ſpaſmodicæ* febris. Ut ergò nulla febris eſt quæ ſit conatus expers, morbuſquè nullus qui ſuam non habeat febrem, nullus quoque erit morbus qui, aut ſub quo non ſit aliquis ptoprius conatus autem ad evacuationem modò, modò ordinem, ſed ſemper ad æquilibrium, a quo totius animalis œconomiæ concentus, felicitas functionum, ipſa ſanitas.

CAPUT V.

Quæ notio ſit, aut idea morbi?

CORPORIS œconomiæ ordinatio ſanitas eſt, illius inordinatio morbus; pendet enim in harmoniæ genus a rerum proprio ſitu non tantùm, juſtaque poſitura, ſed & a propriis temporum, menſuræ & quantitatum circumſtantiis, juxtà quas ad illam harmoniam requiritur, ut res illius ſuis ſimul quæque locis, menſura, quantitate, & temporibus diſponantur, ex quibus ſi vel unum defuerit, *ametria* ſuccedet, aut diſturbatio. Nihilominus tamen, ut ſui juris aut arbitratùs non eſt corpus humanum, ſuis viribus aut potentiis obnoxium, minùs quam Creatoris voluntatibus aut conſiliis; quaslibet patiatur turbas, quovis agatur tumultu ordini ſubjacet ſemper, Creatoris mancipatum legibus; conditus ut homo fuerat non periturus, vitæ perennis in ſe femina condit, adeò ut mediis in morbis aut inter mortis diſcrimina ordinetur ad vitam; tanta vis mechaniſmi eſt corporis humani! tam multis artibus, induſtria aut ſapientia, tanta elaborati, ut quantumvis ille fragilis & caducarius, ut pote cum materialis & temporaneus ſit, ad durationem potius quam ad caſum comparatus videretur. Si innumeri pateant vitæ exitus, tam multi ſe dant regreſſus; tam crebra in corpore videas molimina vitæ, tam frequentia motuum conamina, creatione indita partibus! quæ luctando, mortem ipſam (ni heu! interceſſiſſet primi mortalis culpa) eluctarentur. Indè fit, ut dùm ægrotando graviùs corpus humanum, a vita longius removeri videtur, mille modis ad vitam tendat, illarum Creatoris legum vi, qua ad præſtitutum ſibi motum & motus terminum undequaque urgetur. Itaque, quo tempore ab ordinatione recedunt corporis œconomiæ res, eo ipſo in ordinem regredi contendunt; in eoque poſita eſt notio morbi aut illius idea naturalis, aliud enim nihil eſt, quam inordinatarum corporis œconomiæ rerum ad ordinem conatus.

Enimverò quibuslibet titulis aut nominibus deſignetur morbus, ab æquabili ſanguinis circuitu receſſus eſt aut abalienatio, at ſanguinis circuitus perennationis cauſa, tam multa congeſta ſunt motus organa, cumulatæ concentus & harmoniæ tot artes, totque non incertæ proportionum rationes, regulæ, leges, ut ad mortem neceſſariò magis non eat corpus, quam ad abſolvendum indictum ſibi à Creatore vitæ terminum, quò ut attingat, iis legibus donatum eſt, quibus morem gerere, vitam producere eſt; undè dubius hæres, an mirabere magis in certa vitalitatis munera, aut non incertæ mortalitatis argumenta. Neque tibi hæc erunt elevata verba, quæ obvii corporis mechaniſmi mera ſunt interpretamenta, dum enim morbo unus patet aditus, mille illi partes offerunt effugia. Ejuſmodi eſt canalitia illarum fabricatio, ratione cujus retrocedenti aut à

circu-

circulari ſuo vortice deliranti ſucco hoſpitia, dices, parabuntur? ſic quoque eſt, at ampliùs emiſſaria erunt, quæ à *ſtaſi*, aut *ſtagnatione* viſcera ſervabunt aut expedient; quod ne deſit fecit Creator, ut tubuli ſint aut vaſa ſingulæ partium *fibrillæ*, tùm ut vaſorum ſingula vi imbuerentur aut inſtruerentur virtute preſſoria, *ſyſtaltica* aut *oſcillatoria*, qua indigenas ſuccos pellerent, & expellerent peregrinos. *Elater* eſt univerſalis, *ſolidis* omnibus inſitus, cuſus Creatoris digito, duraturuſque in tempus ab illo præfinitum; cui ut ſufficerent, dum energiæ demenſum iis affixit quo ſubjecta *fluida* moverent, id obſequii *fluidis* injunxit quo illicò *ſolidis* obtempe.arent. Energiæ *ſolidorum* nomine intelliges texturæ modum, ſitus rationem, poſituræ genus; vaſorum, elicum, emiſſariorum & ſecretoriorum inflexus, devexitates, curvamina, directuras; diametrorum, capacitatum, oſcillorum menſuras, rationes, magnitudinem, proportiones; quibus ſi addideris motoris impetus, mobilium moles, motuum velocitates, inſuper horum omnium ſymmetriam, commenſum & harmoniam, robur immenſum undequaque emergere videbis, undè *tonica* partium *conamina*, quæ non tantùm vitæ tuendæ, ſed & quæ ſanitati tuendæ, arcendiſque morbis præficiuntur.

Procul hinc igitur inſanum mala ſanæ medicinæ dogma, opinantis morbum abnorme quid eſſe, confuſum & inconditum, nam ſuæ quoque ſunt morborum regulæ & leges, undè illorum periodi, tempora, *criſes*, quæ nativi corporis *mechaniſmi* opera ſunt, ab illa vi legum emanantia, quæ ſub morbis violantur, non peſſundantur. Itaque vis illa quæ in ſanis ad ſanitatem conatus eſt, ſub morbis conatus erit âd curationem, utrobique preſſus & *elater*, qui in illis amicos fovet & regit ſuccos, qui in his abigit hoſtiles, ſed per eaſdem vias, juxtà leges eaſdem, preſſus nempe, tritus & circuitus, quibus aſſueta ſub ſanitate natura inſiſtit ſub morbis.

Hinc revelabuntur *coctionum humorum* arcanæ rationes, quæ niſus ſunt in ſuccos, quos natura ducit ad idonea *ſecretoria*, quæ vergentiæ erunt, juxtà quas illi duci amant, ni coctionum nominibus veniant circuitus ſanguinis devergentiarum reductiones, tritus ſcilicet & oſcillationum labores in revocandis ſuum ad orbem evagantibus ſuccis. Hinc in propatulum cauſa venit propter quam ſerius modò, modo ociùs *coctiones* in morbis abſolvantur, adeò ut in *acutis* ad dies aut ſeptimanas aliquot, in *chronicis* ad menſes annoſvè protelentur; id enim facient locorum diſtantiæ, in quos ſe immerſerint deviantes ſucci, quæ prout plùs minùs diffitæ fuerint, facilius aut difficilius redux erit ſanguis, tardiuſque aut diligentiùs revocabuntur morantes ſucci.

Sed ut in apertum veniat, magis totius hujus doctrinæ ſumma, meminiſſe juvabit omnem *ſolidorum* cum *fluidis* luctam, qua ſtat ſanitas, preſſionem eſſe univerſalem, qua dum terendo elaborantur ſucci, ſua verſus *ſecretoria*, juxtaque ſuas directiones urgentur; at tantane dexteritate putaveris aut rectitudine, ut nuſquam ceſpitent aut evagentur? certè vix conſtantiæ tantùm cadit in humanum corpus, ut labile, caducum & fragile eſt, tam multis aliundè erroribus & injuriis undique patens; reipſa, vix ex hominibus unum habes ex omni parte ſanum, in quo titubantis circuitus ſanguinis ab evagantibus ſuccorum aliquorum aſperginibus notacula obſervare non liceat; unde tam crebra & familiaria incommoda, quibus hominum afflictatur pars maxima, quæque ſi inopportunè ceſſant aut ſanantur, lethales aut graves inducunt affectus. Hac de cauſa invenias familias integras, aut ex familiis homines plures, domeſticâ quâdam aut hæreditariâ lue inquinatos, *arthritides* erunt in aliis, *rheumatiſmi*, *herpes*, *eryſipelas*, *hæmorrhoides*, *hemicraniæ*; in aliis, *diarrhœæ*, *ſudores*, *hæmorrhagiæ*, *albi fluores*, gravia quidem incommoda,

moda, aut difficillimæ ægritudines, tollerandæ tamen ut plurimum, non sanandæ penitùs; de *hæmorrhoidibus* monente *Hippocrate*, non sic eas esse secandas, ut penitùs abscissæ deleantur, quin potiùs harum unam superstitem fieri oportere. Talia sunt incommoda quæ ætati consistenti & juvenili familiaria esse consueverunt; at alia quoque sunt aliis ætatibus propria, quæ huc spectare possunt, cujus sortis sunt in infantibus *aphthæ*, *achores*, *favi*, *aurium humiditates*, *vomitus*, *diarrhœæ*; in senibus vero, *pruritus cutis*, *scabies*, *catarrhi*, necessarii fermè ætatibus illis affectus, qui cautione summa sanandi sunt, ne quod usu frequens est, extincti, ut videtur, ubi primam fixerant sedem, alibi, alioque sub vultu regerminent aut reviviscant periculosiùs.

Ex his affectibus multi sunt quibuscum consistit sanitas; interim ut depurgantis se sanguinis aut egurgitantis naturæ signa sunt, vix inveniet fidem, quantùm venturis indè morbis contribuere soleant, cum eos præposterè sanari, aut vanescere contingit; quod adeò verum est, ut si ab ægrotante scisciteri curet medicus, numnè evacuationi aut ægritudini alicui quæ cessaverit, fuerit olim obnoxius, auditus ab eo sit cessare aliquam aut evacuationem aut affectionem, qua olim tenabatur, *arthritis* fuerit, *erysipelas*, *herpes*, *hæmorrhois*, vel *hæmorrhagia* genus aliud, a quibus liberum esse penitùs, vix alicui tutum est; ratione pari, qua tot ægritudinum generibus obnoxiæ feminæ sunt quæ *mensibus* fuerint defectæ. Reipsa, quidquid obtrudi vulgò soleat, ut discerniculum inveniat, ratione cujus *mensibus* obnoxiæ esse debeant feminæ, dum viris tale nihil ferendum veniat, id omne ficulneis argumentis fultum videbitur, attendenti non densiori vasorum numero donari feminas quam viros, neque præ his illas majori turgere sanguinis copia, hujus enim malè deducta causa est abotio illarum aut vitæ desidia, quandoquidem mulieres rusticanæ omnes, tùm cæteræ laboriosissimis operibus vacantes, quæ feminarum complectuntur numerosissimam partem, *mensium* evacuationi subjectæ tamen sunt. Sexus ergò an conditionis hominis necessitas sit ejusmodi excretio, ambignum erit; tam sexui utrique solitum est aliundè vacuari, aut sanguinis superfluo levari! cui sæpè satis erit exudans mador *herpeticus* aut humor, vi eadem præservans a morbis, qua oris & labiorum pustulæ, gravissimas febres derepentè judicare videntur aut solvere. Naturæ sapientia aut industria est, qua hominum vitæ & sanitati provisum voluit, ne videlicet quæ ad *transpirationem* eunti sanguini impedimento fuisset incongrua aut superefluens portio, *stases*, infarctus, & obstructiones ingeneraret, si his caruisset effugiis. Porrò de *menstrua purgatione* res palam est, *una & eadem*, ut ajunt, *fidelia* duplex officium absolvi voluit compendio studens natura, faciendo ut eadem evacuatione & levandæ nimiæ sanguinis moli & generationi adjuvandæ uterus serviret. Indè se prodit qui sub sanitate pergit assiduus labor, eò primum & directò tendens, ut immensè comminutus sanguis, suisque omnibus defunctus *secretionibus*, ad *transpirationem*, quæ optata meta est perveniat, tum & hæc subsidiaria ejus intentio & cura est, ut si quæ sit inconcinna aut inutilis illi portio, inter eundum hic illic eructet aut eructare contendat. Hic intueris conamina *tonica*, seu singularum corporis partium conatus naturales & assiduos in sanguinem quem tractant, terunt & elaborant indesinenter, ut levis, liber & æquabilis ambulet & circumferatur: quod ut illi succedat feliciter, continuo nititur ut ambulando & inutilia emoliatur, (undè plusquam uniusmodi ægotationum esca, aut evacuationum materies) & faustum comminutionis assequendo gradum placidus expiret. Alterutro aut utroque scopo defraudatur? nititur in vetitum, multiplicandumque nisus, labores ingeminat, sanitatisque quieto labori succedit inquies & dolor, id est, morbus cujus ideam in his agnosces, quæ nihil aliud monti objicit

ciet quàm certaminis aut luctæ modum, quo hostile aliquid aut inimicum eluctandum suscipitur. Sed quis luctator sit, quæ lucta, quid illud hostile adhuc quæritur; luctatorem ex luctæ natura definies, hostile ex pugnæ exitu. Lucta est *fluida* inter & *solida*, quæ cum in motu posita sit, luctæ princeps dicetur, penès quem erit motus summa; hanc autem *fluidis* attribuere vetat *fluidorum* ratio, quæ labilia sunt lubrica & impatientia situs, talia proindè quæ motûs mancipia non domini videantur. Sub hoc conceptu, *solida* manet motus imperium, & ideò luctæ principatus. Ampliùs in *elatere* sita est *solidorum* vis, hæc itaquæ *systaltica* erit, ictuum rythmo constans, quæ *oscillatio* est. Denique hostis indolem revelat morborum eventus, quo aut aliquid elimi natur, aut conquiescendo aliquid vanescit sensim & obliteratur. Unde si omnia hæc in unum contracta sint, morbum exponunt aut repræsentant, ut motum *solidorum oscillatorium*, qui rem vel evacuando amolitur aut amoliri nititur, vel obliterando vincit.

In quibus recognoscere est & consuetos naturæ, ritus, & solitam illius simplicitatem, proindeque vera conantis naturæ, sequè tuentis argumenta, sub morbis utendo iisdem intentionibus, instrumentis ac rationibus quibus ad sanitatem uti suevit. Reipsa, cujusvis tituli aut ordinis scrutando si meditabere morbos, quidquid in iis animadvertas, causa vel *symptoma* sit, id eò tendit maximè, ut evacuationes aliquæ fiant aut evacuationum conamina; prioris classis sunt *diarrhœæ*, *sudores*, *hæmorrhagiæ* (*symptomaticæ* aut *criticæ* fuerint) quibus natura se levat aut expedit: posterioris sunt *abscessus*, *apostases*, *pustulæ*, *maculæ*, *bubones*; *judicatoria* sæpè non *judicantia*, abortitaquè naturæ conamina, quæ morborum solamina sunt, non absolutoria: quæ tamen omnia si abfuerint, aut ægrotanti pereundum brevi est, aut sensim quasi deflagrando malum conquiescet: quâ ratione aut arte intelliges naturam cum ipsâ naturâ conferendo, aut morbi motus cum sanitatis functionibus, aut animalis œconomiæ legibus. Harum princeps est, aut cæterarum absolutio, facienda per *transpirationem* vaporatio succorum; sed hæc eadem pergit sub morbis, juxtà quam *oscillationum* febrilium vi quassus, tritus, tenuatusvè sanguis, a *stasi* aut stagnatione fit liber; interim a *fluidorum* pondere, pressu & resistentiis soluta vasa, ut nativos redipiscuntur diametros, sic insitas repetunt *directiones*, quarum ductu suis ad viscerum *secretoria* dimissis succis, versus extrema pergit sanguis cutis spiramina, quæ cum tam multa sint, quàm quæ sunt innumera, in exiles adeò minuties secatur, dividitur, disjungiturvè, ut resoluta sui succi corpora, in spiritum vaporet aut fumum. Contrà verò si obstinatè rigescentibus vasorum fibris, strictiùs illorum capacitatibus adactus hæreat sanguis, circuitus fluento restitui impos, ut *secretionibus* omnibus non vincendos obices ponit (unde partium siccitas) harum & *transpirationis* sinu suo condendo *concentrat* aut coercet materies, sicque sanguis infelici cumulo factus dives, eo, undè vita, pauperatur, succorum videlicet liquiditate; quâ de causâ spissescens magis cuneatur fortius, donec impeditus omninò circuitui sanguinis lethales injicit moras, unaque cum motu vitæ comprimit causas.

Nihilominùs tamen, quod alibi observari cœptum est, ex morbis plures sunt de *chronicorum* censu non tantùm, sed & de *acutorum* numero, in quibus vix animadvertere licet conatus umbram, adeò sub his omnia stupere videntur. Sic inter medendum observare datur malignas febres, quæ dùm ea proferunt quæ pacis sunt, cæcos tamen celant tumultus, qui proximas ægroto intentant minas. Hoc certè in casu infensissimum aliquid & hostile subesse necesse est, in quod tamen niti nullatenus videtur natura, cujus functiones tam obscurè lædi videntur, ut sub *urinarum*, *pulsus* linguæ, &c. naturali vulto fucum faciant.

At ecce brevi se profert mentitæ pacis insidiosa fraus; in procinctu enim sunt *delirium*, *phrenitis*, *tendinum subsultus*, *purpureæ maculæ*, *vibices*, tot aperta *solidorum* simul & *fluidorum* nisus indicia; quæ si paulò serius in conspectum se dant, in causâ est altiùs insidens, & remotiùs morbi materies, simulque distantiores & profundiores partium situs quas *spasmus* tenet, undè tardiùs fieri palam & regredi necessum est *oscillationes* morbidas.

Idem tibi veniet de *chronicis* judicium, sub quibus arcanæ *concretiones*, *glandulæ*, *tubercula* quæ viscera infestant, *artuum lassitudines*, vomendi cupidines aut nauseæ, evacuationum eclypses aut defectus, *tonicorum* conaminum, ceu naturæ laborum non obscura argumenta sunt.

Igitur ad morborum ingenia faciunt fomitum distantiæ, variique caracteres, quos fingunt *solidorum* quibus morbi insident naturæ, & *fluidorum* quæ stagnant indoles. Fomites dicito seu focos morborum, illa viscerum loca in quæ cadunt primi morborum insultus, quæ ut fuerint plùs minùs nervicea, plùsque aut minùs altè condita, ociùs aut seriùs quæ conceperunt mala manifestant; accedente *fluidorum* conditione, quæ si sanguinalia fuerint, cum emoveri sint faciliora, citiùs & manifestius lædi se significant; secus si *lymphatica*, quæ ut tardigrada sunt aut ad motum inertia, sua serius proferunt vitia, aut tardiora dant læsionum signa. Ad horum normam si quæsieris causas propter quas sub his aut illis morbis adminiculantem obscurius aut apertius videas naturam, eas revelabunt quæ hic delibantur ex partium textu & humorum indole deductæ rationes.

Insuper, conantis naturæ nisus ut intelligas melius, memineris non eò semper tendere illos ut manifesti aliquid edant aut manifestè excernant aliquid; quasi sub morbis, (quod medicinæ peccatum vulgare est) circà humoris alicujus quem morbidum vocitant, evacuationem molendam natura unicè occuparetur: frequentissimè secùs est, ut enim in inordinatione solâ non ratò consistit morbus, in ordine restituendo versetur sæpissimè medicina. Exemplo sit *hysterica passio* quam in sanis aliundè mulieribus subitò creat odor, ira, mœror; his ex causis inductæ partibus *ataxiæ* sanguinis circuitum disturbant, hac illacque pulsi aufugere tentant succi, eò versus potissimum contendentes ubi minus resistentiæ sentiunt; sed majora erunt vasa, quæ cum diduci faciliora sint aut dilatari, remeantibus succis vasis paratiora aperiunt hospitia. De *nervorum lympha* idem erit, ut illius *undulationes* plus obicis inveniunt & spatii minus in extremis nervorum quam in illorum caudice, in pectore & cæteris supernis partibus exercebuntur *hysterici* insultus; at ut ut sit, iunuunt sic evagantes humores unicam medentis curam, quâ suâ à fugâ revocentur, suisque cum locis, tum circuitibus restituantur.

Imò si contigerit, ut abreptis sic humoribus, horum aliquis sit qui manifestæ & ordinariæ secretioni naturâ suâ debitus, aliò evagetur, altera venit medentis cura, ne præcipitantiâ, temeritate aut inconsiderantia, naturæ mutet *directiones*, & consilia, attentando per *alvum* evocare, qui per *diaphoresin*, *urinas*, *sputa*, &c. eliminati fuerunt, aut ad partem cogere eos & determinare qui ad aliam affectant viam, ad *cutem*, verbi causa, qui ad *alvum*, ad *alvum* qui ad *uterum*, &c. ibant; sua sic naturæ jura servando, qua inconsulta, tam infesta cedunt quam infausta medentis faciuora. Est interim, ubi medico audendum est, ut in consiliis ausum sit oportet, non in operibus, quodque sapientiæ est, usus fructus sit, non opus temeritatis. His conditionibus, suâ ab orbitâ evagantibus succis, a suisque *secretoriis* depulsis, calles alios & exceptoria alia sufficiet medicus, sed ad debitas, quod *Hippocratis* medentium sapientissimi monitum est, *vergentias* illos derivando. Has edocebunt locorum, quò fe-

runtur dejecti humores, *enclimata* & devexitates, inflexus & posituræ, tum viarum facilitates, *secernendorum & secretoriorum* rationes, habitudines & naturæ, quæ omnia peregrinantes succos invitabunt. Documento sit impedita *transpiratio*; hinc reflexi non numerabiles succi viscera mergunt & cumulant vasa; hoc in casu prius erit medentis consilium non incompertis artibus ad cutem eos reducendi, quibus intereà elusis, si eò usque pertigerint, ut propriis relictis a tergo & oblitis *secretoriis*, publica versus abdominis *secretoria*, *stomachum* nempè, *renes* aut *alvum* se contulerint, his dextras dabit medicus, eoque *vergentes* illos ducet feliciter. Reipsa, congeneres succi sunt aut *analogi*, tum qui per *transpirationem* amandantur, tum qui per intestina & renes excernuntur, de serosi laticis prosapia, qui sua sibi singula commodare possunt *secretoriæ*. Ea de causa tam infelicia eorum tentamina sunt qui *hæmorrhoidum & mensium* morbis medentes, sanguinales illorum succos ad alvum aut diaphoresin transferre audent, ut enim affinitatis aut similitudinis est nihil sanguinis inter & *lymphæ secretoria*, *miscent quadrata rotundis*, ineptos aut inconciunos humores ad *secretoria* trudendo quæ illos abhorrent.

Itaque sub morbis exleges esse succos opinari, errori litare est; ordinis enim legibus tam obnoxia corporis œconomia, ut vel suis in erroribus ordinetur; ut enim non sic labefactantur functiones, ut omnes insimul violentur partium rationes & consentus, quantumlibet alicubi vitiata videatur harmonia, integra alibi supereſt; sed hic vigent adhuc naturæ leges, quæ regredientes ad se humores aut ad illorum remittunt sedes, aut intra se admittentes, suarum vi motus legum elaborant, viarum suarum *directionibus* regunt, tritusque & collisionum rationibus suum ad ingenium mutant, conficiunt, cicurant, verbo, suis subjiciunt legibus, directionibus mancipant, pronitatibus & posituris.

Ut ergò suæ sunt *reflexionum & refractionum* regulæ, variantes pro missilis impulsu, impetu, distantiis, illapsu, quibus ad *perpendiculum* propius accedit aut longius, huc quoque faciente *mediorum* ceu interjacentium objectorum conditione; similiter repulsorum a suis sedibus succorum ordinata sunt itinera, tempora, spatia, quæ tardius aut celerius illi emetiuntur, pro vario partium ad quas repelluntur *tono elatere*, repulsu, quarum vi & modulo triti tractativè repulsi succi brevius aut longius circulant, temporius aut tardius elaborantur, mitificantur, coquuntur. Hinc morbi spatiorum, temporumvè ordo regularis aut ordinata series, adeò ut solita sint *symptomata* a quibus inchoant morbi, ordinaria undè crescunt, in quibus consistunt, in quæ desinunt. In his omnibus sita est fida morborum historia, sic ut iisdem stipati symptomatis, sub eadem specie & vultu nobis se monstrent, ad quorum effigiem eos delinearunt medicinæ patres. Hinc *crisium* constantia cura tanta & fide illorum scriptis consignata, nusquam non commendata; imò commendabilis adhuc, ni cœpta naturæ inturbare, ejusque prætervertere fines sæculi nostri audentia fuisset aut ambitio. Inde dedecori artis & ægrorum damno periit medenti sagacitas augurandi *crises*, earumque *indices* dies definiendi; at insuper duraret adhuc, *parium & imparium* dierum observandorum doctrina Divino seni familiaris, atque comperta; si missis naturæ conaminibus, aut *tonicis* molimínibus oblitis, legum naturæ loco, insana *systematum* dogmata supplere non attentassent: at sua manet naturæ motus constantia, quos despicere potest superbæ mentis temeritas, obscurare non potest: æternæ sunt leges, a Creatore jussæ non solùm, at etiam partium *proportionibus*, posituris & rationibus affixæ, tandiù durabiles, quandiù durabit partium ordo, dispositio, *mechanismus*, quæ cum adhucdum perseverent, qualia primum condita sunt, sequitur easdem, quæ olim superstites esse motuum leges. Ampliùs, cum a mutatis partium *directio-*

ribus novis contingat tantum partes palam eſt, non corrumpi, proindeque ſupereſſe illis vim & *tendentiam* ad ſe redeundi, eodem ſenſu, quo coactus *elater* aut compreſſus laxari nititur: undè liquet, tam eſſe verum etiamnum perſeverare naturæ conamina, quàm verum eſt adhuc durare motuum leges. Ad has medicina reſipiſcens obſervando diſcet, ut dantur animalis œconomiæ ritus & regulæ, ſic ſuas eſſe morborum leges, quæ ut illic ita quoque hic conamina ſunt, in quibus conſiſtet non inutilis idea morbi. Enimverò annè utilior conceptus, quàm qui genuinas cauſarum illius notiones aperit? ſed ejuſmodi eſt idea morbi ex *tonicis* conaminibus deducta, quæ legitimam retegit tum morbidarum ſedem, tum ingenium; ſedem quam *ſolida* præbent; ingenium quòd prodit conaminis ratio, quæ cum in vi quadam conſiſtat, vividum aut actuoſum quid eſſe morbi cauſam edoceret; unde intelligere datur quàm longè abſint ab ea infirmitatis, imbecillitatis, frigiditatis, craſſaminis & humorum notiones, quas morbis tam ſæpè attribuunt, quaſi ab infirmatis aut fatiſcentibus aut debilitatis partium vel naturæ viribus fierent morbi, quorum ſecus haberi originem intelliget animalis œconomiæ rerum non ignarus, quarum in ſanis noviſſe rationes, in ægrotantibus illarum errores & vita reſcire eſt. In illis mollis *ſyſtalticæ* virtutis aut *undulantium* tacitè *oſcillationum* motio eſt ordinata, mitis, conſtans, regularis, verbo, modulationum *eurythmia*, in his *ſpaſmodicæ ſyſtalticæ* vis evibrationum hinc illinc arietantium impetus eſt aut ſtimulatio citata, tumultuaria, incondita, præceps, verbo, diſſonantia motuum, *ametria* tandem *arythmia*; adeo ut eo hinc dempto quod nimium & inordinatum eſt, ſuperſtes tibi fuerit vis illa naturalis, undè ſanitas. Hinc exurgit illa veritas medentis animo nunquam excutienda, eandem in radice vim illam eſſe, tum quæ ſub ſanitate *functiones* tuetur & ſervat, tum quæ ſub morbis eas reſtituit & emendat *ſymptomata*; quandoquidem aliud nihil *ſymptomata* ſint, quam errata *functionum* aut vitia. At verò ſi veritatis notaculum & caracter ſit ſimplicitas, profectò quam vera erit quæ hæc exponitur medicina! quæ in unico principio ſemel & ſimul oſtendit ſanitatis & morbi cauſas, vivendi & ſanandi rationes.

CAPUT VI.

Origines morborum & occaſiones.

FECIT præjudicata de humoribus opinio, ut inter medicinalis doctrinæ puncta relatum fuerit, juſſumque apud medicos aut acceptum, ibi morbidum accreviſſe humorem ubi fuerit morbus, quem proindè *entis novi* nomine deſignatum inveniens; at ſecus iis penès quos corporis rerum accuratior ſcientia facta eſt, qui bene conſcii, *entis* nihil habere ſanitatem, quam corporis *modificationem* eſſe compererunt, ſub qua ordinatæ ſunt illius functiones, vice verſa de morbo quoque didicerunt nihil aliud eſſe quam corporis affectionem, ſub qua inordinatæ ſunt illius functiones: modus ergò eſt morbus, non *ens*; ſed ut ad non eductionem non requiritur cauſa materialis quæ in effectum ſuum rei aliquid influere ſuevit, *non entis* cauſa erit occaſio, rerum nempè, locorum, temporumvè caſus, concurſus, objectus, quibus datis altera venit rebus ſeries, ordo novus, diſpoſitus alter; hanc ob rationem in exponendis hic aut indagandis morborum originibus, earum quæremus occaſiones, non dabimus cauſas. Et revera, ſub idea morbi contineri motus alicujus augmentum ſtatutum modò eſt, undè ſequitur eaſdem quæ motuum morborum eſſe origines,

cum

cum motus *communicationes* ſint morbi; motuum autem origines ſunt corporum occaſione facti corporum alliſus, affrictus & impulſus, motus edunt multiplices: ſimiliter rerum fiunt occurſus cum corporis *fluidis & ſolidis* partibus quorum occaſione alliſus & affrictus facti, naturales motus augent mutantque & multiformes dant morbos, *fluidis & ſolidis* modos inducendos alios ab iis quibuſcum nata ſunt: at motuum modi quibuſcum nata ſunt *ſyſtaltici* ſunt & *oſcillatorii*; *oſcillationum* ergo, proindequè *elateris* geminatio erit & immutatio morbus; undè morborum origines ei inveniſſe erit, cui corporis partium *elateris* augendi pervertendique rationes, modos & occaſiones reperire conceſſum erit. At quàm in lubrico eſt *elateris* illius ſtatus! qui *æquilibrii* ſtatus eſt a *momento* pendens, quod accedens decedenſvè omnem illam perdet æquabilitatem; in proclivi autem eſt acceſſio iſthæc, aut deceſſio; quantùm enim difficile eſt *elaterem* emoveri, dum in otio vel quiete ſua eſt, tantum emoveri facile eſt aut tendi ulteriùs illi, qui tendi jam cœpit & moveri non ſolùm, verùm & qui jugi agitatur motu, quæ *elateris* partium corporis conditio eſt, adulti potiſſimùm, in quo cum fibræ menſuram ſuam attigerunt ſimul & habent perfectam *oſcillandi* vim, eo ipſo illarum ſingulæ ſuum adeptæ *tonum*, *oſcillatorio* motui pares evadunt & æquilibritati; ſimul inſtabilitati dices, quandoquidem quò magis æquamenti particeps res eſt, eò faciliùs ad inæqualitatem propendet, talique æquilibritatis motui occaſiuncula quælibet offendiculo eſt. Inde auguraberis & deduces mille morborum occaſiones, totuplices nempè quotuplicia ſunt corpori circumjacentia, ampliùs quot illius vaſis, viſceribus, medullis condita ſunt; his enim inimicantur etiam domeſtici illorum ſucci aut tumultuaria indole aut ſeditioſa. Huic cautum fuit locorum anguſtiis, quibus preſſim coerciti ſuis tubulis ſucci a motu arcentur; adde ſanguinem *organicum* quid eſſe, tantùm artis inter rubram illius & albam partem intercedere vides! tantùmque animadvertis in ſanguinis fibrâ mechaniſmum! poſthac fidemnè inveni's tanta cum ordinatione convenire turbas aut tumultus? mancipatum ſapit meliùs ejuſmodi coactus aut incluſio, & rèverâ, quidquid motus obtinent ſucci, precariò tenent a *ſolidis* undè venit quidquid habent culpæ; ut enim nutu *ſolidarum* & arbitratu *fluida* reguntur, eorumdem aguntur turbis, ut potè quorum errata luunt, in ſe recipiunt pecamina. Eà de causâ quæcunque ſe dant morborum occaſiones, *ſolidis* invident, quæ laceſſita primùm famulantia ſibi *fluida*, in pugnæ partem trahunt, coguntque belligerare.

Hoc ut palam fiat, memineris morbum eſſe motus genus, cum genus conaminis ſit morbus, undè ibi morbi ſedem poni convenit, ubi eſt motus ſedes; ut ab eo ortum morbi repetas, a quo ducis motus originem. Igitur eas omnes ob cauſas ratione quarum motus principium eſſe *ſolida* hactenus ſtatutum eſt, has ob eaſdem a *ſolidis* oriri morbos conſequitur. Sed hùc quoque facit *ſolidorum* poſitus & ingenium, poſitus quidem, *fluidorum*, namque involucra ubique ſunt, inſultibus ergò & injuriis primum objecta; ingenium autem, tantâ enim aliunde teneritudine nata ſunt, ut ad hoſtilis autæ levioribus occurſum contremiſcant; nunquid non enim tremoris ſpecies eſt à parte læsâ *undulando* remeans *oſcillatio*? quibus ſi addas non numerabiles nervorum ramos, nec numeranda magis eorum nexus & commercia cum omnibus *ſolidis* corporis partibus quæ nervis inſternuntur, corporantur, animantur, intelliges *ſolida* eſſe ſimul & primas ſi inſultum ſpectes, & unicas ſi *energiam*, morborum origines. Itaque undelibet prodeant occaſiones morborum, *ſolida* ſunt, quæ invaduntur primùm, ut pote cùm ea ſint quæ adversùs id omne quod inimicum ſibi aut hoſtile eſt primùm inſurgunt; undè occaſio morbi id omne erit quod *ſolidis* adverſabitur, origo verò conamen *tonicum* quo *ſolida* inſurgunt in hoſtem. At ve-

rò

rò *ſolidis* quod adverſatur, id omne eſt quod illorum motui impedimento eſt, obici aut ſtimulo, cumque *ſyſtalticus* ſit aut preſſiorius *ſolidorum* motus, illi adveniunt, ſervanturque nativi vaſorum *diametri* aut nativæ capacitates, igitur in immutatis vaſorum *diametris* aut capacitatibus imminutis petenda erit morborum originum pars maxima. Revera hinc tardato *fluidorum* motu, quæ ſtrictiores factos canales permeant difficiliùs, preſſioni illorum aut *ſyſtoli* ſit reſiſtentia, in quam nitendo vaſorum *elater* iterat ictus & *oſcillationes* frequentat; illinc a vaſorum impedimento refluentes qui ad ſolitas ſibi vias appellebant ſucci, aliò ſuos dirigunt paſſus, hinc ſanguinis circuituum mutatæ directiones, à quibus corporis malorum origines, tam multiplicium ſympotamum denſa caterva. Poſthac cauſarum morborum nominibus venient, non vitioſi aut degeneres multiplices ſucci, ſed ſuccorum degeneres aut vitioſi ſitus multiplices, ſub quibus corrupti minùs quam diſconvenientes humores facti, a ſtrictioribus vaſorum diametris reſpuuntur, his autem occaſionibus. Intùs creata cumulati ſanguinis quantitas, ſolitis vaſorum quæ circulando permeanda habet diametris majorem intrudendo molem, obicem ponit, tunc oppletæ nimis vaſorum capacitates, horum ſyſtoli impedimento ſunt, hujuſque occaſione repetiti ingurgitatarum partium niſus, aut exaſperata *tonica* conamina in hærentes ſuccos irata, inſurgunt; hinc a *plethora* morbi, qui tam multi ſunt, ut pote cum tam frequentes ſint qui ab alicubi facta ſanguinis *ſtaſi* enaſci ſolent: aut extrinſecùs adveniens aliquid inimicum (qualis erit frigidioris, ſiccioris aut aliter intemperati aeris ſenſus) quod cutem denſet aut exaſperet, illicò oſcillorum aut ſpiraminum, quibus tam crebrò cutis foratur; occluduntur exitus, quod in confeſſo eſt; inſuper illius quæ per *tranſpirationem* difflanda erat materiæ retroceſſio fit, quod adhuc conceditur; at exinde emergit futuri occaſio morbi, vaſorum enim quæ indè fit aſtrictio luctam inchoat, qua ſtimulata *ſolida* in *fluida* nitantur, ut quas retrocedendo *fluida* conceperunt *ſtaſes*, terendo & oſcillando crebriùs *ſolida* eluctentur. Intereà, utrobique videas occaſiones morborum & origines poni in violatis *ſolidorum & fluidorum* mutuis rationibus & poſituris, id eſt, in perdito utrorumque æquilibrio. Annè enaſcente quodam morbido ſucco, aut facta entis novi acceſſione? imò verò inducta ſolùm modificatione nova aut facta tantum partium habitudinis mutatione, qua pereunte *ſolida* inter & *fluida* æquabili ordinatione, invertitur in *ſolidis* organica vis, in *fluidiſque* ceſſant motuum obſequia, quod univerſam peſſundari eſt corporis œconomiam: ut ut ſit quidquid virtutis aut energiæ eſt in occaſionibus morborum aut originibus, id omne ad *ſolida* pertinet, unde manat tota *tonicorum* conaminum vis, in qua una conſiſtit morbi notio, fluida manente tantùm obſequio, quo *ſolidorum* potentiis obſecundent.

Alia datur, heu frequens nimium! morborum occaſio, quæ ex animi ægritudinibus aut *pathematis* eruitur; quæ cum ad ſpirituum *ataxias*, ut loqui amabant, ſpectet, originum morborum rationes aut naturam revelant; hinc enim liquet quantæ ſint efficientiæ nervi in producendis morbis, qui cum maxima ex parte ab animi *pathematis* oriantur, palam ſit nervorum culpa committi morborum maximam partem; atqui in nervis *ſolida* conſiſtunt, in *ſolidis* ergò poni morborum origines adhuc conſequentia. Illud *melancholicum* eſt, quod difficilioribus morbis ſubeſſe obſervavit *divinus ſenex*, cæcus, in eſt, *ſpaſmus*, qui latenter ſtringendo viſcerum, horumque *ſecretoriorum* fibras aut nervos, vaſorum *diametros* cogit, ſecretionum *directiones* invertit, ſuccorumque ingenia mutat, undè *melancholicorum*, *chronicorum morborum* & omnium qui *Achillei* vocantur, difficultates, tædia, moroſitates, quibus abblanditi tutius ſæpè eſt aut

ſapien-

ſapientius, quam obſiſtere, ut pote cum domari reſpuant, ament demulceri. Porrò rationem qua in nervos aut *ſolida* agunt *animi pathemata* aperit illa ſui diſplicentia, in qua verſatur animus mœrens. Mœror enim, qui in exemplum veniet, animæ ſtatus aut conditio eſt, ſub qua ſtringentes ſe *nerveæ* corporis fibræ, & ad infenſæ rei ſenſum horreſcentes; ab *oſcillationum* ſerie nativa aut ordine ſolito declinant; hac de cauſa animam habebis vigilem veluti corporis cuſtodem, nutibus cujus de rerum circumambientium ſtatu admonetur; tergeminus enim in homine conſenſus eſt, corporis nimirum, animæ & externarum rerum; Creatoris legum vi inſtitutus, quæ proportionum & convenientiarum virtus eſt, qua ſtante durantevè lætus ac ſibi placens animus, quem ex externis rebus percipit conſenſum tranſmittit ad corpus, perceptionum communionis & ſenſationum lege, qua poſito mentis in externis rebus ſibi complacentis aſſenſu, nihil diffidens corpus in ſe conquieſcit, partium ſuarum *toni*, oſcillationum & directionum tenax: ſecus erit, ſi ab ingratis rebus externis, quales ſunt injucundæ, triſtes aut nocituræ, moleſtè affi[illegible]atur animus, corpus enim ex animi offenſa ſentiens hunc inter & externas res natas eſſe repugnantias aut facta fuiſſet diſſidia, ideoque ruptum fœdus eſſe has inter & illum proportionum aut ordinis legum, ab ordine ipſummet diſcedit; in quantùm enim ab externis mutatur animæ reſpectus ad externas res, in tantùm violatur diſpoſitura corporis ad animam aut ordinatio; undè quæ ex tergemino concentu alebatur illius *eutonia* ruit aut labitur. Hinc *oſcillationum* vitia, directionum errata, *ſecretionum* peccaminæ, a labefactato nempe corporis & animæ rerum, rationum, reſpectuum & ordinationum æquamento: adeò æquilibrii leges, leges ſunt ſanitatis! Cæterum in nullo apertius quam in toto hoc animi ægritudinum negotio originum & occaſionum morborum rationes ſe produnt, illinc in rerum externarum moleſtiis, quæ ægritudinis animæ occaſioni ſunt, hinc in ægritudine animæ quæ nervorum oſcillationibus & directionibus oſcillationum occaſioni eſt erroris; ex hoc autem diſconveniente commenſuum reſponſu, diſſonans ſit partium *tonus*, undè morborum origines, in nervis enim oſcillandi rythmus, in anima perceptiones, in utriuſque reſpectus mutantur; in quibus habes diſcolorum quæ melancholicos deformant morbos ſymptomatum rationes.

Ad hanc normam ſi expenderis morborum quorumlibet ortus & nativitates, nullum invenies quem commiſcerit ſuccus aliquis aſcititius, aut ex aliqua corruptela recens emerſus; quiſquis enim ille fuerit, tituli cujuſcunque coloris aut nominis, natura ſua laudabilis eſt, morbidus ideò factus, quia a patriis ſuis ſedibus exul, id eſt a propriis viſceribus aut *ſecretoriis* dejectus, quas a natura acceperat hujus vel illius *functionis* aut *ſecretionis* gratia exercendas energias, aliò tranſtulit aut ad alia viſcera, quæ cum alterius nata ſint uſus, inconcinna proinde ſunt, huicque adoptando ſucco inepta, qua ineptitudine extraneus, peregrinus, degener, morbiduſque ille evadit. Unde intelligere eſt noxium non eſſe illum ſuccum, quod hujus vel illius ſaporis ſit, quod hujus vel illius humoris, *bilis*, *pituitæ*, *ſeri* particeps ſit, at verò quod hunc vel illum ſaporem, illum vel hunc humorem aliò quam decebat tranſvexit. Rerum, locorum diſſimilitudines ſic oriuntur, quæ in eorum quæ ſecutura ſunt malorum, occaſiones evadunt, undè moleſtatæ partes in quas inſiliit humor extraneus, toto quo pollent elatere inſurgunt, annè ut humorem cieurent, coquant, aut foras eliminent? & hic fortè erit laboris earum fructus, ſed ut in omnibus ſimplex natura eſt, illius conſilium & finis proprius erit dejectos & delirantes a ſuis ſedibus ſuccos, ſuis ſingulos ſecretoriis reddendi, ſic ut quoſcumque moveat tumultus, niſus & conamina ſint, quibus evagantes humores ad ſua ſingulos *ſecretoria* cogat. Porrò in his conaminibus animadvertere eſt morbo-

rum

rum originem, primum nempè morbidæ animalis œconomiæ punctum, undè ortum ducit, quod ipsissimum est momentum in quo tueri se suscipit natura.

At verò humoris nihilumnè erit, quod in morbi causam admittas? id enim suaderet isthæc potentiæ summa, quæ *solidis* in producendis morbis attribuitur. Quæstionem dirimit causæ nominis acceptio genuina aut non insincera notio, In morbi causam hùc venit illud unum, quod morbi effectivum est, illius nimirum conaminis author, quo expedire se natura nititur ab eo, quod functionum suarum integritati inimicatur; illud autem *elateris* labor aut opus est, *solidorum* ergò vi, energiæ aut effectioni proprium, ea tamen conditione, *solidorum* vim omnem exercendam venire in *fluida*, quibus suum in ordinem, locum, situm, directionemque redigendis allaborant. Ad *fluidorum crasin* restituendam spectare *solidorum* laborem suspicaretur medentium vulgus, at ut *crasi* suæ restitui *fluida* nequeunt, quandiù extrà proprios lares, ceu intra peregrina viscera hospitantur, *solidorum* cura prima erit redintegradi *fluida* intra nativa illorum exceptoria, de reduce *crasi* aliundè securorum, simul atque suis reddita erunt *secretoriis* aut officinis, ubi propriis & aptatis sibi *oscillationum* aut tritus energiis subjecta, dicatam sibi crasin recuperabunt aut ingenia.

Verùm quam parum efficiendo morbis *fluida* contribuunt, in iis edendis tam multum patiendo valent; licet enim in se non habeant, unde animalis œconomiæ motuum authores aut causæ sint, in promptu illis est, undè motibus illis offensæ sint; *fluidorum* enim gratia concinnantur *solida*, ac quorum rationes, respectus, mensuras, proportiones, habitudines texuntur, flectuntur, comparanturvè; duris adeò conditionibus aut eo legum imperio, ut si aliquandò delinquentia aut repugnantia sibi leviter *solida* offendant, turbis mille aut tumultibus occasioni sint; unde liquet, si motuum causæ remotissimæ *fluida* sunt & invalidæ, illorum ordinationis occasiones validissimas esse & proximas. Enimverò quantùm *solidis* obsequibilia *fluida* sint oportet, *fluidis* flexibilia tantùm esse *solida* necesse est; ut autem illa quæ ad *fluida* est *solidorum* ratio commensus est ultrà quem progredi his ægrè datur, ad libitum *fluidorum* pandi dilatarivè *solidis* non licebit; interim *fluidis* venit ea moles, pondus aut impetus, ad quorum rationes, modos aut mensuras fingere se aut accommodari nequeunt diametri vasorum, hincque *resistentiæ*, obices & repagula, quæ dum eluctari *solida* nituntur, morbidas mille molestias creant, quosque indè venturos morbos non faciunt, accersunt saltem. Aliundè ultrà fidem est, quot inter discrimina versari soleant *fluida*, sub quibus ut massæ plus, ita plus ponderis aut impetùs acquirere possunt, quorum omnium instar erunt *lymphæ* circuitus errata, undè densatur sanguis, impeditur, cogitur, solidaturvè in dies his de causis. Palam est, quam ampla manat succi *lymphatici* seges a ciborum ingluvie, qua mersus sanguinis in eum eluxuriatur succum, cui ut lentescere in proclivi est, sic massæ plurimùm & ponderis facere sibi suevit, maximè si subactus malè tritus aut inabsolutus tardigradus factus sit, aut si ex actuosioribus particulis conflatus *elateris* nimirùm contraxerit. At tamen aliundè scaturit adhuc *lymphæ* proventus uberior, undè major accrescit sanguini moles, & massæ illius gravitas major. Ordinarium *lymphæ* reconditorium habentur aut promptuarium commune corporis universi vasorum capillamenta, quorum oscillis dum assiduè ros exudat, quem lambunt *lymphaticæ venæ*, immensam in venas sanguinales exonerant aut revehunt *lymphaticis* laticis copiam; hinc sanguinis mulcedo, necessariumvè purpuratæ illius ceu rotatoriæ portionis pabulum, quandiù mutis & æquabilis fuerit circuitus *lymphæ* redux; secus, si fortiori

facto

facto partium *elatere*, vegetior evadat preſſus illarum, qui *lympham* reducem cogendo premendoque nimium, ſpiſſioris, gravioriſque ſucci copia ſanguinem cumulat; undè albicans & coriacea illa ſuperficies, qua plurimis ſub morbis denſe ſimul & durè veſtitum ſanguinem vides. Hinc remotæ ſanguinis & tardirates, in quas nitendo vaſorum *elater* aut *tonica* partium molimina *oſcillationes* edunt crebriores quidem ſed impotentiores, multùm enim nitendo enituntur nihil, aut parum adeò, ut inexpedita vaſa cumulataque ſuccis, *ſtaſi*, *ſtagnationibus*, infarctui, inflammationi & *apoſtaſibus* mille ſuppeditent materies infauſtaſque trahant morborum reliquias. Tertia datur intra vaſa *lymphatici* laticis ſcaturigo, ubi videlicet ordinario licet & neceſſario chyli commeatu redintegrata ſanguinis moles, illo abripitur circulationis impetu, ut illam portionis albæ partem auferendo ſecum, quam ſurgere debuiſſent laterales *arteriæ lymphaticæ*, in ſe condat totam, & in unis ſanguinalibus arteriis coacervatam retineat; ſucci præterlapſus eſt a conſtrictis præter morem *lymphaticarum arteriarum diametris* factus, qui *ſpaſmodicè* affecti a ſuo cum præterfluente ſucco commenſu receſſerunt: adeò tamen ut quamvis arctatæ quoque ſint vaſorum ſanguinalium capacitates, quod his ſupererit ſpatium longè majus fuerit, eo quo donari ſueverunt *lymphaticæ arteriæ*, undè id omne quod hæ reſpuerint facilè admittere queant ſanguinales. Sed hic quoque proportionum aut æquilibritatis vitium habes, quò peſſumdatis cum ſanguinalibus *lymphaticarum arteriarum* rationibus, in ſuccorum diſtributionibus error fit & confuſio, id committente mali *ſpaſmodico* illarum ſtimulo, quo percita *ſyſtole* ſanguineæ molis curſum ſic accelerat in vaſis majoribus, ut minora quæ lateralia ſunt ſuo præterfluentium ſuccorum demenſo defraudet.

Hinc depurgandi ſanguinis defectus, tritum illud ore omnium ſanguinis vitium, quod obtrudunt omnes, quod autem interpretari paucis datum eſt, tam longè a mentibus abeſt impurati ſanguinis notio legitima. Corruptelas mille imaginantur, quibus ſordidari vaſa prætendunt, dum ſanguinem conſpurcari eſt indebitis aut non pertinentibus ſuccis, qui nempè alio pertinebant, illum cumulari. Humorum enim ſuis è locis depulſio, corporis immundities eſt, ut pote cujus inordinatione nitor eſt, in ejuſmodi nempe diſpoſitura, qua qui ad *ſecretionem* ad *ſecretionem*, qui ad *excretionem* ad *excretionem* abeant humores, ſua quique ad *ſecretoria*, impetu proprio & juxtà proprias *directiones*: quæ omnia ſi ſerventur, ſua cuique ſucco ſimul *craſi* alitur, ſanguiniſque univerſæ moli ſua aſſeritur ſors, conditura ſua, ſua compages; ſecus *miſcebuntur quadrata rotundis*, id eſt, diſparatorum mixtio fiet aut compactura, rerum quæ revera nec adverſariæ ſunt nec improbæ, ſed quæ inopportunæ ſunt, ut perperam aſſociatæ, *quadratorum* inſtar, quæ ut ut concinnitati rerum ſerviunt, ſi ſuis aptantur locis & parilibus ſibi adunantur, earumdem rerum deformitati erunt, ſi diſparilibus apponantur. At quam portentoſa diſparilitas erit ſuccorum qui cum diſſociationi nati erant, & ad diverſa loca deſtinati, in unum confluunt, in quantum enim boni fuerint illi ſingulares ſucci, ſi ſuas ſinguli ſtationes ſervaverint, in tantùm fient improbi, ſi ſua miſcentes inter ſe officia mutuò ſibi incommodent. Quod enim evenit iis rebus quæ limpidæ factæ ſint, quas obnubilat quidquid extranei iis admiſcetur, etiamſi gemmis & auro extraneum illud foret æſtimabilius, ſimiliter ſanguinem fœdat quidquid *homocomitiæ* illius adverſatur, ceu partium illius parilitati, qua ſibi pondere, numero & menſura in quibus natæ ſunt conſentientes, in unum ergà *ſolidas* partes obſequium conſpirant, ut hærendo nullibi aut arietando circulationis æquamento nullam objiciant offenſam.

Juxtà hujus conceptus vim ſanguinis ſpurcities eſt ſuccorum illius contur-

batio, ab admixtis ſuccis aut intra vaſa compreſſis, aut à partibus quibus deſtinabantur in vaſa refluentibus : igitur appellens chylus intra vaſa diſtribui ceſſet, pingui ſucco cumulabitur ſanguis non tantùm, inſuper ſuccorum reliquiis, quæ univerſali ſanguinis circulatione peracta per cutis peripheriam abundè expiraſſent, abundantius redundabit. *Cacochymiæ* genus eſt ceu nutritiorum ſuccorum colluvies, undè malè fartus ſanguis inconcinnè cumulatur, pinſitur inconditè, eraſſe compingitur. Hinc impuritates, quarum vim, pondus & incommoda ſub morbis ſentiunt medentes, rationes autem & cauſas aperit una animalis œconomiæ ſcientia, meliùs ſuccorum circuitus æquabilis aut illorum non iniquæ diribitionis cognitio. Quid enim liquoris alicujus impuritiam ſapit magis, quam ſuccorum alienorum admiſtio, qui ſaporis, coloris aut ingenii alterius fuerunt, *craſin* illius turbabunt aut corrumpent? caſus aut conditio eſt ſanguinis ſuppreſſis ſuccis improbè ſaturati, materies enim *ſecretionum* ſunt, quæ aut peregrinorum ſaporum ſeminibus ſanguinem imbuendo mille malorum ponent rudimenta, aut molecularum ſanguinis maſſam, pondus & reſiſtentias augendo, circulationis mutabunt velocitates, impetus, directiones, determinationes. Prætereà, ſi cogites ſuccorum illorum partem non minimam elaſticis, vividis aut actuoſis particulis fetam eſſe, quot indè emerſuros igniculos auguraberis, aut non numerandos *oſcillationum* fomites? tot enim elaterum quaſi micæ ſunt *fluidis* immerſæ, quarum compreſſu occurſuvè reſiliendo *ſolida*, ictibus mille concertant, enitendo in ſuccos ſanguini peregrinos, quos ſuis ſingulos *ſecretoriis* reſtituere conantur. Hæc corporis impuritatum ut ratio, ingenium quoque eſt, undè ut plurimorum morborum æſtimabis origines, ita & occaſiones venaberis, ſic enim ab admixtis alienigenis ſuccis alienata *fluidorum craſi*, a naturali rythmo alienabuntur partium *oſcillationes*, a quibus mutatis trituræ modis, coctionum rationes mutabuntur, ſicque inducta nutrica bilis ſuccis aliena forma, animalis œconomiæ ſimul & ſanitatis mutabitur facies. Hinc eorum qui *humorales* dicuntur morborum ſcaturigo; indidem quoque aliorum quos ſpiritibus aut nervis imputabis: verbo hæc tibi veniet utriuſque *fluidorum* nempè & *ſolidorum* familiæ morborum origo. De *fluidorum* morbis obſcurum non eſt, de *ſolidorum* affectionibus nec ambiguum, horum enim *diametris*, illorum quantitatibus ni perditis, mutatis ſaltem, allucinationum erratorumvè *ſecretionibus* genera mille naſcentur, undè tot morbi quot rerum vultus erunt, tot ſymptomatum genera, quot vitia functionum aut ſuccorum adulteria.

At verò ſi memineris feriari nuſquam, nec otiari *ſolidorum* virtutes, quibus *fluida* continentur, intelligere erit inſitam partibus illis potentiam, quæ cumulatam illarum gremio ſuccorum congeriem jugiter agitabit, quæ cum *elaſtica* ſit, preſſoria erit: igitur ſub ejuſmodi pondere gementes illæ partes, ſtagnantes ſuccos aſſiduè cogunt, premunt, liquantvè, undè deduces irriguos undique *colliquationum*, fontes, ſub iis morbis ſcatentes qui ab impurato ſanguine fiunt; fœdæ enim eliquaminum egeries ſunt indubia ſorditati ſanguinis argumenta, aut inopportunis ſuccis impediti, quos cum regere nequeat natura, nauſeando ſaltem undequaque eructat. Interim ſi univerſales ſunt univerſæ ſanguinis maſſæ impuritates, particulares quoque erunt particularium viſcerum ſordities, ea autem ratione. Sua ſingulis viſceribus data eſt propria *dunamis*, aut *antelater* prius, quo ſimul & demandato ſibi præparando ſucco allaborant & perennandæ propriæ ſibi circulationi præficiuntur; quibus officiis ſi defuerint, in ſuccos graviter peccari obſervatur. Hinc ſingula videas viſcera quæ ſuccorum ſuorum *ſtaſis* occupat, humorem aliquem plorantia, undè ſanguinis circuitum tardari illic aut elanguere ſubodorantur medentes. Exemplo ſit oculus, ſi *ophtalmia* occupet madidum lacrymis aut lippitudine ſordidatum videbis; idipſum offert

aut

aut oſtendit veſica, quæ urinas muco aut *puriformi* ſucco ſordidatas exhibet, ubi *ſtrangurîa* laboraverit, qui nihil ſunt aliud quam nutricalium veſicæ ſuccorum ejectus, quod glandulæ illius ſtagnante lympha male ſaturatæ expuunt; commune enim membranacearum partium vitium eſt, quæ ſi reſtagnaverint reſidibus ſuccis, viſcos, glutina, *lymphas* & phlegmata egurgitant, atteſtante ſtomacho qui ſtupendum quantos nauſeando eructet ſuccos! teſtibus adhuc narium membranis, quæ ſub *coryza* totæ diſtillunt *lympha*. Hic ex exemplis in conſpectum animo veniunt eliquationum rationes quæ *ptyaliſmi*, ſputaminum, dejectionumvè forma ſe produnt, oris enim, faucium, pulmonum, inteſtinorumvè membranarum ejectamina ſunt; at coronidis loco erit *fluoris albi* portentoſa colluvies in quam perditè eluxuriatur uterus, ſic ut non aliundè duces impurati ſanguinis argumentum luculentius.

Iſthæc ut ut fœda ſunt & tædioſa humorum eliquamina, in bonis tamen ducuntur iis comparata malis quæ ſuccedunt ſi ſtagnantes ſucci in eas incidant partes, quarum cæca ſunt ſpiramina, paratis effugiis aliundè deſtitutas, quibus ab illa qua premuntur ſuccorum *ſtaſi* expediant. Status aut conditio eſt *glandularum* quas *conglobatas* dicunt, quæ ſi impuratis aut adulteratis ſuccis ingurgitentur, mille incommodis ægrotantem objiciunt, non habentes qua citò ſe exonerent. Hinc *ſcirrhi*, *ſtrumæ*, *carcinomata*, *tubercula*, ſimileſque glandularum dolores, durities, tumores, ſolitæque impuritatum ſanguinis aſpergines. Enimverò quidquid valoris aut pretii habet *lympha* in œconomiæ animalis regimine, id omne limpiditatis titulo tenet; *lympha* autem ab impuratis ſanguineæ maſſæ fontibus profecta, ad glandulas obnubilata venit, ibique à ſua levitate deſciſcens & facta gravis, circulationi obicem ponit: hinc infarctus primordia, qui cùm intra partes maximè *nerveas* concipiatur, doloribus primò facit initia; ſed inſuper cum (à ſanguine hac ratione diſſimilis) *lympha* abſcedat nuſquam, ut potè cum ſanguis partibus impeditus & hærens in pus abeundo miteſcat & eliquetur, tardando *lympha*, aceſcendo ſævit; hinc ominaberis *glandularum* morborum, *ſtrumarum*, *carcinomatum*que rationes, cauſas aut origines. Primò ſe ſiſtit *lymphæ* circuitus impedimentum, in quo habes communem omnium morborum radicem, quæ in ſuccorum circulantium tardato motu conſiſtit; at ulteriùs huc veniunt & ſucci tardati indoles & partium circumſepientium natura, id eſt, propria *fluidorum & ſolidorum* ingenia, quæ collata ſimul, quidquid arcani habent glandularum morbi declarant. Hinc nempè collata indoles ſucci calore non miteſcentis, ſed quiete aut *ſtaſi* exaſperantis ſe, inobſequibiliſque non tantùm aut impatientis vinci, at inſuper recalcitrare geſtientis aut reſilire; quæ lymphatici *glandularum* ſucci conditio eſt, qui, qua benè habente ſe *elaſtica* partium ratione *glandularum* ſervit denſitati, eadem degenere facta harum *fibris ſpaſmodicè* dilatandis, diſtendendiſvè inſervit: illinc collata locorum natura, ſtaminum ſcilicet glandulari, quæ ut potè exſanguia & ut liquuntur *ſpermatica*, tota in *elatere* conſiſtunt; poſthàc hinc illinc comparatis ſuccorum & partium putreſcentium aut eliqueſcentium difficile conditionibus, perpenſiſvè utrinque *elaterum* viribus, intelligere eſt lancinationum, eroſionum, ſimiliumque dolorum tyrannidis illius potentias, quibus ſævire ſolent *glandularum* morbi.

Serpit adhuc penitiùs *lymphaticis* ſuccis impurati ſanguinis labes, ut potè cujus vitium capiat nervorum *lympha*; hæc aura quidem eſt incorporea fermè, tam aerea & levis eſt! materialis tamen, exit enim è materiæ fundo, cujus ingenia refert, & naturas ſapit; affrictam putabis *ſalinis*, *acribus* aut *ſulphureis miaſmatis*, quæ ab impurato ſanguine contraxerit? aut particulis imbutam crepitantibus, *exploſivis* & *fulminantibus*, quas a ſanguine malè ſaporo ſuſce-

perit? de his rixari nec otium, nec locus eſt; medicinæ uſui ſatis erit, inſinceram agnoſci nervorum *lympham*, unde nervorum *ſpaſmos*, *erethiſmos*, & *cacotonias* intelligere dabitur, preſsus enim trituræ & ſubactus modos in ſanguine mutatos concepiſſe, nervorum lymphæ tenuationis modos eſſe mutatos conſequentia eſt, eadem ratione qua vitiata ſemel coctionum prima, poſteras omnes coctiones vitiari conſequitur, ſic ut ex poſteris coctionibus nulla habeatur, quæ primæ peccamini remedio eſſe poſſit.

Interim ex hac morborum mutatione intelligitur ſucci illius maſſæ & ponderi mutationis aliquid factum fuiſſe; tum & mutatas eſſe *velocitatum*, *motuum*, *impetuum* & *directionum* rationes, peſſundari ergo partium *æquilibrium*: analogiſmi ratio eſt, quod enim ſanguini uſu venit, qui circulando titubat, ceſpitat, hæret, unde *ſtaſes*, *ſtagnationeſve*; circulationi quoque *lymphæ* convenit quæ in nervis circulando lenteſcit, tardat & hæret; nunquid non vitii plus ſatis illud eſt, quo tumultuarias & ineoncinnas nervorum *oſcillationes* expectes indè naſcituras?

CAPUT VII.

Ab ætatum, temporumque mutationibus natæ morborum origines.

Solidorum ergo & *fluidorum* æquilibrii jactura morbus eſt; ſed exinde ſequitur tot naſcituras origines morborum & occaſiones, quot erunt æquilibrii jacturæ, quæ tam multæ ſe dabunt, quàm frequentes cauſæ, quæ *ſolidorum* & *fluidorum* rationibus, potentiis, harmoniæ ſunt offendiculo. Itaque ſanitatis ſcopulos intelligere animus eſt? ſcrutare rationes ob quas *ſolida* inter & *fluida* perit concentus, hinc rimando unde augeantur, fatiſcant aut impediantur *ſolidorum* vires, illinc unde augeſcant aut minuantur *fluidorum* reſiſtentiæ; ex his enim diſparilitas rerum quæ morbus erit. Hæc inter ſi animo luſtraveris, quàm incerta, quàm variabilis, quàm inconſtans rerum quas inter verſamur alternatio, ſeries aut viciſſitudo, tot mutationum occaſiones habebis, quæ *potentiarum* & *reſiſtentiarum* mutationibus occaſioni erunt; ut pote quarum nulla fuerit, quæ partium affectionibus immutandis non ſufficiat; revera utrobique animadvertere licebit alternantium *elaterum* vires, mutuò ſic ſibi invidentes, ut præpollere ſibi continuò ambiant, unde alterutrius jactura, alterutrius lucro vertitur. Ejuſmodi eſt tempus edax rerum, ferus ille & aſſiduus exeſor corporis humani, cujus eſu vires illius deteruntur indeſinenter. Ruinæ illius rationes arcanas, quas ex unis humorum vitiationibus ſuſpicabantur naturæ curioſi, in apertum adduceret *ſolidarum* partium dum ſeneſcimus conditio, has enim tabeſcere & indurari ut obvium ſenſibus, ſic omnium confeſſum eſt; hanc autem ſenilem partium habitudinem, juniorum corporum laxitati, mollitieive compari aſſe, intelligere eſt tam ineptum perennandæ longiùs in ſenibus vitæ partium textum, quàm huic operi opportuna eſt in juvenibus mollis partium tractabilitas. Atqui imminuta partium tractabilitas, *elateris* illarum facta inhabilitas eſt; unde elicitur a partium *elateris* lapſu naſci ſeneſcentium corporum ægritudines, ſeneſcereque idem erit ac labi ſanguinis circuitus vim, quæ cum a *ſolidorum elateris* potentia tota pendeat, titubare hanc neceſſum erit ſimul atque *elateris* virtus cœperit elangueſcere. Senectutis ergo vitium in eo poſitum eſt quod flexiles factæ minùs partium fibræ (adeo ut in oſſeas evadant & *tendinoſas* in multis) preſſioni

sioni succorum & trituræ impares fiant; unde culpa duplex, dum enim durescendo *solidæ* partes *systaltico* motui nequeunt servire, duplici ratione errabunt circuituum sanguinis leges; segnescendo enim tardabit sanguis, insimulque malè pressus, tritus ruditer, imperfectè subactus lentitudinem contrahet; inde *stasis* hominis universalis, qua prementur partes, vasa stagnabunt, viscera impedientur; hæcque lentescentis sanguinis consectaria mala erunt, unde tota labentis animalis œconomiæ calamitas, hinc enim pressus segnius & languidiùs expressus sanguis, illinc crassè levigatus, semitritus, inelaboratusque *secretionibus*, *excretionibus*que vacare non poterit. Aliundene plures origines morbis aperiuntur, aut plures dabuntur occasiones? reipsa huc quadrant senilis cujuslibet morbi rationes, omnes enim in aridura sitæ sunt, qua partes & viscera suis carent succis aut defraudantur, sed quæ hinc emergit *solidarum* partium esuries, a compacto & densiori *fluidorum* textu committitur, hoc est a sanguinis spissitudine, quæ in senibus ea est, ut quos ille distribuere solebat & ex se depromere succos, *concentrando*, ut ajunt, in se comprimat. Hic *coagulari* sanguinem suspicaretur chymia officinalis, quem cogi docet, densarique aut stipari animalis chymia, ars videlicet illa simplex, qua misso *ignium*, *furnorum*, *saliumque* satellitio, quas ruditer exercet illa operationes, sola pressionum, tritus & collisionum vi industriè hæc & sagaciter absolvit. Itaque quod *calculus*, infelix ille senescentis sanguinis fetus, tam fecundè pullulet in senibus, hinc intelliges: otiantes in senibus, qui crescere desierunt, nutricales succi, ampliùs compressis nimiùm stipatisque cutis universæ oscillis, intra arctatas vasorum capacitates coercentur, ubi *solidorum* ictibus *oscillatoriis* & *systoli* diutiùs subjecti spissescunt, densanturque in duracinas, lentescentes, *polyposas* lapideasque materies. Non enim, quod scobinæ moris est quæ si mollis & levis fuerit mollem & leviſſimam scobem deterit, hic evenit, sed siccior facta & durior *solidorum* compages, in *fluida* duriùs agendo ea deterit, arietandoque fortiùs, densat atque compingit. Ad hanc normam si cæteros expenderis seniles morbos, eorum ingenia assequi licebit & *æticologias*; sic enim pigrescens nutritia lympha, ferinæ senum *scabiei* aut *psoræ* rationes ostendit, talem enim sorbendo succum *glandulæ*, quem tardiùs dimittunt aut excernunt, fœdæ illius luis materiaturas in se condunt; indidem repetes *pruritus*, *tussis*, & *stranguriæ* fomites, non infrequentium senilis ætatis aut importunorum aut crudelium tormentorum, tot enim sunt stagnantis & coercitæ lymphæ nutricalis miserabiles fructus, quos edit durior pressus aut strictior systole.

Tanta est exsincerati semel *systaltici* motus potentia! unde tamen pejores adhuc senibus inferuntur strages, non enim aliunde dimanant senilis *asthmatis* & *apoplexiæ* occasiones. *Stases* sanguinis sunt, quas in senibus committunt infrequentiùs *fluidorum diserasia* quàm impotentiæ *solidorum*, horum scilicet segniores facti *elateres* in fibris arescentibus, ab *oscillatoria* habilitate desciscentibus in tantùm, in quantùm a mollitudine senescendo recedunt. Occasus aut decessio est vis illius penès quam in corpore est *fluidorum* motus, quem proinde minui necesse est, statim atque illa labefactatur. Igitur qua proportione durescere in senibus *solida* observantur, sic ut cordis arteriarum tunicæ in os solidescant, ratione non dissimili crescit toto in corpore tunicarum firmitudo, sed hinc impotentiore facto rigentium *solidorum* elatere, imbecillius *fluida* premuntur, segniùs reruntur, pelluntur impotentiùs. Quod vitii genus cum sentiendum veniat illis partibus, quæ membraneæ sunt essentialiter, mirari desines cur illic pigrescat sanguinis circulatio, ubi plus *membranarum* est; quod cum contigerit *cerebro*, unde *membranarum* omnium origines, tum *pulmonibus*,

qui-

quibus ut *veſicularum* conflatura, ita nervorum contextus eſt, rationem tenes ob quam ſeneſcente corpore lenteſcere debeat ſanguis in *cerebro* & *pulmonibus*. *Staſium* aut ſtagnationum, pigritudinumque ſanguinis has cauſas edocent comperta iſthæc *ſolidorum* delicta, ſed quæ non ſola ſunt, his enim compatiendo *fluida* aſymbola non ſunt, ſanguiniſque circuitus tarditati hac ratione contribuunt. Canalibus ſuis preſſus nimiùm ſtrictiùſque coercitus ſanguis, quò denſior fit, eò minùs ductilis evadit, inhabilior proinde ad progreſſum, quo peſſundato in ſe coactus, compreſſus, recollectuſque ſanguis, circuitui ſuo tantùm obicis ponit, quantùm acquirit reſiſtentiæ, quæ cum ejus *rationis* ſit aut *proportionis* quæ molis maſſæ & ponderis eſt, inde auguraberis ſegneſcentis ſanguinis omnes effectus & cauſas.

Ex hac autem ſenilium morborum *ætiologia*, infantilium rationes ſe produnt, cogitando quàm mollis, tractitia & ductilis fuerit partium ſubſtantia, quæ ex corpore unius aut alterius pedis in corpus quinque ſexve pedum potuerunt elongari. Inde colligas licet tam flexiles & molles infantium eſſe partes, quam in ſenibus aridæ ſunt & duræ, tantùmque invaletudinis aut mali corporibus infantium ſvenire ex crudo adhuc & inabſoluto partium *elatere*, quàm ab *elatere* nimio venit ſenum corporibus. Namque infantilis ætas, ſi benè obſervaveris, *fluidorum* tempus in œconomiæ animalis regimine eſt, ſub quo nempe ut *fluidorum* uſus ſit major, ita uberior acceſſio fit, cui ſi deſit *ſolidorum elateris* potentia ſufficiens, exuberanti reſiſtentiæ objicitur impar vis, fons & occaſio morborum, quos adoleſcendo infans experietur. *Staſes* eruut ſuccorum, ſtagnationeſve aut ingurgitationes hic illic factæ, quæ ſanguinis circuitui moras injiciendo ægritudinibus cauſas dabunt. Reipſa ab *adiphagia* naſci infantium morbos, ut veteribus compertum erat, ita ab omnibus medendi ſapientibus acceptum fuit, id eſt, a facta ſuccorum nutritiorum aggerie, quam exſatiata vaſa tenere nequeunt aut concoquere; cruditatis genus eſt, non ventriculi, qui quod ſui muneris erat præſtitit, ſed vaſorum quæ tritos rituque ſuo ſubactos ſuccos propellere non poſſunt & diſtribuere. Non infrequens enim in œconomia animalis negotio delictum in adultis eſt, frequentius tamen in infantibus, quo ventriculi potentiæ impar eſt viſcerum virtus, unde fit, ut ſuccus in ventriculo licet ritè ſubactus, factuſque levis, ſtagnet tamen in vaſis atque pigreſcat; tunc temporis ventriculi *duſpepſiæ* imputant cruditatum quas obſervant cauſas, quod medicorum vulgi eſt publicus error, æſtimantis crudi eſſe nihil quod non fecerit *ſtomachus*. Interim nihil tam publicum quàm corpus fartum cruditatibus, in quo bellè & vegetè ſe habere ſtomachum confeſſum aut compertum eſt ex ſignis, unde functione ſua integrum eſſe id viſcus manifeſtè arguitur, maximè cum dum pigritantibus ſuccis & lenteſcentibus impedita viſcera videntur, lingua mollis ſit & humens, vigeat appetitus, fervida ſit & æſtuoſa ventriculi concoctio, flatuoſis ſtipata doloribus (in quo vividioris ſtomachi *elateris* argumentum agnoſces) denique tardet alvus & reſiccetur; quo in caſu quidquid crudi habent viſcera, id propriæ illorum, non ventriculi culpæ dabis. Fortè ſtomachum hac de cauſa redargui voles, quod *elateris* vi vegetior natus, & in terendo promptior alimenta diligentiùs coquat, *chymum*que fundat uberiùs, quàm poſteræ partes admittere queant aut diſtribuere? & iſthæc erit noſtra de ſtomacho querimonia, ſi ea fuerit illius tyrannis, cui ſervire penitùs neceſſum ſit, tunc enim novercale foret & inſidioſum omnino eximiæ illius energiæ munus, quæ nata illi eſſet aut inſita futuri morbi teſſera, cum ipſi uberiores laborare ſuccos idem eſſet, ac crebriores cudere morborum origines; ſed huic incommodo, quæ parata ſunt & obvia remedia aliàs traditum eſt, nobis hic ſufficiet,

illam

illam (*a*) a ſtomacho noxam depellendo, veras eruditatum in infantibus ſimul & adultis revelaſſe cauſas. Porro in iis adnotabis eundem ſemper & ubique in morborum cauſis *analogiſmum*, in *fluidis* occaſiones, origines in *ſolidis* : occaſiones in *fluidorum* experientia, *ſtaſi*, *reſiſtentia*, in *ſolidorum erethiſmo*, ſtimulatione, *ſpaſmo* origines. Nutricum, matrum & omnis feminarum ſatellitii quæ infantium nutricatus in ſe recipiunt curas, maiè ſanus hic ritus eſt, lacte, pulte, offulis, ſimilibuſque molliculis eſcis puſionum ſuorum ſtomachos aut palatum ad ingluviem vellicandi; quæ his ætatulis tot inſidioſæ ſunt artes miſellorum illorum accendendi cupidines, heu crimen! ad cupiditatum tyrocinia informando corrumpere infantium voluntates. Interim hæc pauca, ſi in corrumpendis infantium cibariis conſtitiſſent, at progreſſa eſt ulterius cupediarum inſana lues, potulentorum quoque diſcriminibus objici eos cœptum eſt, vini enim lenociniis aſſuefacere eos iam ferè moris eſt. Quid inde mali in futuros mores redundare queat, nec officii noſtri, nec curæ eſt, at ad medicinam ſpectat quæ inde tenellis infantium partibus inuritur labes & venit habitudo quæ & ſanitati culpæ, & moribus vitio verti poteſt. Igniculi ſunt qui ſtomachi nervos exſuſcitando *elaterem* illius maturius erigunt, eò periculoſius quod ventriculus in infantibus præ cæteris partibus *elateris* energiam ſentiat citius, temporiùſque exerceat; dum enim cæteræ totæ lacteſcunt adhuc, adeo lacte madent & lympha rorantur! ſolidior eſt ſtomachus & textu firmior, ut pote nervis, fibris & membranis unicè corporatus. Porro ſic evolutam *elateris* vim ſtipulare, currenti calcar addere eſt, licet enim illud tritus aut coctionis organum princeps erigere ſit, cruditatibus aliunde præludere eſt, chymi copiam cumulando, ſufficiendoque uberiorem quàm ut a mollioribus cæterarum partium fibris & *elateribus* ſubigi poſſit & ordinari; ſicque fit, ut aggeſta ſuccorum copia majorem quàm decebat molem objectando, ad *oſcillationes* crebriores ſimul & fortiores *ſolida* cogat, morbidaque moveat conamina.

Conamina, inquam, ceu *tendentias*, quæ poſita in infantibus cæca morborum ſeminia, in adultis evadunt invaletudinum evidentes materiæ apertaque promptuaria: tenella enim & mollia in infantibus partium ſtamina bibulis & emporeticis chartis comparabis, quæ cum cæcis meatibus perviæ ſint & penetrabiles, liquoribus ſe pandunt, quos abſorbendo tacitè condunt: ſimiliter enaſcentes in infantulis partium fibræ, lenteſcentes & ductitiæ factæ non tantùm, ſed & bibulæ & meabiles, exuberantes ſuccos tacitè ſorbent, unde cæca *plethoræ* & *cacochymiæ* initiamenta, quæ temporibus datis explicando ſe & evolvendo, in occaſiones erumpent morborum quibus conflictabitur adultorum ætas. Partium plicaturæ ſunt, quæ ut vario poſitu ſuo aut inflexu, ſerie ſua aut ordine ſanguinis circuitum tardant aut accelerant, ita directionum mutationes inducendo, *ſtaſibus* ſuccorum aut *ſtagnationibus* focos aut loca parant, aut formaturas effingunt, ad quarum menſuras & rationes formabuntur pluſquam uniuſmodi morbidi affectus. Et revera plùs minus inſuccatæ ſic in infantibus partium fibræ, elateris, diametri & longitudinis plùs minùs capiunt, proindeque plùs minùs eructant materiæ, unde varia morborum tempora, diverſæ durationum cauſæ, variæ denique illorum indoles. Neque illud de fibrarum directionibus, ſitu, poſituris temerè dictum putabis, aut excogitatum verè minùs quàm ſagaciter; neque enim incaſsùm fingi videntur in cerebro *ſubſtantiæ corticalis* liræ, *circumvolutionis* aut gyri, cum ex illorum majori numero aut minori, ingе-

(a) *Dans le Traité de la digeſtion.*

genii vel ſagacitatis in animalibus menſuram definire noverit naturæ ſapientium obſervatio. Itaque quanti ſit infantium alituræ modus inde liquet, cum ex alimoniæ quantitate, qualitateve dimanent *fluidorum* conditio, *ſolidorum*ve modus, unde horum *eutonia* ſimul & illorum *cacochymia* pendet. Sed quantus exinde niteret fulgor in elucidandis animi morbis? niſi opportunior inſtaret occaſio prodendi, revelandique reconditioris quod aliunde habet ſanguinis circuitus arcani.

Corpus infantis creſcere aut ali, vegetari eſt aut inſuccari, quod idem eſt ac farciri, impleri ac turgeſcere carnium tubulos aut vaſcula, ex quibus exſurgit univerſa corporis moles: ſed hujus pondus ad centum libras & ampliùs in adultis excreſcit, quod cum ad ſucços aut *fluida* quibus *ſolida* tument aut vaſa, quæ ut pote tenuiſſima nullius fere denſitatis ſunt aut gravitatis, pertineat, palàm eſt a *fluidorum* pondere longè ſuperari *ſolidorum* gravitatem. Definire igitur (quæ confeſſa eſt ſanguinis menſura) maſſam illius eſſe viginti librarum, errare erit, niſi, quæ veritas rei eſt, genuinam ſanguinis ideam & quantitatem, a *fluidorum* notione & maſſa ſecernere noveris. Hoc ut obtineas diſcerniculi genus, animo tenebis unam & eandem eſſe in radice molem, quæ ſanguinis & cæterorum *fluidorum* maſſam conſtituit, ſed quæ in officiis varia eſt; unde diſces univerſæ illius *fluidorum* molis quantitatem quandam aut portionem ſervire quibuſdam officiis in animalibus œconomiæ regimine, dum quæ ſupereſt altera pars in alios uſus inſumitur. Pioris ſortis eſt rubra ſanguinis portio, meliùs illa *fluidorum* quantitas rubro tincta colore, quæ ſanguinalibus vaſis continetur; hæc cum per loca ſenſibus obvia magis ſub oculis circulari obſervatur tam apertè, ut de illa compertum ſit quoties intra horam per cor transfluere ſuevit; hæc, inquam, *fluidorum* pars pro totius ſanguinis maſſa vulgò accipitur, illa enim eſt quæ manifeſtè quotidianis functionibus, *ſecretionibus* & excretionibus impenditur. Nihilominus tamen, ſupereſt intra arcanos partium tubulos *fluidorum* pars tantò copioſior, quantò præ ſanguinalibus numeroſiora ſunt vaſa *lymphatica* ſive venoſa fuerint, ſive arterialia, unde abundantior certè erit *fluidorum* illa pars præ illa quæ vulgò habetur pro ſanguinis maſſa; qua de cauſa aſſerere liceret non viginti, ſed centum & ampliùs librarum eſſe in humano corpore *fluidorum* pondus. At ut ſua conſtet medicorum communi aſſerto veritas, intelligendum illud veniet de ipſo ſanguine ſeu *fluidorum* rubore tinctorum proportione, quæ revera fortè fuerit viginti circiter librarum, quæ apertè intra majora vaſa circumferri videtur, quæque in dies animalis œconomiæ apertè ſervit neceſſitatibus. Interim ut in *hydrauliciis* non tantùm menſura quædam aquæ impenditur in quotidianos machinæ hydraulicæ uſus, at ſimul inſtituitur aquarum promptuarium quod illius aquæ impendiis & jacturæ ſarciendis par ſit; ſimiliter in humano corpore *fluidorum* conditorium paratum eſt, quod in dies ſanguinis circuitus jacturis & perennitati neceſſaria ſufficiat. Conditorium illud eſt arcanorum tubulorum compactura, unde in infantibus aleſcentibus exſurgit carnium moles, parenchymatum compages, ipſaque partium ſubſtantia, quæ cum millenorum tubulorum qui pleni ſunt textus ſit, totuplicium cavitatum, diametrorum & capacitatum coagmentatio erit, tortuoſorum, auguſtorum & compreſſorum, in quibus tardeſcentes ſucci repunt non fluunt, torpeſcendoque ad ſuos perveniunt exitus, ſuaque reptando attingunt emiſſaria. Exemplar eſt motus illius pro *lympha* a partium imo redux per *lymphaticas* capillares ad ſanguinales venas emeat; circuitus eſt quo *lymphatici* ſucci quibus ab ortu opplentur carnium tubuli in venas decapulantur, quo moderamine, ex partium commenſu aut rationibus intelliges. Cum *ſtaſis* circuitus ſuccorum pernicies ſit; cavendum fuerat ne ab univerſo partium habitu ad ſanguinem

refluens

refluens *lympha* in venas uberiùs se ingurgitaret & impetuosiùs, sicque *stagnationes* induceret lethiferas aut obstructiones: id mali ne committeretur fecit conditor, ut dum per *insensilem transpirationem* & evidentes *secretiones* plurimos sanguis egurgitaret succos, horum loco sensim succederet refluens *lympha*, hacque arte jugis & continua pergeret, eaque mollis & æquabilis succorum circulantium series.

Tanta ars est illarum corporis partium quæ absque arte compactæ viderentur, carnium scilicet, quæ nihil fere nisi mollioris & inconditi pulpaminis sensibus ostentant, quæ tamen eximium condunt *mechanismum*, maximeque necessarias sanguinis circuitus artes; namque penaria sunt & apothecæ primo ab ortu eluxuriantibus succis coacervandis dicatæ, ut iis qui alendæ sanitati serviunt succenturientur, si hos depasci contingat aut deprædari, unde illic ellychnium vitæ poni facilè dixeris ex quo suum filo vitæ dementum depromatur. Itaque ut fluidorum pars rubicunda quæ per vasa sanguinalia in dies circulatur, evidentibus & quotidianis sanitatis functionibus alendis propria videbitur, altera quæ *lymphatica* merè est, eaque arcano carnium meditullio coercita, ad ultimum usque terminum prorogandæ vitæ destinabitur. *Mechanismi* hujus rationem ut intelligas, memineris oportet totam carnium compacturam nihil habere molis, quàm a canaliculorum unde coagmentantur exporrectione, qui in infantulis adolescendo, eum quem in adultis habent attingunt tumorem: carnes igitur totæ in pressu sunt & *elastico* nisu, vi cujus in *lympham* quam continent enitendo, versùs ea partium loca propellent illam aut expriment, ubi sentitur minùs *resistentiæ*; loca erunt venarum *lymphaticarum* hiatus aut oscilla, quæ pressu carnium expressæ *lymphæ* exitus aperiendo, sinu suo eam admittunt, idque *oscillationum* vi; dum enim a partium *peripheria* venientes illam in *lymphaticas* adigunt, a *lymphaticis* ad sanguinales venas progrediendo huc eam propellent. Sed hac resistentiæ minoris ratione, *lymphaticarum* venarum tunicæ, ut pote molles & faciles dilatari, appellentem *lympham* ultrò admittunt non solùm, sed & natura sua *contractiles* & stringi promptæ, illam rapiunt, trahunt, alliciunt, & ad sanguinem deportant; quàm autem efficaciter & necessariò edocent invehentium cum evehentibus partium necessaria consecutio, series, communio, continuitas. Cogites unum & eundem tubulum esse, curvatum ubique, nullibi divisum, continuum semper, unde factæ sunt *arteriæ* & *venæ* omnes, tum sanguinales, tum *lymphaticæ*; similiter idem esse & unum tractitii contenti in illo tubulo succi filum: insimul concipito vim quæ a centro corporis ad *peripheriam*, & reciprocè a *peripheria* ad centrum succum hunc propellat indesinenter; tum & hic illic, inter eundum prætereunti illi succo millenos se dare exitus, consecutio necessaria est incessanter iturum succum ad illos exitus; si memineris a principio ad finem usque tubulo illi jugem adesse vim, *fystalticam* nempe, quæ succum a principio ad finem propellat, *suctionis* genus erit partium *oscillatoria* vis, qua a partium meditullio ad corporis habitum & vicissim circulantur sanguis & satellites illius succi.

Porro cum in formanda, alenda, augendave carnium mole impenditur infantilis & juvenilis ætas, id est, in explicandis partium adolescentium fibris, vasis & staminibus, & eorum formandis ductibus, posituris & directionibus, consequitur sanitatis & morborum architectas esse primas vitæ ætates, sub quibus prima ponuntur incolumis aut causarii corporis futuri fundamenta. Et reipsa *musculosæ* sunt carnes, nata proinde motuum organa, unde origo morborum nascetur tam frequens & multiplex, quàm variæ corporis motibus venient læsiones & offensæ: præterea ut a *solidorum*, quæ fibræ sunt habitudine pendent *fluidorum* motus, horumque circulationum directiones, hic ubique prima quasi li-

neamina morborum deſcribi putabis, ſaltem ad errores deflexuſve diſpoſituras, pronitates & pericula. Illis erratis anſam præbebunt corporis labores aut exercitia, ictus, vulnera, externa tot offendicula, unde corporis texto, motibus liquorum, horumque *directionibus* & *circulationibus* errores mille & lapſus venire ſolent, maximè ſi his annumeras diætæ errores, quos committere, cum voluptati ducatur, intellexiſſe eſt hoſtium inter mille turbas verſari ſanitatem; hoſtium autem infenſorum eò magis, quò neceſſarius magis eſt eorum convictus, quotidiana neceſſitudo, ineluctabiliores inſultus. Undenam enim quàm ab eſcarum cupidinibus frequentiores inſidiæ, aut inſidiantes magis illecebræ? quænam tam aſſidua aut neceſſaria, quàm aeris commercia? utrinque certè perennes malorum fontes periculoſiores tantò, quantò potentiores, utraſque enim ſanitatis & vitæ ſedes inſimul aggrediuntur, *fluida* nempe intra quæ eſculenta ingrediuntur, *ſolida* in quæ jugiter arietat aer; certè una & eadem, ut ajunt, *fidelia*, geminis vitæ cauſis minas intentari eſt. Vita namque motus eſt, in ſuccorum *fluxilitate* conſiſtens, cui propterea non aliunde tantùm impendebit periculi, quàm unde imminebit frequentiùs periculum ſpiſſitudinis; ſed aliundene inſpiſſari ſucci periclitabuntur magis, quàm unde aſſiduè comprimuntur. Ejuſmodi aeris efficientia eſt, corporis ſuperficies undequaque prementis, quod idem eſt ac omnia partium vaſa anguſtari, attendenti maxime ad eſculentorum potulentorumque ſexcentos ſapores, quorum ſalibus & ſtimulis perperàm & inopportunè vellicatæ interiùs vaſorum tunicæ *ſpaſmum* contrahunt, ſicque ſuo diametro minuuntur. Enimvero tale nihil ſuſpicari fas erit, quandiu æquabiliter ſeu paribus rationibus cum *fluidis ſolida* luctabuntur, at quantùm diſparilitatis affert *fluidis* hominum inſana cupiditas, tantumdem *ſolidis* faceſſit aeris volubilitas aut inconſtantia; quare ſit,

CAPUT VIII.

Ubi ex datis brevitatæ hominum vitæ cauſis, deducuntur eſculentorum & aëris in ſanitatem inſidiarum rationes, quæque indè fiunt origines morborum.

COnditoris ad nutum inſtitutæ creatæ res, Creatoris voluntati, conſiliis & ordinationibus ultrò ſerviiſſent; fœdus fuiſſet aut ordo ad cujus normam, inſtituta, leges geſſiſſent ſe naturæ opera, quæ omnia utpote ex uno Creatoris imperio nata, unis & iiſdem omnia obſecundaſſent legibus. Sub hoc univerſali naturæ ſuo cum conditore concentu, homini ſuis cum herbis & animantibus *ſubjecta* terra, neceſſitatibus illius minùs quàm votis fuiſſet famulata, tantumque dominii homini aſſerebat ſuum erga Creatorem creaturæ obſequium; huic interim illa facta rebellis, illico ſenſit naturæ rerum (a) *inimicitias* pro *ligno pulchro viſu & ad veſcendum ſuavi, ſpinas & tribulos terra illi germinavit*; factæ ſunt humanæ genti *ærumnæ, ſudores homini atque labores, mulieri multiplices*

(a) *Geneſ. c. 3.*

ces conceptus (*b*). Totius naturæ rebellionem animadvertis aut turbamentum? utrumlibet ſuſpiceris, perinde tibi hic erit, intelligenti ex rupto ſuo cum Creatore naturæ fœdere, vitiatas quoque rerum creatarum leges, ſic ut ſimul atque a Creatoris imperio receſſit hominis voluntas, ab hominis imperio deſciverit natura, *humus* inprimis *maledicto* tacta ſuis cum *animantibus, lignis & ſementibus* deſierit illi *ſubjici*. Hinc ægrotare cœpit naturæ univerſitas, unde emerſam *febrium cohortem*, morborumque facta ſeminia ultrò concedes. Et revera ut a proportionibus, rationibus, & convenientiis receſſus eſt morbus, morbum dices a præſtituto ordine naturæ receſſum; quod enim in humano corpore eſt animæ ad corpus ratio, idipſum eſt Creatoris ad rerum creatarum univerſitatem ordo: utrinque æquamentum eſt & harmonia quam alit & tuetur ordinis vis, qua peſſundata vitium fieri aut morbum conſequentia eſt.

Poſthac breviatæ primorum hominum vitæ cauſas aliunde eruere, otiari eſt, id fecit vitii dejecta ſuo ab ordine rerum natura; alteratis enim terræ & herbarum quibuſcum creatæ erant rationibus ad corporum alituras, proportionis aut convenientiæ minùs illis factum eſt. Neque dixeris a commiſſa primi hominis culpa ad diluvium uſque & ultrà duraviſſe primorum hominum longævitatem; ut ut enim concedendum ſit longè longiorem fuiſſe illorum hominum vitam qui ante, quàm eorum qui poſt diluvium fuerunt, verum eſt non minùs a commiſſo primi hominis delicto tantò breviorem factam fuiſſe hominum vitam, quantò fuiſſet longior, ſi Creatoris ordini contraire homo non attentaſſet.

Hinc initia dolorum, morborumque primordia qui humanam gentem cœperunt infeſtare; præterquam quod enim exul a ligno vitæ primus hominum parens, ſanitatis & vitæ quos ab illo ligno obtinuiſſet fomitibus fuerit defraudatus; inſuper ab illo quem incolendum acceperat voluptatis ſimul & vivacitatis loco pulſus, alienum & inſuaviorem ducendum habuit ſpiritum. Igitur nativum linguens ſolum & cælum, peregrinamque & maledictam terram ingreſſus, inexperti aeris fecit periculum, *lignorum*que loco *pulchrorum viſu & ad veſcendum* ſuavium, quibus ſe delectaſſet, *ſpinas, tribulos* aut mirabiles *herbas*, ut potè opere multo, inceſſabili labore, ſudore aſſiduo redimendas obtinuit. Iſthæc ſanè paria pluſquam erant afferendis homini mille malis; interim ulterius adhuc graſſata fuit violati ſemel ordinis malitia: hominis a Creatoris ordine aut voluntate receſſus, illicò ulta eſt animalis œconomiæ conturbatio, quos enim ultrò, quaſique inconſcius in inſonte femina excluſiſſet uterus Creatori cultores, dolens & invitus in femina quam culpa tenet, miſellos extrudit, mortique debitos homunciones. Hinc multiplices conceptus, aut multiplicati partus dolores, in quibus mulieris miſeranda ſors. Huic homini, quem in paradiſo ſublime meditantem, aut meditando otiantem præfecerat Deus, juſſa tædia laborum, & injuncta ſudorum faſtidia, quibus terram ad germinandum cogeret. Sed ex his injunctis homini ſimul & terræ tormentis intelligere datur, quantum diſcriminis indè factum fuerit terræ fructibus, quamque longè ab inſtitutione prima fuerit his recedendum. Terra namque quæ ſuis gravidata ſeminibus ſponte ſua, ſoliuſque Creatoris *manu gubernata* fructus ſuos protuliſſet, hominis arti ſubdita facta eſt & laboribus, quibus omiſſis vepres ediditſet aut herbas.

Effecit enim effatum adeò terræ *maledictum*, ut a ſitu ſuo & iis quas ordinave-

(b) *Ibid.*

naverat disposituris Creator dejecta terrarum semine, alienos ductus, directionesque varias secuta fuerint, ad quorum normam fructus specie licet non diversos, conditione tamen dissimiles produxerunt. Si cogites adhuc quanta sit terræ cum aere necessitudo, ut pote qui ab illius, ut ui sese habeant, spiraminibus affici soleat, ex mutata simul & inordinata aeris & terrarum facie concipire erit, quam fecunda hinc inde homini venerit morborum origo; eoque uberior, quod quo tempore macrocosmi mutatæ sunt rationes atque respectus, coorta insimul sit microcosmi harmoniæ legum mutatio, quandoquidem dùm a Creatore suo divertit natura universalis, humanæ menti Divinæ illi numinis auræ rebellavit natura particularis, hinc domestica facta in homine dissidia, hostiles appetitus & animi pathemata, undè tam multæ ægritudines aut tam ampla corporis & animi morborum seminia.

Tot inter adversa quibuscum homini concertandum fuit, tot obices & repagula intervidere datur, quibuscum arietando, colluctandovè hominis vita, atteri debuit, breviari aut decurtari. Namque observabis vitam esse oscillationis genus, quæ cum in homine, si Creatoris ordini fidus fuisset, intestino nullo aut externò tumultu, rerumvè hostilitate nulla interturbanda erat, nullis circumjacentium rerum oscillationibus contrariis aut insultibus lacessita, placida, non dimota fuisset: secus in homine ordini infido, quem ordini reluctantem, undequaque insilit rebellio; cui enim *subjecta* terra, cui mansueverant animantia, fructus, legumina, aer, eidem hæc pugnas moverunt aut lites; fracto que universali rerum fœdere, rerum nulla fuit, quæ intestinis acta non fuerit aut exterioribus turbis. Dissoluta fingito machinamentorum organa, abnormes motus aut dissonantes, quæ quidem in singularibus alere videntur pacem, sed quæ non est pax, a primævo enim Creatoris ordine abalienatio est, a præstituto nempè illo mutuo & æquabili concentu recessus, qui ex Creatoris instituto universali, rerum creatarum harmoniæ præfuisset. In hac universali rerum perversitate aut disparilitate saltem concipere datur, perversas quoque fuisse insitas aut *concreatas* quas illæ in se condidissent proclivitates, appetitus aut *tendentias*; ut enim propter semetipsum, hominem & orbem universum creaverat omnipotens, hominisque causa, aut hujus in obsequium, utilitatesvè creatas res, consequentia est violato hominis ad Deum ordine, una violatas fuisse rerum creatarum ad hominem ordinationes, adeò ut quæ ad vescendum homini apta facta erant, ab hoc officio & conditione desciscendo, de hac virtute & congruentia amiserint; qua de causa terræ, *ligna*, *fructus & herbæ* hominis vitæ producendæ idonea minùs facta erant. Immutationis hujus rationem qui scrutabitur, revelabit earumdem rerum facturæ ratio; has homini subjecerat sic volentis omnipotentis unica vox, *fiat*: has homini subduxit nolentis & irati numinis unica voluntas, *maledicta terra*. (a) Ut ergò perennandæ ad nutum vitæ homini serviissent terrarum edulia, si ordini a Creatore præstituto fidelis fuisset & durasset, illi officio inopportuna fecit ordinis hujus inventura. Revera, quidquid tutandæ hominis vitæ boni contulissent edulia, id omne una saporum suorum energia præstitissent; atqui saporum domina est aut magistra Creatoris voluntas, quos occasione data suum ad nutum variari jubet; aquarum illarum exemplo quarum sapores amaros dulces fecit; (b) luculentius adhuc immutationis ejusmodi exhibet argumentum (c) *Hæbreorum manna*, simplex illud & *sine labore paratum* edulium, *omne delectamentum in se habens & omnis saporis suavitatem*: (d) *minutum* enim erat *quasi semen coriandri album*, cujus

(a) *Genes. c.1.* (b) *Exod. c.15. v.25.* (c) *Exod. c.16.*
(d) *Sap. c.16. v.10.*

jus naturalis erat gustus quasi similæ cum melle; (e) at *Creatori factori suo deserviens creata, uniuscujusque voluntati deserviebat*, (f) *& ad quod quisque volebat convertebatur. Quoniam non nativitatis fructus pascunt homines; sed sermo Creatoris hos conservat.* (g) Ampliùs non in unis eduliorum saporibus invertendis valet Creatoris voluntas, elevandis quoque rerum viribus satis est unum illius verbum, imperio cujus res quælibet in remedia faceſſunt; *enim neque herba, neque malagma*, sed *omnipotentis sermo sanat omnia*. (h) Omnia autem hæc *transfigurata* voluit Creator *horum gratia quos diligebat*, (i) *justorum enim vindex est orbis*. (k) At aliundè *factori suo deserviens creatura*, (l) *exardescit in tormentum adversùs injustos*; quæ sors aut conditio facta fuit hominis suum ergà Creatorem culpa sua facti rebellis & injusti; hunc enim *adversarium* lædere aggressæ sunt ipsissimæ res, quæ commodo illius & conservationi natæ erant aut institutæ: edulia videlicet, quæ cum adeò mansuevissent, ut hominis præcordiorum recessus latenter & inconsciè pervaderent, seditionem ex hominis rebellione didicerunt, sic ut itinerum suorum per corporis penetralia sensus fecerint, posuerintque millena offendiculorum semina aut ægritudinum initiamenta.

Abs renè fuerit facti hominum vitæ compendii causas hic poni? homini enim ita posito tot inter inimicantes res, illas nempè quarum ergà illum mutati sunt amores aut naturales *tendentiæ*, tot illi tolerandi veniunt insultus aut insidiæ, rerum nempè reluctantium sibi aut contranitentium, totis *elaterum* suorum potentiis quibuscum illi concertandum est, id est, mille hinc indè arietantibus oscillationibus, quæ cum hominis vitæ causis (quæ in oscillando quoque positæ sunt) colluctando jugiter, vires illarum deterere debuerunt; *undulationum* illarum exemplo, quas mediis in aquis lapillorum jactu hic illinc exurgere vides, quarum circulos contrariè aut directionibus contrariis sibi occurrentes frangi brevi vides aut vanescere. Neque ex inimicitiis revenisse putabis res, edules imprimis, sic ut illarum oblitæ penitùs pacem cum homine redintegraverint, tam caducarias enim fieri imbibitas semel rebus *antipathias* moris non est. Initur, hodieque homini connivendum est res inter quibuscum illi convenit inopportune; quæque illius ferè ad nutum aut saltem in obsequium illius durassent, oscillassentvè res, uni sibi oscillando, aut proprii commodi, conservationisque privatæ causa oscillant; serie tamen illa & ratione, qua ab hominis obsequio licet desciscentes aliquatenùs, jussum à Creatore obstinatè servant ordinis tenorem, adeò ut dùm perseverat adhùc universalis rerum ad primam causam commensus aut æquilibrium privatum, rerum singularum ergà hominem imminutum sit obsequium, hinc disparilitas & molestia jugis, qua incommodis & ægritudinibus objicitur homo & afficitur,

Sub hoc conceptu hominis vita non secùs ac *militiæ genus* erit, imò in deliquium præceps jugis proclivitas, importunè enim laceſſita circumstantium sibi rerum nisibus contrariis mille, resistentiis aut adversitatibus, ruere in horas aut labi jugiter periclitatur. Revera ut elaterum princeps aer (oscillationum omnium tùm universalium orbis, tùm hominis privatarum parens & origo) cæterarum rerum creatarum exemplo in unum hominis commodum oscillare dedicerit, mirum quam frequentes corpori suas affricabit aut infliget læsuras! cujus oscillantis quot ictus, tot verbera erunt, quæ illud afflictent, macerent, molestentque. Atqui aer est *spiritus* ille universalis qui omnia *intùs alit*, omnium vita-

(e) *Exod. c. 16. v. 14. 31.* (f) *Sap. c. 16. v. 21.* (g) *Sap. 16. v. 26.*
(h) *Sap. c. 10. v. 12.* (i) *Ibid. v. 25.* (k) *Ibid. v. 17.*
(l) *Ibid. v. 29.*

vitalium motionum cauſas ſufficiendo ſimul & modos earum *directioneſque* tuendo, a quo proindè habent res ſuos motus non ſolùm, ſed & indè tenent aptatas ſibi propriaſque motuum rationes & energias: poſthac quidquid ſive aeris ſpiramine homini veniet, ſive potulentorum eſculentorumvè uſura, inimicantia tot illi *miaſmata* erunt, meliùs adverſantium illi potentiarum tot hoſtiles niſus, quæ quas alunt repugnantias jugiter exercendo, ſanitatis & vitæ cauſis continuò incommodabunt. Hinc vita quæ primævo homini jucunditas fuiſſet & delectatio, adeò bono ſuo conſentientes res ſenſiſſet & voluptati, hodierno homini ſudor fit & labor, adeò repugnantes ſibi & malè concordes experitur orbis univerſi rerum energias!

Sub hoc rerum humanarum ſtatu ægreſcere hominem, verſantem inter medias ægrotantium cauſas, tentatumque continuis morborum diſcriminibus portenti minùs habet, quam illum ſoſpitem videri aut ſuperſtitem tam multiplicibus injuriis & inſultibus, qui exteriùs illum invadunt, aut cotingunt interiùs. Ut enim ordinis ratio eſt ſanitas, undenam periclitabitur frequentiùs, quam ex indefinenti rerum appulſu, contactuvè jugi, quæ cum ab ordine receſſerint, ordinis rationes malè tuebuntur, aut infidè reddent. Ejus ſortis facta ſunt oſcilla herbarum aut ſemina, quæ Creatoris maledicto tacta ſemel a primævis oſcillationum rationibus, *tendentiis* & directionibus deflexerunt, ſicque hominis vitæ legibus alendis fuerunt congrua minùs. Cogitabis canalitias illas particulas, quibus jubente ſic Creatore feta fueraut primigenia rerum ſemina, talis primùm fuiſſe ſitùs aut poſituræ, talis diſpoſitus, ordinationis & conſonantiæ, ut ad corporis humani *fluida* accedendo, aut *ſolidis* ſociando ſe, non tam novas ſibi feciſſent ſedes aut intuliſſent vites, quam proprias contuliſſent aut protelaſſent potentias, adeò conſona futura fuiſſent mutua & conſentiens in rebus edulibus rationum, ſituum & potentiarum analogia, communitas & harmonia! verùm ab admiſſa primi parentis rebellione ſecus factum eſt, violato enim ordine qui hominem inter & Creatorem interfuiſſet, violatæ quoque factæ ſunt rationes, reſpectus & habitudines quæ res illas inter & hominem concordes duraſſent. Hinc mille illi labores, tædia, difficultates quibuſcum ſe gerunt alimentorum coctiones, hinc illæ tam multæ tritus moleſtiæ in dirigendis alimentis tolerandæ, quæ tot niſus & artes ſunt, quibus in alimentorum adverſitates aut repugnantias inſurgitur, ut potè quibus vincendis humano corpori allaborandum eſt: pro ſuavitatibus namque quibus in cibando ſe homo ſe delectaſſet, digeſtionis tormento malè vexatur, quo ſubigat difficultates, *reſiſtentias* rerum quæ alendæ ſanitati, prorogandæque vitæ ſponte ſua & ad libitum ipſius ſe dediſſent.

Quam multæ hinc emerſuræ erant morborum origines palam eſt, tot videlicet quot expectare licet ex potentiis aut viribus, quæ laceſſitæ jugiter, tandemque laſſæ fatiſcunt aut aberrant; maximè cum ejuſmodi ſint conditionis illæ potentiæ ut vellicari faciles & a ſitu dimoveri promptæ, in vitium labiles ſint; ſed in his recognoſcitis corporis virium, potentiarum & facultatum ingenium, *elateres* omnes ſunt, quorum vis & operatio in *oſcillando* poſitæ ſunt, in ea proinde motus ratione caducaria maximè, quam vel aura levis afficit, mutat interturbant; atqui memineris rem aſſiduè habendam eſſe iis potentiis cum rebus quibuſcum iis non omninò concordat, aliundenè venient diſſidiorum, luctationum, pugnarumque frequentiores cauſæ, proindeque plures occaſiones morborum aut originis!

Eſt interim undè crevit infelix iſthæc cauſarum morbidarum turba, gulæ enim intemperies, cerealibus (quæ in cibatum hominis fecerat Creator) malè contenta, arſit quoque in inconceſſas animalium carnes, undè quam numeroſa

rosa facta morborum originum sedes! & revera in animalium carnes facessita cerealia, ut sedes, sic & situs novos sibi fecerunt in illis corporata; sed quas in cerealibus corporis humani alituræ gratia posituras instituerat Creator, *tendentias*vè & proprietates, hac corporatione iterato mutari necessum fuit, ut animalium partibus se accommodarent; sed hac de causa succi nutricales, quos sufficient animalium carnes, hominis alituræ altera hac ratione apti minùs erunt, ut potè qui fractas insumptasvè in alendis animalibus cerealium virtutes aut *tendentias*, in hominis alimoniam suppeditabunt a creata sibi indole degeneres, suaque primigenia destinatione caussas: posthac vegetiori, firmiori, aut præ hominibus caducaria minus valetudine frui animalia miraberis minùs, inditas enim digito Creatoris cerealium virtutes & tendentias in se susceperunt, quas adulteratas aut immutatas in hominis alituram reddunt. Itaque dùm esculenta quælibet ex cerealibus deprompta, ratione hac universali peccant, quod maledicti terræ vi inimicantis aliquid contraxerint, altera illa singulari adhùc depravantur quæ ex animalium carnibus petuntur, quod quas esse sivit superstites Creator in cerealibus ad hominum tendentias, fractas has, detortas & corruptas exhibeant animalium carne in hominis alimoniam. Hujus nutricationis vitium ut animadvertas, comparabis ædificii fabricam in quam vetera rudera insumpta fuerint & antiquatæ materiatutæ, cum alterius structura in quam insumpti fuerint recentes lapides & materiæ novæ; in hoc certè præ illo venustatem laudabis & munditiem, cujus in propatulo ratio est; in altero placet materierum virginum integritas, displicet in altero materierum anteacto usu detritarum facta vitiatio. Ita se habet ex animalium carnibus hominis facta nutricatio, compaginatio est rerum quæ ut suas aliis in operibus insumpserunt energias, jam consumpserunt, fermè obliteratis in partium animalium quas insuccarunt formatura proprietatibus iis & *tendentiis*, quas humani corporis alimoniæ causa a Creatore inditas susceperant: unde cùm eo præstantiores sint res, quo sinceriores eæ sunt virtutes rerum ex quibus coalescere debent, bonitatis minùs fiet humani corporis partibus quæ coaluerint iis ex virtutibus rerum quæ jam expertæ, detritævè, insinceriores factæ sunt, ut potè a natura sua aut indole factæ degeneres.

Insuper ut non facilè consistit accensa semel gulæ cupiditas, ulteriùs adhùc quàm ad carnes se proripuit; fatui enim aquæ saporis impatiens, voluptuariis vini saporibus titillari voluit palatum, sed quibus vitæ incommodis, quo pudoris damno, quibus sanitatis discriminibus. Vinum à crimine cœpit, ab ebrietate nimirùm, cujus macula parentem suum aut inventorem aspersit, in cujus commissa nuditate posuit violati pudoris tyrocinia, ampliùs in cujus nepotes sceleştioris impudicitiæ, duplicis scilicet incestus fixit monimenta. Hæc quidem ad animi ægritudines, at amabo doloris & mali corporibus quid non spondet illud in quo criminum summam cernas aut turpitudinis portentum? posthac a paradiso vinum exulasse intelliges, rerum enim tumaltuaria maximè non indigebat pacis locus; nec hujus discriminibus hominem patere decebat, qui ut innocuæ sic tranquillæ & amabili vitæ parabatur. Imò mundo concreatum non fuisse vinum concluditur, eduliorum enim genus creasse Deum in hominis cibatum, quo cum ad sanitatem malè convenit cum vino, pro argumento est creationis opus vinum non esse. Atqui sanitati nihil adversatur magis, quàm quod alimentorum in ventriculo coctioni officit, quod cum in vinum cadat, cujus usu digestionem ciborum tardari non tantùm, insuper & corrumpi non rarò observatur, a paradiso & ab universa terra primùm abfuisse consequentia est; eò magis, quod si rem ritè perpendas, pro medicamine vinum habeant, non pro alimento sacri codices, quo suos homo soletur mœrores,

quod

quod cum ita ſit, vino carere debuit paradiſus a quo procul fuiſſent omni generis mœrores & morbi: pari de cauſa indigere vino non potuit homo a Creatore recens, ut futurus (niſi lapſus fuiſſet) tutus ab omnibus corporis & animi ægritudinibus. Porrò concludendum quid habes ea de re, quam in creando omiſit rerum Conditor, cujus indiligens nullibi videtur imò provida ubique mirabilter ſapientia? de illa re fidenter affirmabis, neceſſariam illam non eſſe ad ſanitatem, amplius minùs rei ille eſſe utilitatis, quàm alteri quæ a Deo creata legitur: cum enim in neceſſariis deficere nuſquam ſolitus ſit benè providus rerum Conditor, ea re carere debuiſſe terrarum orbem affirmare licebit, a qua creanda ille abſtinuit; atqui creatas fuiſſe aquas expreſſis verbis teſtantur ſacri codices, qui de creatione vini altè ſilent; vinum ergo præ aqua inutile aut noxium eſſe ratum ſit. Sed noxium eſse docet creationis ratio, hac enim patet ſanitati tam contrarium futurum fuiſſe vinum, quàm vino contraria aqua eſt; quod enim Creator ſervandorum operum ſuorum indoli convenientem maximè aquam judicaverit, ideo certè quia ejuſmodi erat iſthæc indoles, quæ aquoſorum acceſſu gauderet magis, proindeque quantæ utilitati aqua fuiſſet, tam certo vinum fuiſſet diſcrimini. At diſcrimen illud eſt, cui in dies objicitur hominum ſanitas, ex quo in potum vini mos inolevit; imo vini non tantùm, ſed & vinoſorum liquorum, quos ex fructibus cerealibuſve parari docuit erudita nimium palati ſagacitas: quæ enim in humido & molli poſuit Creator corporis humani partium ſtamina, mollibus, inſulſis & aquoſis proinde alenda, hæc eadem mergunt noſtri homines duris, ſalſis, arentibus, urentibuſque ſuccis; qua prævaricatione in Creatoris inſtitutum peccatur, ſimulque in ſanitatis res delinquitur. Revera non aliunde venit ſanitati periculum majus quàm ex imperfectis aut inabſolutis ſuccorum digeſtionibus, qui ſemitriti aut craſsè ſubacti, ut viſceribus repagula parant, *ſyſtaltica ſolidorum* vi moleſtias mille offerunt & *reſiſtentias*; tum ſuas cum *excretoriorum* capacitatibus & *diametris* proportiones perdendo & modulationes, *ſyſtaſes*, impedimenta, *ſtagnationes* committunt & obſtructiones, quæ tædia apportant ægrotantibus, medicoque crucem figunt. Hæc omnia vitiatæ primæ digeſtionis infelices fetus, aut conſectaria ſunt, primam enim digeſtionem uſu vini lædi, perverti & retardari tam frequens, quàm ſolitæ ſtomachi *eruditates, ructus, flatus, vomituritiones, colicæ, diarrhœæ*, quæ vini potus familiares alumni, cujus uſu ut enaſcuntur, ſic illius abſtinentia vaneſcunt. In *acidum* quæ committit vinum malorum cauſas refundi vulgare eſt iis, quibus moris eſt unos rerum ſapores accuſare, quo titulo nobis quoque vinum damnabile venit; at aliunde pejus audit, a ſua enim partium modificatione habet unde ſanitati offendiculo ſit aut periculo. Salinæ ſunt plurimæ vini partes, duræ proinde, rigentes, fragileſve, quas qualitates ſi conferas cum neceſſariis ad nutricationem corporis conditionibus, quàm longè ab alituræ ſcopo illas abeſſe ſtupendo miraberis, quàm potens aut firma ſit oporteat ſtomachi virtus, quæ rem tam diſſentaneam domat in dies aut domandam habet, quàm adhuc firma conſtanſque *ſyſtalticæ* vis energia, quæ in terendis, rigidis, duris & fragilibus ſuccorum particulis ſic ſuperat, ut illas in molles, lentas & ductiles fingat, figurer, levigetque. Huc ſaltem tendit in terendo naturæ conſilium, in hocque uno occupatur illius labor, qui ſi caſſus evadat aut improſper, nutricationi ſe dant non numerandi obices; hinc enim illinc tum in *ſolidis*, tum *in fluidis* cumulando ſe ſubactæ malè acidæ particulæ, horum & illorum *ductilitati* moræ ſunt, quorum utrorumque fluiditati, mollitudini, flexibilitative ſunt impedimento. Præter quam quod enim ſua rigiditate cogunt partes & indurant, qua ratione illarum dilatationi, productioni, ductilitative obſiſtunt, hac eadem partium modificatione *ſyſtaltica* illarum vi adverſantur. Porro de alimento illo

quid

quid ſtatuendum putabis, unde alendis partibus ſuus *elater* perit, ſua flexibilitas, nativa denique ſua oſcillandi virtus? de illo affirmabis aptum eſſe maximè ſiccandis indurandiſve partium ſtaminibus, longævitati proinde contrahendæ & accelerando ſenio opportunum: cui ſi addas incommoda, diſcriminave, quæ ex tardata aut imminuta partium oſcillandi vi exſurgunt, cauſas habebis imminutæ aut imminuendæ hominum longævitatis, inſimul & morborum quibus aſſiduè conflictantur origines: quorum malorum prodromi aut argumenta erunt ſtomachi infirmitas, ructus, flatus, vini potus familiares, quæ frigido (ut ait hominum vulgus, qui vulgus hac in parte frequens & multus eſt) ſtomacho attribuunt, ut ut revera rigere incipientium & *ſpaſmoditè* affici fibrarum ſtomachi ſigna ſint; vitia enim ſunt quæ importat vini potus, immediato nudoque ſuo cum ſtomacho contactu, ſiccando, ſtringendo nimiùm & contrahendo viſcus illud animalis œconomiæ princeps, quod cum ſit omnium membraneum maximè, nervoſo generi univerſo commodo aut incommodo inprimis eſt: hinc ægritudinem ferè quarumlibet origines a ſtomacho naſci tam vera ſuſpicio eſt, quàm certa fides a *ſolidorum* (quæ nervi ſunt) vitio maximam morborum partem oriri.

Ominoſum autem eſt id genus in nervos vini effectus, partium enim fibras vellicando ſemper in contractionem jugiter illos inclinat, unde *ſpaſtica* membranarum *diatheſis* continua, qua in *ſpaſmum* aleſcunt, in quo quot affectionum morbidarum genera radicentur norunt in *hoc piſtrino verſati*, periti nempe medendi artifices; ſed ab iſthac eadem in contractionem aſſidua inclinatione rigere diſcunt nervi, ſicque citiùs induunt ſiccitatem, aut ſuæ denſitatem texturæ, quod anticipatæ ſenectuti præludere eſt. Huic incommodo cautum fuerat a Creatore tuendo terræ paradiſum a vino, unde homini primævo tranquillè & meditando illic otiari ſoſpite vita aut ſanitate licitum fuiſſet; ſed nunc ſecus eſt, præterquam quòd enim lapſo homini laboris pœna juſſa fuit, hæc eadem, concedente Creatore qui ex malo bonum elicere novit, in neceſſarium ſanitatis auxilium verſa illa pœna eſt, imo in remedium adversùs illum malè ſanum vini effectum. Tanti eſt corporis exercitatio! qua excitatæ partium fibræ, a ſtupore, ſiccitate & iguavia præſervantur, quæ vitia nervis vinum invehit; reipſa facit motuum reciprocatio quam alit corporis labor, ut conſtans & firma pergat ingenita partibus *ſyſtaltica* vis, quæ ſic alternata oſcillare ſueſcit melius, molliùs, & diutiùs. Hinc animadvertere eſt diſcriminum frequentiam aut ægritudinum quæ incurruntur diſcrimina, ex quo facta vini familiaritate otio torpere honori ducitur, eodem tempore quo otio mancipari nobilitati litare eſt. Qua ratione hinc factum ſit vitæ compendium oſtendendum eſt, obſervando fieri ſic ductitia minùs *fluida*, *ſolida*que fragilia magis, quod damnum ut ut ſit graviſſimum, in eo minùs, quòd *individuorum*, ut ajunt, conſervationem ſpectet, ſed quod inde enaſcitur alterum in eo majus, quòd ad ſpeciei durationem pertineat, ex duris enim, ſalſis, minùſque tractabilibus particulis coagmentati in viris ſeminales ſucci, iiſdem innutritæ in mulieribus ovorum ſubſtantiæ (hodie num enim vino quoque madere didicerunt mulieres) quid incommodi poſteris venturum non erit? inde duracina facta ſuis in germinibus tenellula partium ſtamina, futuris ſuis accretionibus aut augmentis inobſequentia fiunt, quod quantò poſteris hominibus vertetur detrimento ventura tempora oſtendent, quæ pro hominibus homunciones aut pygmæos, ni fortè pro hominibus puncta hominum aut compendia dabunt. Hæc ſi in minimis habenda videntur, in maximis erit hoc lacrymabile malum, ſeguitas nempe ſexuum aut ſterilitas duplex; in viris quorum organa imbuent prurientes magis & ſalaces quàm felices ſucci, in feminis quarum ova inſuccata malè in ſilentia ceſ-

ceſſent aut ſubventanea. Malumne gravius dabitur, quo hæredibus familiæ carebunt? hac tamen de cauſa, graviſſimum fiet adhuc, ſi (quod omen Deus avertat) feſtinantior inde mundo finis inſtaret, minui enim ceſſareve hominum generationes, extrema urgere mundi tempora augurium erit. Tot ac tanta mala ſunt quæ vinum & otia portendunt! quaſi parùm illis fuiſſet iliada morborum mundo invexiſſe, ni quoque internecionem hujus aut excidium minarentur.

CAPUT IX.

De ſymptomatum cauſis, ubi ex ſecretionum erratis aut allucinationibus deducuntur evacuationum turbamenta, miſcellanea ſuccorum & humorum adulteria.

DAtis his morborum originibus, dabitur hæc ſymptomatum doctrina. Symptomata non erunt exleges aut inconditæ motionum turbæ, ſuccorum enim evagationes quidem ſunt aut excurſiones, qui a propriis locorum, quibus nati erant, legibus dejecti, ditionis alienæ legibus extraneis ſubditi fiunt, cujus proinde nutibus & juſſis ſuum poſthac præſtabunt obſequium; unde ſi quid tumultus aut turbarum habent ſymptomata, ſi quid inopportuni præ ſe ferunt aut inconditi, non ideo quòd temerè ſe gerant aut nullis agantur legibus, ſed quòd ſerviant alienis. Naſcente morbo *diarrhœæ* prorumpunt, vomitiones, *hæmorrhagiæ*, has ut abnormes habebis evacuationes, ut pote cum ſub iis cogi naturam, a ſuiſque tramitibus dejici videas? at in hac ipſa inordinatione, ordo eſt, ordo *ſolidorum, fluidorum* inordinatio; dum enim a ſuis ſedibus emota illa ſuccorum portio, quæ per has evacuationes excernitur, locorum nativorum legibus viduatur, illorum ad quæ appellit obſequitur legibus. Igitur ex *ſymptomatis*, quidquid præpoſteri monſtrent aut moroſi, nulla ſunt quæ legum ſint exſortia, cum quocunque prorumpant ſucci, quibuſve allabantur oris, ſemper & ubique in *ſyſtalticam* vim incurrant, cujus potentiis aut ſubigantur aut arceantur, id eſt, ad ſua remittantur loca. In his enim duobus poni tota videtur legum ſumma, quarum ductu *ſymptomata* reguntur, omnia namque conamina ſunt, quibus aut ſuccos ſuos elaborare nituntur ſingulæ partes, aut adventitios, quos regere nequiverint, manſuefacere, hos aut cicurando, aut ipſorum reſtituendo natalibus locis; hæcque inſincera non erit *coctionum* idea, in eo ſitarum, quòd morbidi ſucci, partium in quas inciderunt potentiis facti obnoxii, manſueſcant, potentiis autem quæ tritus, ictus, & vires ſunt, ad quarum modos, ritus & leges agi ſe *fluida* patiuntur, ſin minùs facta ſibi determinatione aut impetu accito a *ſyſtalticæ* partium energiæ aucto niſu, ad ſua, unde deflexerant, loca regrediuntur.

Hos ut intelligas peregrinantium aut aberrantium humorum ad propria reditus, in mentem revocaveris ſitam eſſe omnem animalis œconomiæ *ſymmetriam* in æquabili, ordinata, conſtantivè *ſecretionum* partitione, proindeque in ſuccorum per univerſa corporis *ſecretoria* juſta diſtributione; qua ſui ſingulis partibus attributi ſucci, ſuas ibi ſtationes ſinguli ponunt, a quibus ſi receſſerint, moribus alienis aut legibus illis vivendum venit. Reipſa ut uniuſcujuſque *ſecretorii* proprius eſt *elater*, ſuuſque *tritorii* cujuſvis modus, ratio aut ritus,

tus, ita ſingulares ſunt vaſorum *diametri*, propriæque ſuccorum ſecernendorum maſſæ moles aut gravitates, quæ omnia tranſmutari aut alternari, *quadratis rotunda* aptari eſt; aliuſmodi namque vibrationis aut ritus eſt illa pars, quo tranſportatur, elocaturve ſuccus, cui proinde ad alienam legem aut normam degendum illi erit: hinc ut partibus alienus veniet & inſuetus labor, ita & ſuccis elaborandis forma accedet, aut compoſitura nova, rerum effingendarum exemplo, quæ pro varia typorum forma, diverſa induunt formamenta. Non diſſimilis *ſecretionum* ratio eſt, ſuccorum ſpecies & compoſituræ ſunt, in quas exit partium *occillatorius aut tritorius* labor, qui quantum ſub morbo fit diverſus ab eo qui ſub ſanitate exercetur, tantùm diverſi ſunt ab illis qui ſub ſanitate contingunt ii qui ſub morbo exeunt effectus.

Ex his intelliges ſymptomatum ſub febribus pullulantium infinitatem; enimvero quot inde naſcentur *fluidorum ad ſolida, & ſolidorum ad fluida* habitudines, tot *ſymptomatum* erunt ſpecies; interim pauca hæc erunt, ſi animo reputes *nervearum* partium *vibrationes*, *undulationes*, oſcillationes, unde tam multæ contingunt animali œconomiæ mutationes, quæ tam multa conſtituent ſymptomatum genera. Nec te movebit rerum paucitas, ad una namque *fluida & ſolida* referuntur, quæ gignendis tam variis aut multiformibus, qualia produnt ſe ſub morbis, paria non videbuntur, licet enim *fluidorum* numerum creſcere jubeas, ſecando ea primùm in *ſanguinem* & *lympham*, tum in *bilem* & *ſerum*; addendo quoque *ſeri* & *lympharum* ſpecies univerſas, quales erunt illinc *urina*, ſudor, *ſuccus pancreaticus*, hinc *lympha gaſtrica*, *nervorum* & *ſeminalis*, quò pertinent adhuc in feminis ſanguis menſtruus & uterina lympha, mucoſus ille *lacunarum* ſuccus, factaque mentione muci, omnia mucorum genera, quibus hument, rorantur aut molleſcunt partium parietes, *tunicæ*, *membranæ*, ſi placet invocabis, unde fluidis facias augmentum, certè hæc etiam univerſa cum ſymptomatum milliaribus conferre, parva magnis, aut infinitis pauca comparare videberis.

At iniquum eſt ex numero judicium; quàm enim brevia dixiſſes ea ſcripturarum elementa, quæ numero pauciſſima audiviſſes omnibus præſentibus & futuris voluminibus conſcribendis ſuffectura? de litteris ſic eſt quas viginti quatuor numero nullis non ſcriptionibus edendis ſatis eſſe publicum & compertum eſt. *Combinationum*, ut loquuntur, aut *copulationum* ars aut modus eſt, quò fit, ut res ſuis valeant minùs potentiis, quàm rationibus, naturarum ſuarum energiis minùs, quàm ſubſtantiarum *modificationibus* aut habendi modis; multiplices ſunt ſituum aut poſiturarum in rebus reſpectus, juxtà quos creſcit illis virtutis gradus. Hanc ad normam expendendo paucorum ex quibus corpora conſtant valores, in conſpectum venit, quàm multis effectionibus ex ſe depromendis paria illa ſint; duplici ex parte rubra altera, altera alba conſtare ſanguinem, paucum certè eſt (vix enim inferior datur numerus) attamen ex his duobus ſolitis ſitis variè, diverſimodè poſitis, evocatis aliorſum aut a ſuis locis & ſedibus elocatis, quàm multiplicia varii coloris aut formæ ſymptomata enaſci obſervabis? quæ ſanguinalibus arteriis debetur rubra pars, ſi *lymphaticas* ſubeat, hæc ſe dabunt ſymptomata, graves *hæmorrhagiæ*, ſi quæ evagantem partem rubram ſorbuerint *lymphaticæ arteriæ* in quaſdam cavitates deſinant, quales ſunt *pulmones*, *nares*, *uterus*, *anus*, quæ ſub morbis tam frequentibus *hæmorrhagiis* patent: ſi verò cæci ſunt arteriarum exitus, *ſtaſes* ſanguinis, *phlogoſes*, *eryſipelas*, *phlegmone*, *apoſtaſes* ſupervenient. Coloris aut naturæ alius erunt *ſymptomata*, ſi quæ *lymphaticis arteriis* debetur alba pars ab *arteriis* ſanguinalibus reſorbeatur, hinc enim factus ſanguis aut ſaburratus ſuperflua *lympha*, in glutinoſum & pelliceum faceſſit, factuſque gravis atque lentes-

ſcens *torpores*, *comata*, *lethargos*, *ſopores*, *laſſitudines* in *acutis* committet, in *chronicis* verò his ſuccreſcent *ſuffocationes*, *aſthmata*, *polypi*, *cordis palpitationes*, *obſtructiones viſcerum*, *tubercula pulmonum*, *glandularum tumores*, *infarctus*, *duritiæ*. Tam multa mala invehit ſanguis unus, unarum intra arteriarum limites oberrans, quàm autem plura, ſi ad alia quæ alterius conditionis ſunt vaſa tranſilierit? hæc nervi fuerint aut nervorum origines, intra quos *lymphatici* roris loco ſi adigatur pars ſanguinis rubra, *ſtagnationem* latenter alendo, arcanam inducet cerebro *phlogoſin*, unde *deliria* & *phrenitides*, ubi ſi ſui elateris arcani œſtro fervens *elaſticos* exſuffiet halitus, intra nervorum canaliculos, *ſpaſticam* faciet *diatheſin*, unde *tremores*, *ſpaſmi*, *tendinum ſubſultus*, ominoſa illa malignitatis ſymptomata, ut pote certa laceſſiti aut laborantis cerebri indicia.

Interim ſi memineris, quàm longè lateque per univerſam corporis compagem ſeſe diffundant nervi & nervorum appendices, *membranæ*, involucra, *tunicæ*, palam eſt eadem quæ nervorum incommoda ſunt, totius corporis eſſe mala: quo dato nunquid non intellexiſſe eſt, quam multis ſymptomatis anſam det & originem ſanguinis factus ad nervos excurſus, quos vel pondere ſtagnando moleſtaverit, vel quos incongruis imbiberit halitibus. Cum enim infiniti ſint nervorum nexus, undè ſua ſingulis partibus veniunt ſtamina, partium nullæ erunt quibuſcum ſua non communicent peccamina, hinc mille dolorum, moleſtiarum, tædiorumvè ſenſus, quibus dum ægrotantes angi aperte vides, rationes horum aut cauſæ in obſcuro latent, arcanæ namque ſunt *nervoſi generis* ægritudines, quas alunt *ſpirituum ataxiæ*, melius *lymphæ* nervorum *ſtagnatio*, *ſtaſis*, lentitudo, aut ſimiles *lymphæ* nervorum circulationis inordinatæ errores. Quod enim apud illos fidem non inveniet, quos in definiendis morborum *ætiologiis* unicè capit humorum craſſaminibus ſordidatorum viſcerum conceptus, copiam morborum dat maximam iſthic humor, cui corporis aut ſubſtantiæ vix hilum eſt, tam parùm habet ille molis & ſucci, ſic ut humoris infrequentius quam ſpiritus nomine indigitari illum moris ſit. Stupendum enim quotuplicia morborum genera ſint, quæ a ſpiritibus (ut loquuntur) exoriuntur, aut quæ deſinunt in ſpiritus, ſeu in nervos, in quos ut primæ ſic & ultimæ cadunt morborum ſcenæ: ſi ſuperaddis *acutas* eſſe & *chronicas* eſſe nervorum affectiones, ſtatim intelliges quam denſe creſcere queat morborum numerus qui ad nervos pertinebunt. Paradoxa ſi cuiqnam videbitur hæc opinio, veritatem illius aſſerit *fluidi*, (cujus conditionis eſt nervorum lympha) notio, quæ cum dum animalis œconomiæ ſerviendum fluido venit, in circulatione ponitur, iiſdem quibus ipſe ſanguis circulationis vitiationibus aut erratis obnoxia veniet nervorum lympha. Hùc fortè putares invocandis *ſalium* aut *ſulphurum* copulas, quæ *expoſitiones* pararent, ſed exploſis hiſce doctè delirantium chymiſtarum nugis, concepiſſe ſatis erit ſuos eſſe nervorum *lymphæ* impetus, ſuas moras, ſuas velocitates, ad quarum normam ſua regat itinera circuituſque ſuos, ut iiſdem, quibus ſanguis, circulationis erroribus ſubjacere intelligatur: porrò quam multipliciter tardari periclitetur & accelerari *lymphæ* nervorum motus, oſtendit inſignis ille elateris fundus & fomes, quo totum imbuitur nervorum genus, a quo nempè cæteris partibus venit quidquid preſſoriæ habent aut *ſyſtalticæ* virtutis. Ejuſmodi ſunt *laxi*, *ſtrictivè* varii gradus, juxtà quos tractatus, ſubactus aut impulſus diverſimodè nervorum ille ſuccus, ſuas aut ſervat *craſes*, aut induit *dyſcraſias*, tùm hùc aut illùc fertur, prorepit, inclinatur, undè verſis *oſcillationibus*, ſuccorum vertuntur ſapores, motuum mutantur determinationes, functionum ordo, ſeries naturæ peſſundantur. Abſtinebis enim à ſalium peregrinorum, quas ſæpiùs fingit medicorum vulgus, miſcel-

ſcelis, quibus adulterari tradunt humores, vitio enim huic invehendo ſatis eſt tractationis, tritus, elaborationis ritus alter aut novum genus, tam multarum artificialium rerum more, quæ pro varia qua ſubiguntur ratione, diverſo colores induunt ſæpè non tantùm, ſed & ſua perdunt ingenia, & formas mutant. Benè multorum certè ſymptomatum hæc erunt cauſæ, ſed plura dabit adhùc circuitionis lymphæ nervorum vitioſitas, *ſtaſis* præſertim illius, tarditas, & lentitudo, quod culpæ genus cum in ſanguine ſtagnationes committere ſoleat ſucco nervoſo pigritiem afferendo, ſimilia faciet vitia, ut pote quæ facit ſuccorum facta reſes aut ignavior circulatio. Quod enim ſanguinalibus arteriis contingit, quarum capillamenta obſtructionibus ideò obnoxia fiunt, quod illis ſolita ſit ſanguinis tarditas aut *ſtagnatio*, hoc ipſum incurrunt extrema nervorum fila: quod ut palam ſit, obſervabis nervos eſſe *arteriarum* genus, cui venarum ſanguinalium loco reſpondent *venæ lymphaticæ*, quæ arrepentem ad membranas nervorum *lympham* reſorbendo recolligunt, & ad ſanguinales venas reportant. Perpes & facile pergit id commercii genus, quandiù perſeverat æquabilis prima ab origine nervorum ad ultimos horum fines ſucci *nervoſi* curſus; at animò fingas, ſi lubet, a fervidiori ſanguine intra nervorum penetralia efflari vividiorem aut elaſticum nimis halitum, aut quod a vero abludit minùs, ſic intendi nervorum *elaterem*, ut pluries ſuos geminando preſſus, aut ſuas crebriùs iterando *oſcillationes*, lympham ſuam ſua versùs extrema cumulatiùs pellant & feſtinantiùs, hic illam ceſpitare, morari, lenteſcere oportebit, maximè cum lymphæ facto appulſu uberiori, quàm ut reſorberi queat, hærendum illi aut ſtagnandum neceſſario veniat. Porrò cum id omne quod corporis aut ſubſtantiæ habent corporis partes aut membraneum ſit ex membranis compactum, aut fundatum in iis, manifeſtum fit undè venit denſæ illius ſymptomatum catervæ quæ ad membranas attinent ſcaturigo, laſſitudinum imprimis quæ morbos prænuntiant, & comitantur, ut & dolorum omnis generis, *rheumatiſmorum*, *catarrhorum*, quæ affectionum genera ſunt, quas edunt & alunt ſucci *nervoſi* lentores, *ſtaſes* & ſtagnationes, quas ingurgitata faciunt ultima nervorum capillamenta; quò ſi referas adhùc male ſanos impeditæ *tranſpirationis* effectus, quos accerſit membraneæ cutis texturæ *ſpaſtica diatheſis*, principem habebis *ſymptomatum* originem, tam uberem quam copioſa *tranſpiratio* eſt.

Hæc quidem vera ſunt, interim cum ſub morbis corporis rerum ſtatus is eſſe ſoleat, ut alienati ſint, violati, mutatique vaſorum & *ſecretoriorum diametri*, concipi nihil vetat id factum fuiſſe vitii nervorum meatibus, quò iis aditum concedant ſuccis quos reſpuiſſent ſi quem a natura cotinuerant commenſum retinuiſſent; *miaſmata* ergò erunt tenuata ſuprà modum, *exaltata* & aerea, quæ *arteriarum ſyſtoles* exceſſu evibrata, intra cæca nervorum penetralia adigentur. In exemplum veniet ebrietatis ratio, in eo ſita, quod ſanguis tumultuantibus & peregrinis ſibi vini particulis fetus, in nervos eas egurgitet. Quod autem ſub morbis ſimile quid cerebro contingat, facit ratio triplex, *elateris* nempe cordis, quæ prima eſt, univerſæ partium vis *ſyſtalticæ*, quæ ſecunda, ſanguinis impetus & velocitatis, quæ tertia eſt. Is enim eſt corporis ſani *mechaniſmus*, ut *ſyſtaltica* vis univerſo corpori inſita, tum cordis elater, ut ut immenſæ ſint & inenarratæ virtutis, eam ſolùm inferant nervis & cerebro vim, qua tantillùm dehiſcant; ea menſura, ut humorem minùs quam umbram humoris aut halitum admittant, ebibantvè; hunc ad modulum ut iſthæc ſecretio ſuccederet, fecit natura ut mollis eſſet, ponderoſa, deprimique facilis cerebri moles & ſubſtantia, imò & conſpicua & obſervabili *elaſticitate* deſtituta, dubio procul ut circumquaque prementi cordis & partium univerſarum potentiæ

faci-

facilem tantùm opponendum *reſiſtentiam*, ſponte obſecundaret. De ſanguine in corpore ſano idem eſt, ut ut efficax, neceſſarius & coactus ſit illius circuitus, tam crebrò, tamvè multipliciter frangitur, temperatur, tardaturvè, ut paſſu ſuſpenſo & molli ad cerebrum advectus, halituoſæ ſuæ parti tantùm intromittendæ faciat locum aut inveniat; arcana & cæca loca ſunt ægrè dilatabilia, quæ proindè nehilum pandi aut dehiſcere intelliges, ni acceſſerit enormis potentiæ vis. At ſub morbo perit iſthùc prementis totius corporeæ molis & in cerebrum nitentis potentiæ æquamentum; facto enim per totam illam corpoream molem elateris augmento, cretoque in vaſis ſanguinis impulſu, dùm eo caret cerebrum unde creſcat elatere, quo arietantem in ſe ſanguinem abigat aut adversùs inſultus hujus ſe tueatur, emiſſitiis omnibus *miaſmatibus* patulum ſe dat atque pervium. Hinc infelices mille mixtionum artes, quibus fœdari poſſunt aut corrumpi puriores quoque vitæ latices.

Si tam multa ſymptomata ſunt quæ dant violati *ſecretoriorum* quæ latent diametri, pauciora non ſunt quæ edunt violata *ſecretoriorum* quæ patent oſcilla; exemplo ſint *bilis*, *ſucci pancreatici*, *lymphæ ſtomachalis*, & illius quæ *inteſtinorum* indigena eſt *ſecretoria*, unde veniunt diverſi colores, *colliquationes*, quæ *vomitionum & diarrhœarum* formas induunt, tùm & irrita in ejuſmodi colliquationes conamina, qualia ſunt, *nauſeæ*, *cardialgiæ*, *anxietates*, *anorexiæ*, quæ ab impeditis, ſuppreſſis, ſuffocatiſvè aut non prorumpentibus ejuſmodi ſuccis proveninnt. Enimverò ſub univerſali illa *ſpaſtica diatheſi*, qua ſub morbis laborant viſcerum bene multorum *ſecretoria*, alterutrum aut utrumque accidere conſequentia eſt, videlicet ex illis *ſecretoriis* alia eſſe quæ mutuatitios ab aliis ſuccos excernunt, alia quæ proprios & congeneres uberiùs fundunt; utrumlibet contingerit, in his habes non infrequentes liquaminum aut cruditatum ſcaturigines. Reipſa ſic cumulatis ſuprà partium elateris modum ſuccis, his ſubigendis impares erunt tritùs potentiæ, quas cum ſuperat materiæ terendæ copia: fruſtanei tritus fructus fiunt putida, peregrina & alienata ſuccorum eliquamina, quæ pro ſuis quos præ ſe ferunt coloribus, vultu & ſaporibus, hujus aut illius nominis & tituli *ſymptomata* conſtituunt.

In his agnoſces iniquas ſuccorum copulationes, veraque humorum adulteria, quæ rudibus aut novitiis faciendo fucum, turbas non minùs quam tenebras rebus medicis attulerunt; non enim alias ſcrutando invenies falſarum aut ſpuriarum *ætiologiarum*, *indicationum*, *obſervationum*, curationumvè cauſas: nec aliundè artis medicæ progreſſui moræ plus factum eſt; ſaltem humoris aut *fluidis* hinc factus honos, ex mirabili enim eliquaminum proventu, quem ſub morbis tam uberem, tamque frequentem & aſſiduum obſervarunt, opinio & fama fuit ab humoribus committi morbos, ſed quanto artis, artificum & ægrotantium damne norunt penes quod diſcerniculum eſt medicinæ illius quæ a *ſolidis*, ab altera quæ a *fluidis* ſuas leges & ſua tenet *theoremata*: revera idem eſt ac non cauſam pro cauſa, pro cauſis effectus poni; quodquè infelicitatis aut infortuni ſumma eſt, tractata ſic medicina erroris diſciplina aliquandò facta eſt, potiùs quam veritatis ſcientia, morbis enim ſpurios faciendo titulos & falſa damno nomina, illegitimis indicationibus anſam dedit, malèque ſanis medicaminibus immerita fecit nomina. Tot mala ſunt, quæ invexerunt inſtitutæ male ſymptomatum cauſæ, quæ in unis humorum mole & ſubſtantiis poſitæ, ab illo regente ſanam ſimul & ægram corporis œconomiam mirabili mechaniſmo averterunt medentium animos, qui circa plures humorum nænias miſerè occupati, medentis naturæ artes, modos & leges, quæ in *ſolidis* fundatæ ſunt didicere nunquam, aut dediſcere didicerunt. Humorum corruptelas dixe-

re,

re, quæ mera ſunt ſuccorum miſcellanea, ſuccorum, inquam, putridorum minùs quam a ſuis *ſecretoriis* declinantium, peccantium non in eo quod *dyſcraſias* conceperint, at in eo quod patrias linquendo ſedes ad alias ſint evagati, aut ad proprias confluentes & præcipitantiùs vim illis fecerint: ſi prius, indigenis viſcerum circa quæ declinant ſuccis additi, inauſpicatum cum his jungunt conjugium; ſi poſterius, ſuccorum (non quidem peregrinorum) denſando molem aut augendo fluentum, in exuberantias præcipitantur aut eliquationes. Exempla ſint hinc *coryza*, *ptyaliſmus*, *tuſſes*; illinc *diarrhœæ*, *vomitiones*, *dyſenteriæ*; hinc iterum *hæmorrhagiæ narium*, *uteri*, *hæmorrhoidum*, illinc *diabetes*, *gonorrhœæ*, *fluores albi*; ſub illis omnibus animadvertis uniuſmodi naturæ & nominis ſuccum, qui cumulatiùs ad propria cola affluendo, ejuſmodi committit eluvies; ſub his intueris ſuccos qui a ſuis *ſecretoriis* dejecti ad aliena feruntur, quorum ſuccos mole ſua, diſparilitate, & conſortio fœdant, inficiunt, vitiant. Igitur obſervabis non aliam eſſe ſymptomatum cauſam quam impetum, qui ſi juxtà ſolitas ſuccorum *directiones* feratur familiares erunt ſuccí qui viſceribus ſuis adigentur; ſecùs fractis *directionibus*; ordinationibus. impetus cæca vi aut incondito pulſu a nativis directionibus dejecti ſucci, quò non pertinet pellentur, tunc enim ad aliena ſibi eunt viſcera, quorum cum ſuccis coeuntes in incertas miſturas deſinunt aut infelices compoſituras. Atqui impetus a *ſolidis* venit, horum enim *elatere* exercetur, undè concludes in *ſolidis* eſſe *ſymptomatum* cauſas, & in *fluidis* ſymptomatum ſedes, cum ipſorum *fluidorum* ſitus ſint, modi & affectiones: affectiones autem quæ modo unius tantùm ſucci, modo plurium erunt; ita tamen ut morbidi minùs non fiant partium diſpoſitus, maximè cum ſive ab unico ſucco, ſive a pluribus qui in culpa fuerint violentur, non minùs vaſorum capacitates, *ſecretoriorum* diametri, & *ſecretionum* ſeries, tandem æquabilis partium commenſus, mutuumque æquilibrium.

Itaque quod medenti prætereundum non eſt, ſymptomatum cauſas quærere in *fluidorum dyſcraſiis*, *fixitate*, *volatiliſatione*, muria, ſalſedine, &c. ſcopulos & pericula mille inter medendum incurrere erit, dolo enim & errore plenum opus eſt, debellandam aggredi cauſam eo in loco, unde abeſt. Cave tamen contemptui habeas ſaporum vitia, hæc enim ſi *ſymptomatis* præeſſe ſit infrequens, aſſident non rarò; neque diffiteberis ex ſymptomatis graviſſima eſſe quæ chronicis morbis accerſunt longa tempora, ſub quibus longiori facta ſuccorum lenteſcentium mora, ſpatii ſit ſatis, ut ſtagnando aceſcant, primiſque & propriis morbi *ſymptomatis* ſecundaria addant & ſubſidiaria, ſed adjuncta hæc ſunt & appendices morborum, non legitima *ſymptomata*, tam parùm illis eſt ſimilitudinis cum iis ſymptomatis, quibuſcum morbi naſcuntur, quæque morbis ſuadant ſignacula, proprioſque formant caracteres: licet ergo aliquam quoque iſthæc ſymptomata ſuadeant curam, præcipuam non merentur, namque ſi diſcriminis aut moleſtiæ aliquid ægrotanti faceſſunt, a prima morbi cauſa alienum illud eſt, intutumque medici conſiliis, quæ ſi eò præcipue dirigeret, ſpe vana delufus, a vero indicationum ſcopo evagari periclitaretur.

Tutior incedet in *ſolidis* ponendo ſymptomatum cauſas, quas illi aperiet *ſyſtalticæ* virtutis culpa, qua ſiniſtrè aut præpoſterè triti quaſſativè irruentes ſucci, in fœda abeunt liquamina, unde tam multiplices illæ & multæ vacuationes quæ medico fucum faciunt, aut faceſſunt negotium. Fucum, inquam, ad illam enim ſtupendam humorum eluvionem, qui hàc illac prorumpunt hærens anceps, ferè adduceretur ut crederet fractas eſſe microcoſmi *cataractas*: ſaltem ſuſpicio fit laſſa eſſe partium ſtamina, ita ut gravantis in ſe humorum molis impatientia, oneri cedant, hinlcaque facta impactos & affluentes ſuccos labi ſinant,

nant. *Atoniam* vocitant id vitii genus quod laxitati partium tribuunt, debilitatem enim accusari moris illis est, quoties alicundè præcipitantiùs prorumpunt evacuationes; unde *astringentium*, *stomachicorum*, *cardiacorum*, *spirituum* & *volatilium* turbæ, quas immodicis evacuationibus curandis adhibere solent, quibus succedunt infelices *hæmorrhagiarum*, *diarrhœarum*, *sudorum*, *gonorrhœarum* & similium evacuationum appendices, exitialiaque consectaria [quæ committit in sistendis evacuationibus cura præcox, aut nimia medentis sedulitas. Meliùs hunc erudivisset ritè meditatus morbidarum partium status aut factus a morbo partium labor, cujuslibet enim sortis fuerit pars quæ in vitio erit, cujuscunque coloris aut tituli fuerint qui profunduntur succi, utrobique introspicere datur aliquid, quod *erethismum* sapiat. Huc spectat pulsus durus, *serratilis*, *phlegmonodes*, qui *hæmorrhagiis* comitem se dat, anxietudo, dolor, *borborygmi*, *diarrhœarum* affectæ non infrequentes, denique cruentatio quam facilè adeo contrahunt qui vacuationibus prorumpunt succi, *serosi* fuerint, *lymphatici*, aut *seminales*, hæc, inquam, omnia deprimi partium *tonum* aut fatiscere minùs ostendunt, quam angi partium fibras, pungi, vellicari. Omnis ergo *colliquationum* ratio (huc enim pertinent & referuntur evacuationum *symptomaticarum* plures causæ) in *spastica solidorum* oscillatione consistit, qua uberiùs ad *secretoria* præcipitati succi, pinsuntur frequentiùs, strictiùs premuntur, exprimunturque celeriùs & copiosiùs; facta enim *stasi* aut ingurgitatione in ultimis [*arteriarum* sanguinalium aut *lymphaticarum* capillamentis a fluidis festinantiùs huc accurrentibus, *secretoriorum* capacitatibus major fit quæ appellit *excernendorum* copia, cujus mole & præsentia molestata jugiter *secretoriorum* oscilla, in hanc excutiendam assiduè nituntur & arietant, unde pressus alternans qui non secus ac universalis oscillorum illorum *tenesmus*, stagnantes succos exspuit indesinenter, in hocque habes conamînum, molestiarum & evacuationum symptomaticarum conceptus.

Ad hanc normam si expendas focorum aut fomitum rationes, unde difficilium aut *chronicorum* morborum causas erui volunt, videbis quas vocitant humorum saburras, aliud non esse, præter stagnantium aut lentescentium succorum congestiones, qui suis *secretoriis* hærendo primùm tardantur, tùm cumulati in nidamenta morborum facessunt. Unde elicitur quam iniqua sit & veritatis proxima parùm illa medentium idea, quæ saburras humorum ponit in primis, ut loqui amant, viis, quasi in obviis & spectabilibus cavitatibus cespitarent morbidi humores, dum ubicunque stagnent, communes aut publicas neutiquam occupent cavitates, at suis singuli singularibus *secretoriorum* capacitatibus contineantur, unde per sua singulis oscilla stillandum erit, ubi evacuari indigebunt. Hinc adhuc intelliges quàm longè a morbi nido sua soliti sint adhibere vacuantia, quæ intra *stomachum* & *intestina* morbidos humores aggredi jubentur, qui in cæcis diffiti visceris meatibus densè hærebunt: alibi quàm oculis *collyrium* apponi certè est, at quanto periculo inferes, cum abdominis cavo comparando peripheriam; ex utriusque distantiis intelliges, cujus discriminis & incommodi erit, corporis centro admovere remedium, quod vacuando ei succo debitum est qui intra corporis habitum altè longèque delitescit; quantum aliunde crescet periculum si ex aliis succis coaluerint morbi nidamenta, quàm ex illis qui purgantium imperio obsequiosi sunt! sanguis enim hærebit intra sanguinales *arterias*, dum vacuando *lymphaticarum* succo dicatum jubes remedium; aliundene fluunt frequentiores heu nimiùm! fidi parùm, infelices & præposterè purgantium eventus aut effectus exitiales?

Ad hujus non aspernabilis *ætiologiæ* mentem tolerabilior videbitur notio illa vulgaris, quæ ex *pituitis*, viscis & glutinibus plurium morborum causis titulos

tulos facit, ejuſmodi namque ſpiſſitudines aut coagmenta refert aut æmulatur non malè illa lentitudo, de qua profert tam multa expoſita hactenùs morborum doctrina. Interim quàm longè hæc ab illa diſtet comperies obſervando tantùm eſſe diſcriminis ſanguinis lentorem inter, quem admittimus, & glutinum, quem reprobamus, cumulum, quantùm intereſt tubulos inter qui auguſtiſſimi ſunt *diametri*, intra quos hæret ſpiſſigradus ſanguis, & cavitates ſpatii ſpectabilis quas glutinibus & viſcis oppleri docent atque farciri; dum enim his publica itinera attribuunt, aut lata hoſpitia, intra cæcos vaſculorum receſſus aut inconſpicuas latearas ſanguinem lenteſcere oſtendimus. Ampliùs coagulorum aut *ſalium* (proſapiæ certè ancipitis aut originis dubiæ) feturæ ſunt iſthæc glutinum genera, dum ſanguinis ſpiſſitudo partium preſſus, quem palpant videntque ſenſus, certum opus ſit aut neceſſarium: tandem ſuis in glutinibus: aut coagulis unas elevant *fluidorum* virtutes, dum in ſanguinis lentore in conſpectum damus *ſolidorum* potentias. Verbo definiri cupis poſitum inter utramque doctrinam diſcrimen? alio quàm veritatis altera, altera non alio quàm veritatis fulcro fundatur; alterius enim parens nihilum aut mendacium eſt, parens alterius comperta eſt veritas.

Equidem *ſymptomata* benè multa alia ſunt præter ea quæ in *colliquationibus* aut in evacuationibus conſiſtunt, quæ omnia præterquam quòd per ſingula perſequi faſtidio foret, ex illis nullum eſt quod in *ſolidorum* potentiis non habeat cauſam, melius quod ab *elateris* nimietate aut *ataxia* ſuum non ducat ortum. Huic aſſertioni fidem faciunt *flatus*, de quibus apud ægrotantes tam publica querimonia eſt, cum nullus ſit morbus, ſive de *acutorum*, ſive de *chronicorum* numero, ſub quo *flatuum* ſenſus non ſit aut opinio. Interim ſi attendas, hinc quàm parùm corporis aut materiæ quod habet tantilla iſthæc aeriæ ſubſtantiæ portio, illinc quanta ſit illius in diſtendendo vis, intelligere promptum eſt, aliunde quàm a *fluidis* proficiſci *flatuum* cauſas; reipſa undenam hæ fluerent quàm unde manant *flatuum* energiæ, quæ quia in *exploſione* & *elaſticitate* ſitæ ſunt, repetendæ ſunt unde naſcitur omnis *elateris* virtus, hoc eſt, a *ſolidis* aut horum preſſu, qui ſi aberit, ſua peribit *fluidis eclampſis*, ſuus cadet impetus, nihilominus tamen concedent artis uſu periti non paucos eſſe morbos, ſub quibus *flatuoſus* manifeſtè ſanguis obſervatur, de quorum cenſu erunt *febres albæ* & *hyſtericæ affectiones*, ſub quibus qui mittitur ſanguis tanto proſilit impetu, illaque ſplendet purpura ut arteriarum magis quàm venarum ſanguini affinis videatur; *flatulentiis*, ut ajunt, ſeu *elaſticis* ſpiritibus adeo rutilans aut turgidulus eſt! at ut huic obſervationi quoque annuimus, edocet *fluidorum* conditio, quidquid illis ſit potentiæ, id omne *ſolidis* acceptum venire referendum; illorum ſcilicet impulſui, quo ſi carerent *fluida*, ut ut ſpirituum copiis turgerent, ignava jacerent aut inertia. Sed id vitii caperent inprimis tenues *flatuum* halitus, qui conveuienti maſsa deſtituti fulcro ſufficienti carerent, quo in diſtentionem niterentur. Igitur quod dolorum, diſtentionum & anxietatum ſenſibus afficiant flatus, id potentiæ ab *elaſtico* membranarum preſſu aut *ſpaſmo* habent. Poſthac a cruditatibus arceſſere *flatuum* cauſas, ut error eſt, aut malè poſita cruditatum notio.

Cruditas aucti ſepiùs quàm remiſſi caloris nomen eſt, quod ſi cum politioris phyſiologiæ eloquio quadrare minùs videatur, ignavi minùs aut fatiſcentis, quàm irati aut *ſpaſtici elateris* dicitur vitium. Crudum ergo eſt quod tritum perperam eſt aut malè ſubactum, quo ſenſu cruditas erit præpoſteri, celerioris fortè, ſaltem inconditi tritus effectus; ii namque trituræ ſunt ictus, ut ſi crebriores fiant, feſtinantiores, fortioreſve quàm par eſt, denſent non pinſant, eliquent non inſpiſſent; eadem ratione, qua coctio mollis, ordinati & regularis

tritus eſt opus, a qua mollitudine ſi fiat receſſus, dum in ipſo vaſorum gremio in viſcida, lenta & tenacia glomeramina faceſſit ſanguinis alba pars, quæ in levem, dilutam & halituoſam *lympham* tenuanda erat, qui ſinceri, fluxiles & defecati per *ſecretoria* effluxiſſent ſucci, malè morati excernuntur, præcipitanturve impurati; hinc ſpuria mille ſuccorum conjugia & infanda humorum adulteria, quæ ſuis ſymptomatis tingunt mille coloribus, mille tegunt formis, ſimulant incerto vultu, ambiguaque veſtiunt imagine.

CAPUT X.

De morborum ſolutionibus, criſi, judicationibus, ſucceſſionibus. *Ubi de* apoſtaſibus, phlegmonodibus, eryſipelaceis, lymphaticis, *&c. Tum de* exanthematis, vibicibus, variolis, purpura, morbillis, *ſimilibuſque ſanguinis a ſua circulatione malignè delirantis aſperginibus.*

HÆ ſunt ſpuriæ humorum copulæ, quibus ſolvendis ſtudet natura, quo ſenſu nihil aliud eſt univerſa morbi periodus, quàm exercitatio naturæ in atterendis, dividendiſve ejuſmodi ſuccorum coagmentis; cumque hac de cauſa natæ ſint illæ coagmentationes, quòd ſuas ſucci deſerendo ſtationes ad alienas tranſierint, ubi ſe ſuaſque miſenerunt vires & ſubſtantias, in eo verſatur omnis curantis naturæ labor, ut ea fiat diſſociatio, qua propriis quique ſucci ſtationibus aut *ſecretoriis* reſtituantur; in hocque morbi *ſolutionem* habebis aut *judicationem*, operationem videlicet naturæ, qua ſenſim ſua *functionibus* ſeriæ reddita, ſuum ad ordinem redit univerſa corporis œconomia; iſthæcque fuerit curationum ordinaria ratio, qua intra ſeptimanarum aliquot periodos, quotidie vides per inſenſilia corporis ſpiramina finiri morbos, facta nulla criſi, ſuperſtite *apoſtaſi* nulla, nullave relicta morbida appendice. Secus erit, ſi ad propria *ſecretoria* ſuo ſuccis negato regreſſu, horum molle illud naturæ regimen detrectantium impetus fit aut inſilitio versùs publica quædam *ſecretoria*, quò tota mole ſua aut copia irrumpendo, diametros cogunt, ſibique faciunt exitus per *alvum*, *urinas*, *ſputa*, *ſudores*, loca nempe ad quæ natura *vergere* ſuevit, viaſque quas ſequi amat in inſtituendis ſuis criſibus: quæ ſi parùm ſuccedant, aut infeliciter, in mancas deſinunt *criſes* & imperfectas, inchoata opera quæ aggrediendo fecit non perfecit natura, *judicatoria* ſunt non *judicantia*, unde linquuntur *poſt morbos reliquiæ* quæ *recidivas faciunt*, medicoque & ægro novas figunt cruces; partium, viarum, viſcerum aut *glandularum* infarctus erunt, impedimenta, *apoſtaſes*, quæ in *metaſtaſes*, *phlogoſes*, tumores, inflammationes & *abſceſſus* exibunt vel in *chronicos affectus*.

In his recognoſces felicia heu nimiùm difficillimorum morborum ſemina, infelices nempe morborum *ſucceſſiones*, aut ſecundarios ex primis decidentes morbos, in eo malè moratos futuroſque rebelles maximè, quòd aut laſſæ, fractæ aut interturbatæ naturæ opera ſint, interturbatæ quidem, ut pote quam ab illius ſcopo, conſiliis & finibus præverterit fortè auſum medentis, aut nimia diligentia, quæ naturam ad alias quàm quas meditabatur vias cogendo,

alias

alias quàm quas amat jusserit leges; lassæ verò, in quantùm sitis procul aut longè positis vasorum extremitatibus, quò secernendi succi progrediuntur, titubare illis incedendo contingit, unde *solidorum* oscillationibus mora fit & *fluidis* lentor, a quo prima morborum initiamenta. Imminentia hæc in incedendo *fluidis* cespitandi pericula admonent itineris prætercurrendi longitudines, fatiscere enim moris est elateri canalis qui longiùs ducitur: porrò canaliculorum, intra quos circumducuntur secernendi succi, longitudines cogitando assequeris, mente comparando longa quæ sunt a corporis centro ad *peripheriam*, quæ *transpirationis* sedes est, intervalla; si namque ex particula pollice lata, trecentas & ampliùs circumvoluti tubuli ulnas evolvere datur, quot ulnarum milliaria augurari fas erit in tam ampla densave partium intercapedine? valeret minùs hoc argumentum, si canalis esset ductus unici, directionis unius, situs, pronitatis & inclinamenti similis; sed de arteriali canali non sic se res habet, supra numerum omnem sunt quæ facit glomeramina, variæ illius capacitates sunt, diametri diversi, qui in sanguinalibus *conici* sunt, in *lymphaticis cylindracei*, tot inter ambages & repagulorum genera, vix ullas concipies tardandi artes, vix illa motuum scandala, quæ non incurrat sanguinis circuitus, antequàm illi intra cutis spiramina expirare contigerit? interim hæc adhuc pauca erunt, si respicias ad illam non numerabilem tubulorum copiam, sanguinalium & *lymphaticorum* in quos finditur, & *nerveorum* in quos definit, adeo ut canalis arterialis, fistuloso tubo similis hinc illinc in canaliculos laterales dehiscat, intra quos parata natura posuit tuendæ sanguinis circuitioni varia subterfugia; putabis enim laterales illos canales sua præterfluenti per principem arteriæ caudicem sanguini patula offerre oscilla, quæ ut pote *elastica*, ejusmodi modulationis erunt & diametri, ut sint *sphincterum* instar, quæ quod capacitatibus suis admensum fuerit admittant ultrò, combibantve: at insimul in iisdem cuniculos multiformes in illis recognosces, intra quos se recipiant qui hærebunt cespitabuntve morbidi succi; hique recessus erunt, in quibus nidulabuntur secundariorum morborum fomites, qui primariis succedent, aut qui his se dabunt appendices, in eo ab illis diversi, quòd ad alia quàm quò ibat secretoria transeundo, viduatus *transpiratione* succus, ad loci quò irrepsit ingenium, morbum effingant.

Morbis ergo qui aliis succedunt titulos & nomina dabunt, hinc vasorum conditio, in quibus primas hxerint sedes, illinc succorum indoles qui cuneati fuerint aut adacti; si illius sortis vasa sunt quæ in cavitatem aliquam desinendo dehiscant, in cavitatem confluet qui hærebit succus, suique generis *fluidum* aggerendo, fluido illi congeneres faciet affectus; hinc congestionum, *apostasium* & abscedentium omne genus, inprimis variæ *hydropum* siccorum & humidorum species: enimvero contingat sub *acutis* morbis, quod norunt artis prudentes, ut stagnando diutius sanguis in ultimis *arteriarum* sanguinalium capillamentis, *stasin* illic pariat & alat, pressus vasorum impeditorum fiet & oscillatio crebrior, quæ *resistentiis* ejusmodi frangendis facta impar, absolvendæ ad corporis *peripheriam* eunti circulationi impar quoque fit; at hoc assiduo pressu eò reflexus qui a tergo venit sanguis; ubi sentit resistentiæ minus, sua tenuiori parte refluit ad obvia facta sibi patulaque *lymphaticarum arteriarum oscilla*, quæ subeundo uberiùs, ad eas confluit partes aut cavitates in quas definunt, hasque eumulando, *hydropem* committit humidum, si stipatus nondum omnimodè sanguis, succosam adhuc sui partem a se linquit abire, *siccum* verò, si penitiùs inspissatus sanguis, instantibus *oscillationum* verberibus indulget tantùm flabiles materies, quas pressionum vi expressas a se elabi concedit, tumque *æolipilarum* ritu, intra sanguinalia vasa, quæ *stasis* isthæc occupat, a coercitis halitibus iisque

que everberatis, jugiter accensis & deflagrantibus, flabra ingenerari concipies, quæ ad partium cava aut membranas efflando *tympanitidem*, *emphysemata*, & ejusmodi *flatulentias* mille committunt, quæ acutis morbis accedere observantur aut succedere: sed & horum exemplo, tot non minùs morborum causas habebis qui aut *chronici* sunt aut *chronicorum* appendices, cujus familiæ sunt *asthmaticæ* & *colicæ affectiones* siccæ, tum *hysterici*, *hypochondriaci*, & *splenici* morbi, denique *ructus* & *borborygmi*, quæ omnia aut *flatuosi* morbi, aut *flatulenta* sunt symptomata.

Ejusmodi fit *lymphæ* secessus, quoties ad illa effertur hæc vasa quæ in aliquam cavitatem desinunt, secus autem cum a suis itineribus dejecta lympha occupaverit media vasorum loca, ea nempe quæ ipsam constituunt partium substantiam, antequam fines suos aut exitus attingant, tunc enim mediis vasorum capacitatibus intercluſa, aut mediis carnium *parenchymatis*, ubi *excretionis* aut exitus exsors lympha est, intra flexuosos vasorum ductus textusve lentescendo spissescit eò facilius, quòd mora illius copiaque lassus vasorum turgentium elater fatiscat tandem, unde molles illi & ignavi tumores, quos *œdemata* si particulares, *leucophlegmatias* verò & *anasarcas*, si universales fuerint, nominari vulgare est.

Hæc partis albæ sanguinis a circulantis illius massæ fluento dejectæ mala erunt, quæ acutis expirantibus succedere solent; at sua quoque affert rubra pars, cum ab arteriis sanguinalibus repressa ad *lymphaticas* abripitur, quod *acutorum* initiis accidere familiare est: *hæmorragias* intellige aut sanguinis *excretiones* per *nares*, *pulmones*, *intestina*, *utrum*que, quas hostili cuidam & peregrino *volatili spiritui* imputare amant *humorum* non avari cultores, sed quas revera facit *spastica* facta sub morbis, quæ sub sanitate *systaltica* vis erat. Primus enim *spasmi* morbos inchoantis effectus aut fructus est contractio vasorum, horumque capacitatum facta minoratio, quæ proinde solidæ sanguinis quantitati admittendæ factæ impares, fluento illius aut circuitui obicem ponunt; sub his turbis a vasorum capillamentis ad majora vasa refluxum aut *anadromen* fieri jubet *mechanismi* ratio, qua fit ut alicundè retroversum *fluidum* eò sponte feratur, ubi plus habebitur spatii, imò eò versùs necessum illi est altera de causa, qua *continenti* necessariò convenit ampliùs esse *contento*, undè consequitur strictioribus factis arteriarum capillarium *capacitatibus*, sanguini opus esse, ut ad latiora, si quæ se facilia offerant, spatia se conferat: at ejusmodi sunt hinc majores *arteriæ* sanguinales, illinc *lymphaticæ* quas de se emittunt, quæ cum aquato succo ductui sint, faciles in se præbent ingressus, hique sunt quos subit repulsus sanguis, at qua ratione his exiliat vasis ambigeretur, nisi illius conditionis esset *lymphaticarum* arteriarum pars non minima, quæ in parentes desinit exitus; si enim *lymphaticæ* arteriæ sunt quæ continuo ductùs tractu in *lymphaticas* facessunt venas, hiatibus proindè aut oscillis defectæ quibus *excretionis* vacare queant, de *lymphaticarum arteriarum* numero aliæ sunt non paucæ, quæ ut potè *secretoriæ*, (*viscerum* nempè *serosis*, *mucosis*, & *lymphaticis secretionibus* dicatæ) patulis exitibus & oscillis naturâ suâ donantur, quibus serviant istis *evacuationibus*; hique hiatus erunt, quibus adactus sanguis poterit egurgitare intra *nares*, *pulmones*, *intestina*, *uterum*; loca quippe aut vacua sunt, obsequibilia, destitutaque fulcro quod pulso ad se sanguini repagulo esse possit. Porrò sanguinearum *excretionum* ratio, fulciminis absentiæ tam propria est, ut quæ illis *secretionibus* obnoxiæ observantur partes, omnes malè fultæ sint, ut potè cavitates, *vesiculas*, lacunas, intercapedines aut constituentes, aut iis applicitæ; hanc ob rationem si sua evacuatione defraudetur uterus, has aut illas partes cruentari videbis, at ex iis nullas quæ ex omni parte solidatæ

sint,

sint, aeri enim aut cavo cuipiam applicantur; illius sortis sunt *oculi & mammarum papillæ*, quæ sanguine stillabunt; ejusdem quoque posituræ sunt *pulmo & stomachus*, eos ideòque sputis & vomitionibus sanguineis fœdari frequens est. Interim cave despicias, quod de *anastomosi*, *rhexi*, *diapedesi*, *diabrosi* tradunt in enarrandis *hæmorrhagiarum* causis; artis enim eruditorum *archaismi* sunt non contemnendi, imò spectabiles in eo, retinendique quod cum illos invenerit ratis usus, servandos esse peritorum artis consilium sit: revera quod in *acutis* observari negatur, in *chronicis* tritum est, ubi sub *stasi* sudando sanguis varia edit succorum sudamina, quæ eructant violati *excretoriorum* oscillorum *diametri*; idnè a *diapedesi* tantùm abhorrebit? ad *anastomosin* autem, *rhexin* & *diabrosin* spectabunt multiplices vasorum vitiationes sub chronicis factæ a stagnantibus succis qui morando *fluorem* patientes, aut in acorem evecti, vasorum rupturas, attritus, erosiones, hiatus, dissociationesque pariunt, partium enim dissuta sunt, aut vasorum disjunctiones variæ, quas his vocibus innui voluit aut designari venerandæ patrum sapientia. Iterùm ad hæc rubræ partis sanguinis peccamina spectant *hæmorhoides*, miserabilis illa morborum nutrix & sanitatis enim, aut *acutis* quos movet morbis sæpissimè pessundat, aut *chronicis*, quos alit atterere solet. Quod *spleniticis* affectas se dent *hæmorrhoides melancholico* sanguini, quodque hic sit ater, sanguini usto attribuuntur, licet revera sanguinis fortè laudabilis, sed adacti, cuneatique progenies sint, cujus omnis vitiatio a morâ venit, sub quâ reses factus, circulationis inops & a vitæ penatibus exul, recenti chylo allui non potest, nec renovari, quin imò sic in ultimo coercitis vitæ confinio, ultraque universalis *systaltica* virtutis potentias aut imperium fatiscens, otiando putret, aut jacet. Hac de causa incommoda non pauca sunt quæ illis corporis quas obsident partibus afferunt *hæmorrhoides*, præterquam quod enim hic stagnans, cumulatusque sanguis mole sua & pressu perdit partium quas occupat *eutoniam*, undè multiplex abscedentium, ulcerum, fistularumvè genus; inde ad sanguinem necessario manat juge contagium, abreptæ nimirùm a prætereunte sanguinis circulantis fluento feculentæ & acentes particulæ, quæ sanguinis *eucrasiam* corrumpentes, motui illius immutando, tardando, impediendoque ansa fuerint; pejora tamen adhuc impendent hinc sanitati discrimina, exsuperantis enim sanguinis copiæ non incerta argumenta sunt *hæmorrhoides*, unde periculum eò majus, quod aperta illæ indicia sint ideò illùc relegari isthanc sanguinis partem, quia illi (tuta sanitate) intra majora vasa retinendæ locus defuerit non tantùm, sed & remeandæ spatium fuerit defuturum, adeò ut si fortè contigerit ut vanescant, vel oblitterentur *hæmorrhoides*, ad januas illicò pulset morbus; cujus causam admonet *hæmorrhoidum* originis hæc ratio. *Melancholicis* propria mala sunt, id est, sub eo corporis rerum statu fiunt *hæmorrhoides*, ubi fibras aut *solida* occupat *spastica* vis aut pressoria virtus, melancholiæ enim effectus est arcana partium constrictio, qua corripi, premique manifestè se sentiunt quos invadit iste animi affectus: at indè consequi necesse est vasorum capacitatis minorationem, quam proindè superabit quæ par autehàc, aut æqualis erat *fluidorum* moles. Hæc facta *fluidorum* cum *solidis* æquilibrio jactura, rumpendæ, perdendævè sanguinis circulationi occasio fuisset, ni huic incommodo adhuc caviſſet manca nullibi naturæ sagacitas, qua quod de vasorum latitudine perdit, illud in illorum longitudine lucratur aut recuperat, adeò ut *hæmorrhoidalium* pomœria aut longitudines exporrigat, extremitates horum prorogando, aut faciendo iis appendices, vesiculares nempe aut membraneos sacculos, in quos prominendo *hæmorrhoidalia* vasa, reconditoria parant, quæ sanguini a centro corporis pulso se dent in hospitia. *Hæmorrhoidum* aut exemplo discrimina disces, quibus discernas eas *apostases*, quæ

quam-

quamvis ab eodem humore, imo ab eadem ejusdem humoris parte committantur, varios tamen exhibent vultus; quæ enim *hæmorrhoides* facit sanguinis rubra pars, hæc eadem inflammationes facit & *erysipelata*, eo discrimine, quod intra unam unius supra modum dilatati vasis capacitatem concluſus sanguis det *hæmorrhoides*, sanguis verò intra plurimas vasorum capacitates dispertitus, adactusvè *erysipelata* pariat & inflammationes. Hæ autem ambæ hac altera a se invicem ratione differunt, sanguinis enim flos est qui *erysipelatis* est materies, illius succosa pars quæ in inflammationis materiem cedit: interium utrobique animadvertis varia a suo circuitu sanguinis disjectus genera; hic tenuem, illic crassiorem habes sanguinis partem; quæ hic capacitate unica, illic in pluribus capacitatibus hæret; at ubique sanguinis unus est, imo hujus una rubra pars, quæ a communi circulantis sanguinis fluento recessit. Hinc lex aut norma veniet qua discernas sub morbis sanguinis statum aut crasin, a *stasios* nempe, *stagnationis* aut lentitudinis illius ratione, loco, locique ingenio, unde auguraberis, quos stagnando sanguis faciat sibi sapores, ut ut sincerus, illibatus, aut laudabilis fuerit, quam induat habitudinem, quæ vitia contrahat; hæc enim omnia tibi revelabunt partium singularum quas occupat stagnans humor, singulares oscillandi ritus, modi, consuetudines, unde sui fient stagnantibus succis caracteres, energiæ, potentiæ, sapores; reipsa, qui sub *phlegmone* in pus facessere ambit sanguis; *sphacelum* sub *erysipelate* minatur, putredinum enim species variæ sunt, quas edunt varii *oscillationum* modi, a quibus ut sua venit humoribus colorum *harmoge*, sua etiam cuique fit indoles, suum cuditur temperamentum.

Sunt & sortis alius, de quibus inter artis peritos conveniet, *apostases*, quarum aliæ *acutis* assident, *chronicis* aliæ; prioris census sunt *parotides*, posterioris *glandulæ* duracinæ, *strumæ*, *carcinomata*; quæ stagnatæ lymphæ opera sunt aut notacula. *Glandulæ* enim *lymphatici* laticis sedes quidem & promptuaria sunt, sic tamen, ut illis cum *lympha* conveniat quæ fluxilis fuerit, sin minùs quod sanguini, hoc ipsum *lymphæ* accidit, *stasis* nempè aut *stagnatio*, undè sui fiunt aut proprii glandulis tumores, quibus ingenia faciunt, naturas & discrimina situs, locorum, tritus & oscillationum differentiæ. Undè quod *tumoribus* qui a sanguine nati sunt, idem illis qui a *lympha* oriuntur, contingere observatur, horum enim alii *pultiformes* in se condunt succos quos unica & ampla cavitas complectitur; quo spectant *atheromata*, *steatomata*, *melicerides* & omnia *panorum* genera, alii stagnatos condunt succos intra tubulos singulares dispertitos, quo pertinent *parotides*, *strumæ*, *carcinomata*, quæ omnia in pus urgere inclinarevè ideò intutum & improsperum est, a quibus sæpe pus non magis, quam a pumice aquam obtinebis. Itaque ut *erysipelas* quod *suppuratoriis* medicaminibus tractaveris in *sphacelum* aut gangrænam vertitur; sic in *carcinomata*, *strumas*, hæcque utraque in ulcera *dysepulotica* mutabis, si illa suppurationi subjicere attentaveris. Diversam autem horum tumorum indolem, aut varias in illis naturæ *vergentias* efficit diversa partium quibus insident pressio; fuerint laxæ partes, cujus sunt generis quæ sunt membraneæ, *vesiculares* aut loculosæ, ut potè divelli faciles aut dilatari, tunc *glandulæ* quibus intùs membranarum superficies, *lympham* qua abundè turgent affatim eructando, ex partium loculamentis unum aut alterum tumulant, distendique cogunt ac dilatari, medioque hoc intervallo aggesta *lympha*, ibique a *membranarum* quibus cinguntur pressoria *systole* distans nimium, ictus illius quibus a corruptela servaretur, non sentit, hinc segnescit, torpet, & abit in *fluorem*, aut in acorem vertitur, a quo vitiata *lymphæ* fibrata pars turbatavè diffluit, in pultisque speciem vertitur: de illa *lympha* non item, si intra privatos aut singulares tubu-

los

los cuneata diſpertitur, ut enim denſioris compacturæ, & majores eſſe ſolent *glandulæ* (quibus *ſtrumæ* v.g. inſident) intra ſtrictiſſimas *vaſculorum* capacitates coercitæ, illorum preſſoriæ *ſyſtoli* viciniùs ſubjicitur, vegetiùſque & immediatiùs, ſicque frequentiùs icta, eadem ſui parte & eodem loco, ſituvè everberata jugiter fibrata illius pars tam ſtrictè pinſitur, ſtipaturque adeò ut quod fluidi habebat exuens in *ſolidum* quid faceſſat, inde duracinæ *glandulæ* & *ſcirrhoſa phymata*, hinc enim elici *ſcirrhorum* quoque rationes, cauſas, origines conſequentia eſt. At verò ſi fluidi illius lenteſcentis ceu ſpiſſeſcentis *lymphæ* tardantem motum exſuſcitari contingat aut urgeri, progreſſui motus illa inobediens, ſuum in vaſorum quibus hæret latera impetum vertit, quæ pandit, dilatat, effringit tandem, factumque ſic impeditæ *lymphæ* effugium ulceri ſedem figit & medico crucem; *ſpermaticæ* enim geminæ ſunt partes quæ in vitio ſunt, hinc *fluidæ*, *lympha* videlicet, illinc *ſolidæ*, tunicæ nempè vaſorum; alianè ſunt cicatrici obducendæ contraria magis? vaſorum enim hiatus aut violatos illorum *diametros* medicaminibus comprimi ultroneum ratione ea eſt, qua dilatato nimiùm elateri ad ſe redire eſt ſpontaneum; at illorum effracturas farcire unquam, adunare aut reconcinnare fere inconceſſum, ut enim vulneratæ ſanguineæ partes ſuo cum glutine ſuccum eructant, ſic ruptæ detritæve *ſpermaticæ* partes agglutinationi averſum plorant ſuccum, ut pote quem in *acorem* illicò vertit aeris tactus. Porrò cauſas quæ tardantem *lympham* in motionem exſtimulent inopportune, habebis in ultroneo ſanguinis impetu qui a tergo pulſus & a corde veniens, in vaſa quæ impedit hærens turgenſvè *lympha* arietat, ſuumque motus impetum affricando *lymphæ* quæ emoveri inepta eſt, vaſorum quorum longitudines progrediendo neſcit emetiri, latera perrumpit; ni fortè illum ſanguinis impetum refundi, velis in medicaminum *aperientium*, *depurantium*, *traumaticorum* ſpuriorumque *ſpecificorum* male ſanas energias, quæ quos condunt mille *elateres* evolvendo, in ſanguine motus effrænes movent aut enormes impetus, qui hærentem urgendo *lympham*, vaſa hujus diſſilire cogunt.

At res inobſervata eſt, aut obſervanda magis, ad artis interim felicitatem faciens & artificis ſagacitatem, nimirum ex *apoſtaſibus* ejuſmodi aut tumoribus, quos poſt ſe morbi trahunt, quique in ſuccorum *fixitate*, ignavia aut pigritie fundantur, ex illis vix ulli dantur qui in arteriis non habeant ſedem, in iis ergo partibus quæ præ cæteris *elatere* magis pollent & robore; itaque in his tumoribus definiendis, flacciditates partium vel *atonias* prætendere, edentuloſq; ſuccos, vel pauperatos *ſpiritus*, alea & periculo plenum commentum eſt: ſed a *ſolidorum* preſſu nimio & *fluidorum* ingluvie, quod ſtrangulatus genus erit, ejuſmodi *obſtructionum* cauſas proficiſci, res ipſa loquitur. Hanc adjuvant aſſertionem aut illuſtrant *polyporum* formatura, ratio, locus: hos exhibent arteriæ, arteriacive canales & ipſum arteriarum caput, verbo, ea loca quæ alluit arterialis ſanguinis copia major, nullibi enim frequentiùs *polypi* occurrunt, quàm in *corde*, *pulmonibus* & cerebri ſinubus; quodque ad uterum confluere ſoleat magna ejuſdem ſanguinis arteriaci quantitas, *polypoſis* concretionibus ingenerandis obnoxius uterus eſt, quas *molas uterinas* vocitant. Huc quoque facit ſaxea facta ſanguinis durities intra *anevriſmata* obſervabilis, unde non obſcurum venit argumentum, ad concreſcendum proclivem maximè eſſe arteriarum ſanguinem, eapropter haud dubiè quòd parte alba, quæ nutricalis eſt, locupletior aut fetus magis, glutine magis abundat, quò facta ſibi primùm occaſione coaleſcant illicò partes illius & ſolideſcant: Atqui illa ſe dat occaſio, ubi agitari ceſſant & a motu feriantur, atteſtante de ſanguine ſuillo comperta obſervatione, qua illum a coagulo tueri volentes carnarii, ut ſuos parent ſanguiculos, a mactatione recentem quaſſant manu, tractant, agitant, ex quo inferes exemplo, *poly-*

poſa-

posarum concretionum occasionem esse aut causam agitationis perennis qua omnino opus habet *lympha* sanguinis cessationem, quæ agitatio cum a libera & molli *solidorum systole* exerceri soleat, ab hac coercita cessationem illam committi consectarium est; sed *systoles* illius exercitationem firmiùs coercet nihil aut obstinatiùs quàm *spastica solidorum diathesis*, quæ stringendo vasa & horum arctando capacitates, contentam in iis *fluidorum* partem, quæ relicta sibi in concretionem sponte propendet, inspissabit, solidabitque. Igitur *solidorum* aucta vis erit, eaque in actuosiorem sanguinem exercita, quæ *polypos* committet; quo cum si compares quas hactenùs infarctuum fecerunt causas, *indicationes* quas instituerunt, quæ paraverunt auxilia, vulgi errorum in medicina & medici peccaminum, tædiorumque & infelicitatum quas chronicis morbis succedere moris est, rationes habebis aut causas.

Temporis & operæ plus satis in tractanda infarctuum aut obstructionum doctrina impensum jam fuisset, ni ad partem morborum qui *chronici* sunt, maximam pertineret. Interim ulteriùs adhuc spectat, cum omnis *acuti* etiam morbi causa obstructio aut infarctus sit, quod enim in producendis *chronicis* præstat altera, quæ alba est, sanguinis pars, hoc ipsum agit in gignendis *acutis* tota sanguinis substantia; cujus in arteriarum capillamentis facta *stasis*, stagnatio aut ingluvies, omnia illa infert molimina, a quibus universa fluunt *symptomata*, quæ in febribus, anxietatibus, *colliquationibus*, doloribus &c. consistunt. Hoc ut intelligas meminisse juvabit, totam sanguinis circulantis vim aut impetum, ferri a centro corporis ad vasorum extremitates, hucque unicè eniti omne sanguinis fluentum, ubi si quid obicis senserit aut repaguli, tunc quæ eò ferebantur *oscillationes* ad corporis centrum regrediuntur aut nituntur regredi, hucque secum reflecti cogunt, quos ad habitum corporis dirigebant succos. Cogitabis aereo succosum vorticem, quem constituit hinc nervorum halituosa *lympha*, illinc sanguinis moles, hunc autem vorticem in hoc utroque consistentem, per *arterias* & *nervos* ad corporis *peripheriam* propulsum, ut inde per sanguinales & *lymphaticas* venas ad cor reflectatur; arteriarum fluido angusta viarum objecta erunt, nervorum verò spiritui quasi *pleuritides*, quæ pertranseuntibus fluidis dilatandæ venient aut aperiendæ. At si attendas cujus compacturæ, molis & pondetis sint *carnes*, *membranæ*, *pinguedines*, & similia quæ pandenda se dant, dilatandave & aperienda partium *parenchymata*, quam cæci, tortuosi & multifidi meatus, *porositates* & loculamenta quæ transmeanda sunt ut ab *arteriis* & *nervis* in venas felix integerque fiat *fluidorum* ad cor redeuntium trajectus, palàm veniet quàm sæpe, quamque multiplicibus modis & rationibus tardari, perverti, impedirique possit in vasorum finibus aut capillamentis sanguinis circulatio, qua morante partibus stagnatis succedunt *stases*, ingluvies, infarctus, & obstructiones, quæ morborum erunt initiamenta.

Stases sunt adhuc quas sub oculos ponunt *exanthemata*, *petechiæ*, *morbilli*, *variolæ* & quotquot sunt *purpurata* notacula, quæ terrori medicis, ægrotantibus verò exitio sunt aut periculo. Periculi ratio venit a repentina illa sanguinis *ecclampsi*, qua subitò correptus sanguis a se exit, suisque confestim exilit carceribus; suggillationes enim, livores & *ecchymoses* facilè diceres, in quibus cernere liceret sanguinis suo a circuitu dejecti horrenda delinamenta, in eo formidabilia, quòd nativis locis exsiliendo sanguis, propriisque exeundo colliquiis, in alienis sedibus aut peregrinis tubulis transfuga degere cogatur, quos hostiles revera experietur, in quantùm illi alienis moribus vivendum erit intra tramites indebitos incedendo, peregrinos subeundo ritus, factusque consuetudinibus subjectus novis. Ejusmodi novitates sunt, quæ morbis fecerunt *malignitatis*

tis nomen, cum enim insuetis oscillationibus non tantùm, sed & alienis subditi fiunt succi, insolitos edunt *effectus*, ut potè cum tritus everberationes sint, quæ succorum illorum mitificationi inidoneæ, incoctiles pariunt humores, in quibus *malignitatis* rationem poni asseverant. Nullibi autem succorum translationis ad indebitas sedes exempla habes evidentia magis, quàm in *variolis*, *morbillis*, *scarlatinis febribus* &c. quæ enim albore natura sua nitebat universam cutis superficiem, quæ aliunde levis erat, de repente rubore tingi, *papulisque* aut *pustulis* exasperari, intelligere est albi succi loco quo candebant cutis vasa, rubrum iis irrepsisse, subiisseque pro vaporante succo alterum qui per isthæc *secretoria cutis* excerni nequit, quod idem erit ac asseruisse *partis albæ* loco quæ arterias cutis *lymphaticas* replebat unicè, suffectam fuisse sanguinis rubram partem, quæ illarum capacitatibus impropria hæret, unde rubor, hærendoque extuberat, unde *papulæ*, *morbilli* &c. Interim ut uniusmodi non est illa rubra pars quæ in *lymphaticas arterias* se inserit, ut potè cum non unius sit textus, soliditatis aut substantiæ, accidit ut pro vario conditionis illius gradu, hujus aut illius conditionis faciet *papulas*, *pustulas*, aut *maculas*, quæ hac aut illa vel ratione solvi amabunt: quodque de *phlegmone* & *erysipelate* observatum est, quod illi scilicet in suppuratum, huic in gangrænam vergere consuetum sit, id ipsum in hæc *ecthymata* competit, quorum aliis, quæ *variolæ* sunt, in pus converti moris est, aliis, quæ purpuratæ aut *scarlatinæ* maculæ sunt, in livores, & *phlictenes*, prodromos *gangrænæ* vel anteambulones desinere periculum: eapropter, quod sub *variolis* succosior sit pinguiorque illa sanguinis quæ *lymphaticis* inseritur rubra pars, quæ levior aut tenuior est sub *morbillis* & affectionibus *scarlatinis*, utrorumque fomites aut causas si comparando concipitur sub *variolis* pruna candens, sub morbillis flamma depascens, illic ignis materies, hic spiritus ignis, unde præito est cur in pus verti ament *variola*, in *diaphoresin scarlatinæ febres*, *diaphoresin*, inquam, hoc est, *diapnoen* quæ insensilis *transpiratio* erit aut inconspicua evacuatio, non sudatio evidens, qua diffluentes conspici ægrotantes sub ejusmodi morbis, hos cernere est ad Acherontis cymbam enatare.

Insuper ab hinc intacta non præteribit animadversio de *bubonibus* & *carbunculis* superaddenda, ubique enim se prodit *analogismi* ratio non dissimilis; illi in suppurationem sponte inclinant, ad quam vix cogis *carbunculos*, quibus in livores, nigrores & ulcera propensio est: rationem exhibet sanguinis cuneati textus varius aut diversa indoles, dum enim sub *bubonibus* intra suas sanguinales arterias hæret mollior sinceriorque sanguis, sub *carbunculis* spissior facta siccioque sanguinis portio intra *lymphaticas* adigitur; melius ipsa sanguinis alba pars intra ultimos *lymphaticarum* recessus impetu tanto cuneatur, tam arctè comprimitur, ut suprà *tonum* dilatatis illarum capacitatibus, violatisque *diametris*, pessundetur illarum *systaltica* vis, hinc *lymphæ* ut potè pressæ arctiùs & pressiùs ladactæ *stasis* aut ingluvies; quæ cum in *nerveas* vel *tendinosas* partes fiat non infrequenter, tergimini illius quod sub *anthracibus* urget symptomatis habes causas, doloris nempe intolerandi, in *sphacelum* facilis lapsus, in suppurationem successus difficilis; & revera quibusnam partibus plùs sensus est quàm nervis? aliundene venit in *gangrænam* propensio, quàm a fracto sanguinis circuitu major? denique aliquidne a suppurato tam alienum est, quàm capillarium vasorum *lympha*, humor ille vaporans, aut ille humens vapor?

Hic nugari juvaret mirabiliter quos capit de causarum arcanis garriendi voluptas; deliciarentur admodum in investigandis contagiorum causis, rationibus, commerciis; tum in quærendis *variolarum* originibus, curiosè scrutando, numne ab aliquo naturali & universali fluerent seminio, quo a matribus imbu-

tus, cujuſque ſanguis in ejuſmodi feculentias deſpumare omnibus neceſſarium haberet; at ut medenti intelligere cauſas non definire propoſitum eſt, uſui artis ſatis erit, ex partium mechaniſmo, corporis œconomiæ legibus & ſanguinis circuitus regulis ſubolfactas hic tradidiſſe morborum origines, cum enim ſit eadem tuendæ ſanitatis & reſtituendæ norma, vitæ rationes comperiſſe, medendi artes obtinuiſſe eſt.

CAPUT XI.

De ſanitatis ſervandæ modis, aut arcendis morborum occaſionibus; ubi de cibo, potu, exercitationibus & aliis pabulis vitæ ad longævitatem facientibus.

SUas in ovis concreatas eſſe corporibus partes, temporibus ſuis conceptu evolvendas, amplificandas ætatibus, & ſenio intermorituras, intellexiſſe eſt conditas fuiſſe eas viribus ſuis & potentiis inſtructas, quarum ope motionibus quibuſquam ſervirent, uſque dum præſtitutum ſibi a Creatore terminum attigiſſent: atqui vitæ munia ſunt iſtæ motiones, hicque terminus ultima vitæ meta, ceu mors; conſequitur ergo corpori humano connatas eſſe virtutes, quibus ad mortem uſque in motu pergat: ſi addas ea eſſe Creatoris conſilia ut errare nunquam poſſint, ex præordinata iſta a Creatore motuum ſerie & perſeverantia incunctanter concludes, ab eodem proviſa creatione ſubſidia, quæ ſi ad illius mentem inſumpta fuerint, motum & vitam ad debitam metam prorogabunt. Et revera ſtatim a Creatore recens homo, quæ ſibi parata ſunt audit pabula vitæ; (a) *Ecce dedi vobis omnem herbam .... & univerſa ligna .... ut ſint vobis in eſcam*; quod ab ipſius Creatoris ore & conſilio didiciſſe erit, quam genuinam ille inſtituerit & idoneam magis corpori alimoniam, quæ omnis, juxtà illud divinum pronuntiatum, in oleribus aut *herbis*, *lignis* aut arborum fructibus conſiſtit. Neque id temerè dictum aut imprudenter putabis, hominis enim & rerum terræ ut erat ex æquo ſupremus conditor & moderator ſapientiſſimus, quid in hominis corpore poſuerat virtutis callens optimè, quidque terræ rebus energiæ crediderat, hanc cum illa novit componere. Muneris aut indulgentiæ genus id facilè crediderit, penès quem fuerit creationis genuina notio, quæ cum ex nihilo eductæ rei ideam importet, neminem non ſuaſerit donum aut indulgentiam id eſſe omne quod ſuo Creator impertit operi; at hic benigniùs adhuc ſuum erga opus ille ſe geſſit, qui cum hominem inſigni beneficio dignatur, utiliori admonet conſilio. Homo enim pleno fruens, quale conceſſerat illi Creator, rerum univerſitatis dominio, ex animantibus tam multis, quadrupedibus, piſcibus, volucribus, quæ illi ad nutum erant & ad manum, eſcas ſibi fortè feciſſet; ſed ſui Creator gnarus conſilii, congruentiarumque cum humano & animantium corporibus, quas *herbis* & *lignis* commiſerat benè conſcius, ad ſanitatem erudivit hominem, de illis eum informando cibis, unde tutiùs quam illi conceſſerat vitam tueretur, longiùſque prorogaret. Hic autem obſer-

(a) *Geneſ. c. 1. v. 29.*

obſervabis primum quod homini venit ſanitatis conſilium, quod cum *diætetica* lex aut regula ſit & ab ipſomet creante Deo immediatè profectum, in *diætetica* epocham medicinæ pones aut originem, illiuſque primum habebis in Deo parentem. Hanc opinionem adjuvat amœnitas loci quem incolendum homini conceſſerat Deus, paradiſus erat quem exhilarabat rerum ſuavitas, pulchritudo, amabilitas, unde aberant aeris inclementia, ferarum inſultus aut inſidiæ, rebellanteſque cupidinum ictus aut pugnæ minaces; adde tranquillitatem mentis, pacem animi, ſceleriſque puri amanda ſilentia cordis: utrius amabo benignitatis aut potentiæ miraculum in conditore majus! quo tedii aut mœroris, vitæ malorum facilè principis, averteret cauſas aut præoccuparet origines. Hoc autem alterum eſt *diætetica* documentum, ſpectandum maximè, cum in eo fermè conſiſteret ſanitatis ſumma.

Poſthac interrogare ceſſabis quæ optima erunt tuendæ valetudinis præſidia, hæc enim ecce tibi revelat Creator; dapes nimirùm quas in *herbis & lignis* fert tellus, quarum nominibus fructus accipies, olera, cerealiaque quibus credit ſunt innocua pabula vitæ. Delectus autem hujus rationes aperient tibi convenientiæ horum eſculentorum aut ingenia, quæ a Creatore modulata ſunt ad convenientias & ſecundùm ingenia partium quæ in humano corpore alendæ ſunt, ut potè cum hujus uſus aut officii gratia condita fuerint ejuſmodi eſculenta; hocque ratiocinationis exiguum ſanitatis tutelæ ſtudioſo ſatis erit. Ut ut enim curioſioris phyſices inops videretur Scriptura Sacra, interim in definiendis rerum neceſſitatibus curta nuſquam erit, veritatis enim cum filia ſit, qua laborare videtur inopia verborum, ſententiarum pondere penſat: itaque ex brevi hoc Creatoris pronuntiato, *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui ut ſint vobis in eſcam*, intelliges tam facilè & tam certò concludes quàm ex eruditiſſimis philoſophiæ *ſyſtematis*, herbas & arbores fetas eſſe ſuccis, qui præ omnibus aliis ad animantium alimoniam aptiores ſunt; aptiores, inquam, eos enim omnium maximè idoneos fuiſſe ſuadet Creatoris in hominem benignitas, quem ille meliori certè alitura dignari voluerit, confirmat autem rerum eventus, cum ex quò carnibus, quas fortè *arboribus & herbis* præoptaſſet homo, uti cœptum eſt, paulopoſt mundo & homini durare brevius contingit. Sed pronuntiati illius vim latius interpretari adhuc ſinit aſſertoris ſumma poteſtas, noſtrum ideò jubentis obſequium, quia in eſcam hominis id cibi genus inſtituit benè conſcius iis omnibus illud donatum fuiſſe viribus & potentiis, quas illi in alituras corporis humani partium dederat impendendas; ſi enim cogitaveris congruentiam aut concentum eſſe totum nutricatus negotium, cujus omnis author eſt Creator, concipi ſequela eſt de eo concentu ab illo nihil affirmari quod incertum fuerit aut ambiguum, maximè cum & alendi corporis & alimenti factor ſit. Itaque quidquid concentus requiretur corpus inter & alimentum illius, ut nutricatio ſuccedat, id omne, aſſerente utriuſque factore, de herbis affirmare non dubitabis. Poſthac ſcientia defuerit, unde ſua veniet partibus moles, unde ſuas ſibi facient vaſa longitudines immenſas ex Creatoris voluntate, intelliges fuſiles adeò factas fuiſſe aut productiles ſuccorum materies, ex quibus fructus & olera conflavit Creator, ut vel in portentoſas menſuras exporrigi queant & dilatari. Portentoſum reipſa eſt, quantùm tenuari valeant herbarum ſucci, bombycis exempio, quæ cum mori foliorum ſucci unicè fetus ſit, in pannorum plures ulnas, unciarum aliquot ſolo pondere, pandi poteſt aut evolvi; interim olerum ſuccos tenuationem hanc, ut ut tanta ſit, in hominis corpore longiſſimè ſuperaturos, concedet ille cui comperta erunt potentiarum, quantitatum, preſſionum & *elaterum* vis & numerus, quæ in hominis mole ſunt, quam in bom-

bycis molecula majora; hoc est, cui compertum fuerit eandem quidem esse tenuandam materiem, sed corporis humani viribus; quæ bombycis corporis potentias tantò superant, quantò illius moles hujus moleculam pandens vincit quantitate. Aliundè, res de facto est, nusquam enim mole & altitudine majora fuerunt, quam quæ ante diluvium vixere hominum corpora, quibus fructus & olera pabulo unicè erant, quodque amplificandis non tantùm illorum corporibus abundè fuit, sed & eorum ætatibus ampliandis, quod ejusmodi esculentorum energiæ singularis argumentum est. Enimverò ad alimenti præstantiam, opus est ut ad justam molem corpus perducat non solùm, at ut adhuc illud in eo quem illi fecit tenore servet, contineatque, hæcque comperta est olerum & fructuum prærogativa, his enim insuccata primævorum hominum corpora ad novem & amplius sæcula durabant.

Sed hinc se prodit laudabilis alimenti nota princeps, quæ erit placidus sapor, non fatuus, suavis non acutus, amicabilisque indoles, qua *fluidis* immeando applicandoque se solidis, neutri turbas movebit, licet aliundè hæc & illa augeat mole, imbuat vi, *elasticitate* informet, sic ut cum flexibilitate firmitudinem, cum duramine mollitiem, quietem cum motu aut pacem apportet: quæ singula bona, cum primorum hominum corporibus attulerint ducta ex oleribus & fructibus esculenta, laudabilis cibatus prototypi erunt aut exemplaria, ad quorum normam & similitudines ducentur cibatuum imitamina. Neque hoc adulantis præconium erit, in definiendis enim naturæ rerum utilitatibus, aliorsumnè verti erit animum, si ad authorem naturæ convertatur? qui rerum quæ ad vitam necessariæ sunt aperiendo usus, illarum quæ ad sanitatem præoptandæ sunt delectum edocet & specimina monstrat; porrò ad ejusmodi exempla duci, ad ipsam veritatem educari est.

Faciet fortassis præjudicata de animalium carnibus opinio, ut ejusmodi quoque placidi saporis salubritas & sensus ineste iis videantur, at etiamsi id boni iis indulgeretur, id incommodi præ se ferunt carnes animantium, quod in oleribus non reperies, aliquid nempè pinguis & oleosi, dùm olera nihil nisi succosi habent, quod in illis ad *lympham* gradus vel initium est, quæ succosa aqua est aut aquatus succus, mollis quidem atque lentescens, non interea pinguis aut unctuosus, hocque titulo præ carnibus palma digna erunt olera, quæ cum ad ingenium *lymphæ* propriùs accedant, ad nutricatum erunt paratiora: aliundè adhuc commendabilia magis, quod quantùm, quod supra observatum fuit, ad longævitatem olera faciunt, roscido suo & succoso humore partium *elaterem* alendo, illarumque sic tuendo *tonum*, tantùm ad brevitatem vitæ contribuunt comestæ carnis pingui suo & *sulphureo* succo, quo & *solidorum* fibras moliendo laxant, *atoniam*que accersunt, tùm in *acidum* quo turgent evolvendo se, *fluida* iis omnibus cumulant *acidis*, quorum fodicationibus & aculeis maximam attribuunt morborum partem. Interim missis etiam iis multiplicibus carnium periculis, ejusdem nec valoris, nec pretii erit ad sanitatis tutelam ille qui suavis videbitur aut innocuus carnium sapor, qui cum his, ab oleribus quibus insuccarunt se animalia, veniat, minoris in animalibus energiæ fiet aut bonitatis quam in ipsis oleribus; præstantiæ enim olerum ratio propria aut singularis, in jusso iis a Creatore ad sanitatem ordine consistit, quò fit, ut in oleribus ad alendas corporis humani partes ordinatæ altilium partium posituræ, velut ad libellam sibi respondeant; qui ordo si alterutrinque a suo commensu declinet, peribit olerum præstantiæ pars maxima: sed carnium edullium hoc vitium est, in carnes enim detortæ quæ in oleribus erant ad corpus convenientiæ, quas integras hominis alendi gratia acceperant olera virtutes, fractas, inversasque in carnibus ad corpus humanum transmittunt, seu dimidiatas; ab animalibus

enim

enim in quibus alendis primò fuerunt insumptæ in hominem secundario transeunt. Verùm quo sui damno, aut qua conditionis suæ jactura is fiat conventiarum transmissus, ostendit compacturæ carnium in animantibus diversitas, qua alia est caro avium, quadrupedum alia, alia piscium, tandem hominum alia; sed hæc diversitas ab altilium particularum positu nascitur, qui positus alius proindè est in animantibus, in hominibus alius; liquet igitur insitas oleribus ad alendum hominem convenientias, quæ in animantium alituras cesserint, in animalibus in anteceſſum insumptas fuisse in positus illos, ex quibus exsurgit carnium varietas; undè neceſſum erit, ut in carnibus oblitterentur illi positus, antequam in hominis alimenta queant facessere. At aliquisnè facilè sibi persuadebit oblitteratis hisce positibus succeſſuras illas convenientias, quas olera hominis gratia a Creatore acceperant, quæ eædem & in integrum restituerentur? certè transmutatio hæc tam fabulatio est, quam *metamorphoseon* fabula; sed quæ reviviscent, aut redibunt convenientias intelliges, ex lanificii operibus, hæc enim ut melioris notæ habebuntur, si fuerint fabricata ex filo virgine, id est, ex lana facta sed inexperta textus, ita nitoris & pretii minoris erunt conflata ex staminео filo quod texturam fuerit passum, ut potè quod ex alterius panni resolutis staminibus dissolutum fuerit; ratione pari ex carnium succis cretum corpus humanum, ex materiebus exsinceratis, dissolutis nempè ex aliis corporibus, in quæ primarias suas proprietates impenderint, incondìtè coalescet; è contra si ex olerum succis compactum fuerit corpus, ex sinceris aut virginibus materiis conflabitur, quæ positionibus aut convenientiis quas a Creatore tenent integris adhùc & illibatis fetæ ad Creatoris mentem aut institutum nutrirent corpus, ad longioresque annos perducerent.

Ergonè ad *herbas & lignorum* fructus homini redeundum erit ut suam sustentet vitam? istud nostræ non est medicinæ propositum, eò licet tendere videretur medendi scientiæ consilium. Reipsa qua attenderit ad omnia quæ usurpat & edocet præsidia ad morborum medelas, illa omnia in alimentis versari recognoscet, hisquè oleribus aut oleraceis; siquè ex animantibus quædam delibat, ex quadrupedum partibus exsangues erunt, *lymphatico* & nutricali succo turgidulæ, ex avibus ejurando quæ hujus non fuerint habitudinis aut succi; imò si graviores fuerint & morosiores morbi, in piscibus non infreqnenter, in reptilibus frequentiùs, *cancris* nempè, *vipera*, *cochleis*, *testudinibus* egemonica ponit; quibus si addideris lactis usum, palàm veniet ni sustentandæ, retinendæ saltem diutiùs vitæ præ animalium carnibus convenientiora esse fructus & olera: quæ tam comperta veritas est, ut lac multiplicibus patere damnis observetur, a quibus vacant ex olerum seminibus aut arborum nucleis lactaria, ea certè de causa, quod ad animalibus lac proveniat. Huc alia quadrat de carnivoris animalibus observatio, quorum carnes illaudabilis succi sunt, ideò quod carnibus pascantur; tandem quæ ad animalia pertinent aves tristes paludum incolæ, alianè ratione damnantur aut insalubres sunt, quam quod piscículis, vermibus, insectis sanguinentur.

Itaque sub hac qua hodie miserè gens humana gaudet gulæ insanientis libidine, ne quid sapientiæ nimis imperare videamur, sanitatis aut vitæ studiosis unicum hoc monitum erit; contineant se intra justos earum carnium limites, quæ ex animalibus tenellis & junioribus depromentur, abstinendo a condituris omnibus aut condimentis in quibus malè sanis alimentis excusatio quæritur, salubrioribus ponitur scandalum, ut potè cum meliores corrumpant dapes, sapientiorumque palatis fraudem aut fucum faciant. Tanti est ad sanitatem in cibis simplicitas! in inemptis dapibus collocanda meliùs, toleranda tamen in carnibus *euchymis*; licet *euchymiam* hanc tam sæpè faciat alimentorum inconfuso-

fusorum aut quæ uniusmodi fuerint parcimonia, quam anxius nimiùm illorum delectus, cui aliundè assuefaciendo se stomachus fastidii & nauseæ incommoda incurrit; hujus autem parcimoniæ bona hinc concipies; in paucis occupata stomachi potentia, dum hæc terendo faciliùs, meliùs domat, subigit ea penitiùs, omnimode liquat, tenuat & comminuit: commodi non dissimilis erit parisque utilitatis ciborum simplicitas qui uniusmodi fuerint, cùm enim pro variis illorum saporibus aut energiis necesse sit ut titilatus diversimodè stomachus afficiatur variè & in *tritorios* motus se componat; multiplices sunt contactus qui fibras stomachi multiformiter vellicando stringunt eas aut laxant inæqualiter, hinc fibrarum inæqualis pressus, qui alimenta malè amplexando imperfecte terit, invaletudinumque alta ponit fundamina: quod enim de sua suis cum *menstruis* aut *soluturis solvendorum* convenientia chymicorum schola edocet, hoc ipsum de stomachi tritu asseret, qui singulis terendis rebus proprius detur ac singularis. Stomachus ergò in corpore veluti modulus est *secretionum* universalis, ad cujus rationes se habent omnium *secretionum* modi, ut potè cum ab hujus operandi ratione *secretoriorum* quorumlibet habilitas, sanguinis & humorum circuitus pendeat: caracter aut tessera est, qua comite aut auspice, chylo datur ad penitiores viscerum recessus transmitti, admittivè. Interim non inferes ad hunc successum esse satis, si in stomacho exquisita peragatur ciborum tenuatio, cujus ope ad omnes *secretoriorum* diametros, habilis illicò fieret & meabilis, ideòque certa illiùs trajectio; nam inter pericula non mediocre illud chylo veniet, si primo in limine habeat quod ultimo tantùm debet consequi; itaque cum illi fieri in stomacho tenuationis gradum quem in visceribus obtinendum habet, ad infarctus viarum, vasorum impedimenta & *obstructiones* viscerum gradus aut via est, arsque non incerta morandi chylum aut retinendi, arcendique illius ab ultimis quò tendebat vasorum extremitatibus. Enimverò in confesso est, quanti ad motus progressum momenti sint ponderis aut massæ rationes, unde velocitates tardari solent aut accelerari; porrò chylo qui ad longissimas distantias progredi debet, nihilinè erit ponderis illius aut massæ conditio? igitur ut ab illo spissitudo, unde ponderis vel massæ nimium, aberit, ita a liquatione aut tenuatione nimia immunem illum esse convenit, ne levior factus aut molis inops, impetum a *solidis* sibi venientem in se suscipere nequeat aut retinere. Ad *euchymiam* igitur, ut ad aliud quodlibet bonum laudatur aurea mediocritas, qua non spissior factus, non fluidor chylus, in circulando neque segnior sit, neque festinantior; idque stomachi fibrarum *eutoniæ* fructus erit, id est, insiti & nativi illarum *toni*, quem tuebitur amanda frugalitas, seu simplicium esculentorum usus, olerum, ni obstiterit consuetudinis tyrannis vel insania gulæ, sin minùs juniorum animantium, in quibus ut potè turgentibus herbarum succis, recentes adhuc aut saltem non penitùs oblitæ, quas inseverat Creator ad hominis alituram convenientiæ reviviscent, ordinemque pacem & *eutaxiam* stomachi illius ad quam natæ erant constanter & benignè tuebuntur.

Frugalitatis comes individua erit sedula a condimentis abstinentia, in quibus vix tuta aut toleranda sobrietas, quandoquidem quæ ex illis paratiora sunt aut simpliciora, suspiciosa in eo maximè sunt, quòd ex animalibus proveniant, quorum aut partes sunt, aut ex partibus illorum confecturæ; de illorum ergo esculentorum numero, in quibus exsinceratæ sunt ad hominis alituram convenientiæ, quod primum vitii genus non aspernabile est; alterum erit, quod in se tam parùm habent *lymphatici* succi, quàm parùm habent olera pinguedinis: horum nominibus intelliges *lac*, *ova*, *butyrum*, vulgares illas olerum pestes, ut potè quibus caruisse, suam oleribus salubritatem asseruisse est; cum

enim

enim in partium *elateris* firmitudine ſtet ſanitas, in ejuſmodi emollientium uſu *atoniæ* periculum incurritur, quod vitæ penſum breviare eſt: aliunde adhuc ova nocent, ut enim venturi animalis graphidem in ſe condunt, *elaterum* omnium qui in illo futuri erunt compendia iis contineri intelliges, unde in ovo animalis epitomen, inſimul & univerſæ illius virtutis aut potentiæ ſummam habebis, pugnarum ergo, tumultus & diſſidiorum ſeminia; quæ ſi compares cum illa corporis rerum, motuum ſcilicet, *functionum* & *ſecretionum* amicabili concordia, in qua animalis œconomiæ felicitas omnis ſaut pulchritudo verſabitur, palàm erit quantis diſcriminibus obnoxia erunt iſtiuſmodi condimenta. Sed ulteriùs ſerpit illorum condimentorum noxa, non enim ſtimulando tantùm, pungendo & fodicando ova agunt & lacticinia, quod obvias & externas tantùm partium ſuperficies vellicare fuiſſet aut laceſſere, quod ſalſis, acribus, acidis & piperatis moris eſt, aſt ipſa penitiùs ingrediuntur vaſorum penetralia, quorum ſuccos & ſanguinem ſubeundo, *elaſticis*, tumultuantibus & *exploſivis* partibus aut copulis illa perfundunt, unde febres, tumultuationes & turbæ, quibus incommodo eſſe ſolent lacticinia; quibus ergo defraudari convenit eos quos malè habet æſtus ſtomachi aut præcordiorum teneritudo. Teneritudinis autem nomine cave hic accipias laxitatis quoddam aut *atoniæ* genus, quo laboraret ſtomachus; quàm rarum enim hoc ſtomachi vitium ſit aut culpa infrequens, arguit ſtomachicorum remediorum in curandis ſtomachi morbis infelicitas, quæ dum cruditates illius calore ſuo emendare pollicentur, cumulant magis: teneritudinem autem dices exquiſitiorem ſtomachi ſenſum, quem exſtimulari promptum eſt; atqui ſi obſerves, quàm multis *elateribus* ſatum ſit lac, aut actuoſis fetum particulis, animo tenes quàm promptè, quàm vividè ſtomachum vellicare debeat, qui hinc crebriùs & fortiùs oſcillando, quod tractandum molliter lac ſuſceperat, inconditè quaſſat, turbat, deturbat, hocque ſub conceptu ſtomachi ſuſcitabulum lac erit. Lac ergo alimonia virgo eſt, offendi facilis aut temerari: hanc ob rationem, intra ſingulares glandulas parari lac natura curavit, non ſecùs ac intra privata loculamenta, in quibus iiſque denſis & textu firmis coercitum, ab aeris contactu vindicaretur; in ſtomacho ſecus eſt, ſpatium amplum eſt, plenum aere, mobilibus cinctum parietibus & acutiſſimo ſenſu donatis affectiſve: huc appelli edulium actuoſum, volubile, tumultuari promptum, aeris energiæ patens & obnoxium, turbarum cauſas admitti eſt.

Stomachus enim pendulum & publicum eſt corporis *oſcillum* univerſæ illius *tonicæ ſyſtoli homotonum*, ſub quo ſtatu accedens alimentum libraminis loco erit, quod pro molis, ſaporis & ponderis ſui rationibus *oſcilli* illius vibrationes modulabitur aut moderabitur oſcillationes, quas mòrabitur aut accelerabit, modò geminabit, minuet modo. Sed hinc ſe produnt condimentorum incommoda, quæ omnia aut ſummè ſapora aut exquiſitè ſalſa, dùm ſtomachum mille artibus ſtimulant & iguiculis pungunt; illius oſcillationes multiformiter invertunt, vitiant, corrompunt; his malis, quaſi pauca fuerint, alia adhuc ſuccedunt, ciborum enim varietates & ingluviem ſuadent condimenta, undè factum ſtomacho pondus, mirum quantùm reſiſtentiæ *elateri* illius objiciatur, undè cruditates & *duſpeſiæ*, cæteraque impediti tritùs aut tardatæ coctionis incommoda. Aliuſmodi malorum fons aut cauſa erit alimentorum levitas, ad cujus rationem decreſcens digerendorum ponderis reſiſtentia, ut potentiarum æquabilitati, aut proportioni vitium, ſic digeſtioni primæ infert noxam eò majorem, ſi ejuſmodi ſint alimenta quibus molis ſatis ſit, ponderis minùs & denſitatis, rareſcunt enim in ſtomacho levia iſthæc edulia, ut potè tota aeris particulis turgidula, undè dùm ſpatii plus occupant aut latitudinis, minùs habent ponderis aut maſſæ. At hæc eſt lactis conditio, ſuccus enim eſt, cui

ſua

ſua venit a rarefactione moles, quam nempè facit aerearum particularum copia, quas ut *elateres* habebis aut animulas, unde tanta lacti ad exæſtuandum proclivitas aut diſpoſitio, hæcque tanta, ut ad ignis odorem ferè aut auram flammæ ferveat in bullas. Cauſa certè erit, quod arcanos lactis *elateres* exſuſcitet actuoſus ignis *elater*, ſed ratione non abſimili lac agit in turbas æſtuans ſtomachus, qui fortioris preſſus intolerantem ſuccum premendo duriùs, inopportunè laceſſit, adeò ut quem molliorum oſcillationum improperata tractatione in pultem cicuraſſet, iracundo & feſtinantiori tritu, in liquorem æſtuoſum vertat.

Heu igitur quam longè a ſeipſo receſſit aut inſtituto ſtomachi ingenium! quantùm ab ea quam a Creatore tenebat *eutonia* deſcrivit! id eſt, ab illo molli & placido *elatere*, quo terendis actuoſis minùs quam ſuccoſis, *lymphaticis* magis quam pinguibus eduliis dicabatur. Hæc revera fuit in primævis hominibus ſtomachi antiqua virtus, lac enim *initium fuit rei neceſſariæ hominum vitæ*, hominique tam proprium aut ſingulare alimentum, ut in ſæcula manaverit impoſterum, unum eſſe & idem *comedere butyrum* & hominem eſſe. Annè ſtomachi *mechaniſmum* uſpiam mutaverit Creator? aut illius vim verti voluerit? quin imò *abſque pœnitentia ſua opera Dei*: at dum injunctis ſibi a Creatore limitibus contineri ſe mare paſſum eſt, a gulæ intemperie mores ſuos mutare didicit ſtomachus. Uſus illi & conſuetudo fuerat cum cibis qui dulces erant, obſcuri ſaporis, ſalis aut ſtimuli nullius, quibus ſubigendis ſatis erat oſcillatio mollis, amica vis, aut *tonica* virtus, at frugum uſu in carnium eſum mutato, dediſcendus illi fuit oſcillationis ille ritus, & pro novo ciborum textu, pondere & modo ſuus illi fuit tendendus *elater* & erigendus *tonus*, qui oſcillationes illius ad ciborum novorum rationes, ingenia, conditiones modularetur; ſed ad hæc accedentibus vinis & condimentis quæ invenit palati ſagacitas, ſtomacho factus eſt pro *tonico* & molli, ſpaſticus & durus motus, qui hodiernorum hominum ſtomachi ſtatus & ſitus eſt. Verùm longiſſimè hic abeſt a priſtino illo & molli *tono*, quem ſtomacho fecerat Creator; manifeſte enim inſiti *elateris* auctus eſt aut accretio, quam alit in dies carnium, vinorum & condimentorum uſus; hæcque erit brevitatis vitæ cauſa non levis, ut enim citiùs fatiſcit *elateris* virtus qui diutiùs & frequentiùs exercebitur, breviùs ille durabit cujus juge exercitium fuerit; hæc autem conditio ſtomachi fibrarum eſt, ad quarum *tonum* modulatæ & concordantes cæteræ corporis fibræ, ſuum extrà modum hodie poni omnes corporis fibras, hoc eſt, ipſa vitæ ſtamina oſtendunt, quod proprior ad morbos, hincque ad mortem gradus eſt. Poſthac rationem habes, ob quam hodiernorum hominum ſtomacho moris ſit indignè aut morbide ferre lactis uſum, quod deliciabatur primævorum hominum ſtomachus, hanc enim tibi exhibet ultra modum poſitus illius *elater*, hinque factum *toni* illius augumentum, quo fervens ille & exæſtuans, quæ tenella ſunt edulia corripiendo feſtinantiùs & duriùs tractando corrumpit.

De lacte plura hæc fortè videbuntur, at præterquam quod lacticinia in alimenta cedunt aut condimenta omni carniſprivii tempore & omnibus eſurialibus feriis, quibus anni maxima pars continetur, quoque referri decet diætetices diſciplinam, lac erit exemplar, ad cujus normam expendenda medico erunt ſimilis conditionis edulia, quæ præ teneritudine & levitate ſua molliorem poſtulant trituram, ut eam a ſtomacho modulationum obtineant, qua omnibus *diametris & capacitatibus* ſe accomodent, ſinguliſque *functionibus* ſerviant & *ſecretionibus*. Similis ſortis erunt *butyrum*, quod ex oleoſis, æſtuoſis, ſolvique nimium facilibus particulis conſtat; *ova* actuoſa maximè, ut potè quæ ſunt totius animalis ſuccorum & ſtaminum ſummaria; *mel* denique

ſub-

ſubſtantia iſthæc aerea, quam fecit florum flos, quam proindè conſtituunt *elaterum* myriades, qui in tantùm *ſpirituum volatilium*, quos ſuos *chymia* jactat, ſubtilitatem ſuperant, in quantùm artis labores aut molimina vincit naturæ ſagacitas; meliùs in quantùm *tritoriorum*, *cohobantium*, *circulatoriorum* & *ſerpentinorum* organorum artes vincit vaſorum, tubulorum aut *ſecretoriorum* illorum exilitas & induſtria, quibus herbarum & arborum flores inſternuntur; undè obſervabis qua cura, quovè præcauto opus ſit, ne tam multæ *volatilium* aut *elaterum* copiæ maturiùs in ſtomacho exſolvantur aut *exaltentur* feſtinantiùs. Attamen ſtomacho nata erant iſthæc alimenta, quæ miti *elatere* ſtomachi tractata, ſuas in hominum alituram, ſpirituum divitias profundebant, adeò ut ad hominis aut vitæ felicitatem faceret una *terra laëte & melle fluens*, aut irrigua; undè liquet quàm alienus hodie ſit ſtomachi *tonus*, ab eo quocum a Creatore conditus ille fuerat. Sed ex hac occaſione documentum capies, quod è medentis animo numquam excidet; nimirùm ex edulis eſſe nulla quæ ſanitati officiant magis, quam ea quæ ſtatim ipſo in limine illum ſibi faciunt ſubtilitatis gradum, quem in exitu ſolùm debuiſſent adipiſci, licet enim magno incommodo ad partium exitus veheretur inattenuatus ſuccus, majori adhuc periculo maturiùs in ſtomacho evolutus, aut illic derepente *exaltatus* ſuccus ad præcordia iter haberet: ſed hic caſus eſt alimentorum quæ ſpiritibus & ſuccis turgidiora ſunt, potulentorum quæ vina ſapiunt, embammatum quæ fervent aromatis & cæpe olent; hinc igitur intelliges exæſtuantium ſtomachorum cauſas, qui ferventium undique eduliorum ſtimulis laceſſiti ſemper, igniariis ſuccis vaſa cumulant, dum ipſi iiſdem quibus ſuccos infeſtarunt ſpiculis perciti, *elatere* toti imbuuntur & iracundè oſcillant.

De potu ſollicitus erit non minùs qui ſanitati ſuæ voluerit provideri; quod negotium ut illi vertat feliciter, in eo ſe quoque geret ad inſtitutum Creatoris, qui cum ad operis ſui, hominis videlicet, tutelam omiſerit nihil, quid illi in potum utiliter ceſſurum foret, docuiſſe illum conſequentia erit: verùm ſi aquam domas, legis nihil in ſacris codicibus, quod in potum animalium quiverit venire; igitur ipſo ſpiritu interprete concludes, *initium neceſſariæ rei vitæ hominum fuiſſe aquam*. (a) Hinc autem genuinas potoriæ rei conditiones auguraberis, ſaporis, odoris, coloris fuerit expers, *adiaphora* enim, indifferens & neutra erit, amica nullius, ne alicujus eſſet inimica; fluxilis aliundè & flexibilis, ſenſibus ut videretur immota, mobilis tamen & undequaque meabilis, *menſtrui* enim verè univerſalis vices aget non tantùm, quod nulli non rei ſolvendæ par fuerit, ſed & vehendæ per omnes vaſorum receſſus, flexus, diametros & capacitates, cui proindè nihilum habuiſſet quò reſiſteret, proprium illi nihil eſſe debuit præter obſequium; unde quod de cibo obſervavimus, idipſum in potu intueri licet, hunc & illum ejus conditionis a Creatore factum fuiſſe, ut nihil in ſe condant quod ſtomachi naturæ analogum non ſit, quodque texturæ illius & officio non reſpondeat, in quantùm enim ad nervos aut membranas pertinet ſtomachus, quas una rorat & imbuit *lympha*, oſcillationibus ſtomachi perennandis una aqua convenit; inſuper ut aquatici ſunt ſucci frugum quas conſumere homo natus eſt, his ſolvendis aqua congruebat; ut *ſolida* cum *fluidis* inaleſcendo pacem utrinque alant, publicamque (quæ corporis œconomia eſt & æquilibrium) faciant concordiam.

Ergone unis aqua & pane trahenda vita erit? adeone miſellæ manent hominem vitæ ſubſidia? equidem hæc ut ut paupercula videantur, copioſa erunt

(a) *Eccleſ. c. 39. v. 31.*

erunt & locupletiſſima attendenti, quam multa ſint, herbæ nimirùm, *fructus*, ſemina, fruges, per quæ diffuſa eſt nutricalis aqua, ita ut cum a *lympha* matre ortum duxerit homo, in hac nutricula *lympha* haberet abundè, undè ab aqua incœptam vitam aqua ſuſtentaret: ſed hîc de potoria aqua ſermo eſt, in qua una ut tutiſſimum haberet homo & potentiſſimum ſtomacho *menſtruum*, cibis quoque diſtribuendis efficaciſſimum reperiret vehiculum. Itaque quod de vinis delibandum ſuaſerit tædium ſtomachi aut aquæ faſtidium, non caſtigandis aquæ cruditatibus paucum iſtud indulgebitur, ſed palati torporibus vellicandis, nihilum detrectata hac diætetices leges; feliciorem nempè fore nuſquam aut ſalubriorem ciborum coctionem, quam eam quam fecerit aqua, hæc enim vinorum aucta ſaporibus, vitæ minus quam morbi ſtimulos addet, tot veluti ſpiculis armata, quæ *ſolidorum* mordendo fibras & oſcillationes turbando, *fluidorum* curſus & circulationes miſcent, harumque molles *directiones* in impetus mutando, *animalis œconomiæ* ordinationem vertunt & leges. His patent inſidiis vinorum blanditiæ, quantumvis enim cæli clementia, bonitate ſoli & annorum maturatione ab agreſtibus *phlegmate & ſulphuribus* purgatum defecatumque vinum fuerit, arcano *tartaro* imbutum imprægnatur, quod ut ut medio illius abſconſum gremio ſuam tegat malitiam, præcordiorum æſtuationibus evectum, demolitumque oſcillationum ictis verberibus ſævit & quaquaverſum ſuos fundit furores, hinc *fluidorum* acores, turbas, liquamina & *præcipitationes* committens. Itaque ut ut manſuefactum vinum videatur, de illo afferas licet, plures eſſe & certiores quos ſpondet dolores, quam quas facit voluptates, ut potè quod dum juveniles exhilarat annos, ſeniles contriſtat, ludendo illos, hos accelerando; undè ſicubi dixeris voluptates eſſe dolorum ſemina, de vini lenocinio facilè affirmabis certum eſſe tædiorum ſeminarium, cum enim *ſplenduerit in vitro color ejus, (b) ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut colubre, & ſicut regulus venena diffundet.*

Quæ hiſce temporibus eviluit ſanitatis legem ſuum ad uſum revocabit vivendi cupidus, corporis videlicet exercitationem; (c) quantùm enim *corpus hebetat ignavia, tantùm labor firmat*. Torpendo autem hebeſcit corpus, ideò obnoxium morbis, quod ſuccis turgeat, quibus ſegneſcere in proclivi eſt. Id illis imminet periculi a vaſorum immenſa longitudine, a corde enim diſtando vaſa tantùm, quantùm ad ultimos corporis fines accedunt, *emboli* cordis impulſum non ſentient, unde torpente illorum *ſyſtole*, languentibuſque oſcillationibus, ſuccis quos vehunt lenteſcere neceſſum erit, ni aliundè ultimorum exſuſcitata *ſyſtaltica* vis, in revehendis ad cor ſuccis vis illa adjuvetur. Id ſubſidii genus ultimis corporis finibus neceſſarium eſt eò magis, quò plura ſunt, denſiora & compactiora vaſculorum glomeramina, ex quibus coaluere carnes & partium *parenchymata*, in quæ deſinunt vaſorum extremitates, tot ergò ſunt *reſiſtentiæ* quæ regreſſuro ad cor ſanguini vincendæ ſunt; quibus ſi addas, retluendum eſſe ſanguini, quod in deſcendens proprium pondus contraniti eſt ut ad cor aſcendat, palam fit adjutorio non mediocri opus eſſe, ut a corporis finibus extremis ad cor remeare poſſit. Sunt autem qui id auxilii ſibi pollicentur ab alimentis egregiè ſuccoſis, a meracioribus aut conditis vinis, *vini ſpiritibus*, imò ſpiritus vini *alkoolibus*, a quibus cum mirabiliter refocillari ſe ſentiant & incaleſcere, ſanguinis circulationem vel ad ipſos unguium extremos fines promoveri imaginantur; error, aut dolus eſt eo infelicior, quod contrarius ſit qui ſequitur effectus, facit enim actuoſiorum ejuſmodi liquorum

(b) *Prov. c. 23. v. 31.* (c) *Celſus.*

rum energia, ut addito *fluidis* œstro, factoque *solidis spasmo*, stringantur vasa intra ipsum corporis centrum, unde coarctatæ mediis visceribus vasorum majorum capacitates, sanguinis *stasin* committunt, quæ sanguini obicem ponendo, in tantùm circuitum illius non adjuvant, ut impediant magis, cordisque tardent impulsum. De corporis exercitatione secus est, a qua agitatæ partes, carnesque exercitæ, interfluos & refluentes succos premunt fortiùs, excutiunt, ad superioraque exprimunt efficaciùs; idque ad naturæ mentem aut institutum, juxtaque locorum positus & oscillationum *tendentias* aut inclinationes. Enimverò, ex oscillationibus quas accelerari convenit, periculo ferè vacabit, stimulum iis addere quæ sursum feruntur, quem addidisse iis quæ deorsum eunt, res erit aleæ & periculi plena; hæ namque peraguntur per arterias, quæ in *conum* desinunt, illæ a cono oriuntur; in his ergò exstimulare oscillationes aut accelerare, liquores pellere est a minori in majorem capacitatem, in illis verò, a majori in minorem trudere est liquores. Porrò a majori *diametro* in minorem trudere liquorem, huncque urgere acceleratis ictibus, impeditioni illius *stagnationi* aut *stasi* ansam præbere est aut causam; contra a minori *diametro* in majorem pellere liquorem, hunc eò ducere est ubi resistentiæ minus habetur, præcipuam ergò moræ causam aut occasionem prævertere. Sed hinc se prodit adhuc exercitationis salubritas, quæ dum in brachiis, totoque corporis habitu musculos exercet & vasa quatit, a *capillaribus venis*, tum *sanguineis*, tum *lymphaticis*, in ampliſſimos venarum majorum caudices ducit humores, quod facili sanguinis circuitui operam dare est; tandem prompta hac a minoribus ad majores venas trajectione efficitur, ut sanguis ab arteriis in venas pulsus facilem sentiens ingressum, in venas ab arteriis facili & pleno ambulet alveo, undè sanguinis circuitus, diligentia, facilitas, æquabilitas.

Posthàc monuisse sufficiat quantùm tumultus sanguinis circulo impendere debeat ab animi *pathematis*, cupiditatum nempè furoribus, cupidinum furiis, sollicitudinum morsibus, cordis mœrentis pressu & effrænibus deliciorum gaudimoniis, undè molliora nervorum laxamenta, partium segnities aut *atoniæ*; turbas enim quæ ab illis affectionibus oriri debent admoneri, didicisse est quanta cura, quamque fideli diligentia ab omnibus cupiditatibus homo se tueri debeat aut protegere, si diù & feliciter suam sibi vitam ambiat prorogari.

CAPUT XII.

De curandi intentionibus, ubi morborum motus a moliminibus naturæ discernendo, audere discet medicus aut abstinere.

SED heu! hominem anxium de vita quantumlibet aut sollicitum corripit morbus, mori enim necesse est, moriendique lex ægrotandi fecit necessitatem; interim ut clementia temperatur justitia Creatoris, quos homini voluit ineluctabiles morbos, insanabiles esse, noluit, sed tantummodo *dolores* ejusmodi quos (*d*) *curando medicus mitigaret*; idque beneficii *in mirabilibus suis*

(d) *Eccles. c. 38, v. 7.*

poni juſſit, (e) ex quibus parabiles eſſent *confecturæ ſanitatis*, id eſt, medelæ, quæ Creatoris inſtituto ne defuiſſent, in ipſo homine recondi curavit finceras medendi leges, eaſque adeò certas, ut cum illis congruere medicam artem opus ſit, ut aliqua illi veritas aſſeratur. Putabis igitur univerſæ corporis humani fabricæ præfectum a Creatore fuiſſe medendi magiſtrum, *mechaniſmum* videlicet, ceu conſtantiſſimas legum, rationum, & proportionum conſonantiæ artes, quarum ad normam ut ſe gerunt, conſtantque in ſanis corporis functiones, ſic ad illarum ingenium referri poſtulant in ægrotantibus & redintegrari. Medicinæ typus eſt ille *mechaniſmus* aut medendi artis exemplar, in quo tramites medicus habet quos ſequatur, quas imitetur artes, quæ opera, quoſvè ſibi proponat effectus, denique ducem & conſiliarium cujus vocem audiat & veſtigia premat. Verè enim vox eſt univerſalis illa partium, motuum & functionum ordinatio, mirabiliſque conſpectus, conſtanti ſerie, æquabilitate jugi, perpetua harmonia conſpicuus, mentem & oculos erudiens ad ordinem & æquilibrium, ut potè cum in his conſiſtat tota œconomiç animalis ratio, ſanitatiſque omne punctum. Tantillùm quod materiæ habet ſanitas! tantùm quod habet ordinis! hanc enim facit materiç modus, non materies, ſuccorum multiplicitas minùs, quàm illorum juſta *anadoſis*, debita ſeries, æquabiliſque per propria vaſa & ad proprias ſedes ſingulariaque *ſecretoria* circuitus. Itaque ad curandum accedens primùm putabis ab his omnibus fieri receſſum, tuique minus muneris eſſe & officii caſtigare ſuccos, immutare ſapores, reſtituere *craſes*, aut ſanguinem retractare, quam ſuccorum ſingulos nativos ad calles, ad debitas ſibi ſedes aut deſtinata viſcera revocare. Hoc autem in negotio ut feliciter cedat tibi labor, ſtatim explorabis quæ mali ſit prima radix, id eſt, illius receſſus cauſa princeps; hæcque cum circà motum verſetur, motuum qui in corpore exercentur authorem primum, primamque ſedem inveſtigabis; & cum in *elatere & ſolidis* utrumque ſitum eſſe liqueat, ad *ſolida & elaterem* totum te convertes; intelligendo *elateris* & oſcillationum culpa mutatos fuiſſe *fluidorum impetus*, alienas *directiones*, turbatas, mixtas & inquinatas fuiſſe *ſecretiones*; quandoquidem *elateris* & oſcillationum virtutes ſint, undè fluidorum impetus, *directiones & ſecretiones* temperentur. Culpæ genus quæris? indigitabit genus *ſymptomatum*, quæ morbum comitabunt, mutataque animalis œconomiæ facies. Habebis pro miti, placido & æquabili, durum, tumultuantem & inæqualem pulſum; pro molli & vaporoſo calore, arentem & ſiccum ardorem; ſomni loco, vigilias & deliria; vomitu & cardialgia diverſatum ægrotantem videbis & æſtuoſum; humores vel a ſuis demotos ſedibus aut locis depulſos, vel eò impetuosè abreptos & præcipitantiùs; verbo ſingulos ſtationes ſuas deſerendo ſuccos aliò aſportari; adeò ut quæ ad habitum ſenſim ibat roſcida *lympha*, quod ad palatum & linguam, ad pulmones & renes membraneumque genus ſerum ferebatur, tandem quæ ad hepar gradiebatur bilis, hi ſucci omnes oriente morbo inter ſanguinem veluti præfocati, ad hæc vel illa viſcera indiſcreti trudantur; ubi *erethiſmo*, *ſtaſes*, *phlogoſes*, tenſiones, *ſpaſmos*, *ſtatulentias*, *meteoriſmos*, dolores committunt. Hæc ſanè plus ſatis oſtendunt, cujus ingenii ſint illa *ſymptomata*, at quantæ potentiæ & roboris ſit illa vis unde fluunt, apertiùs declarant vaſorum diametris & capacitatibus factæ violationes ejuſmodi, ut invita quos coercebant ſuccos eructent, explodant, & a ſe quaquaverſum expellant, unde *hæmorrhagiæ*, *hæmoptyſes*, *diarrhœæ*, *colliquationes*, *catarrhorum* omne genus, namque tot ſunt evacuatio-

(e) *Ibid. v. 6.*

tiones coactæ, ſub quibus indiſtincti ſucci vi & inconditè eliminari videntur. Poſthàc de genere *ſolidorum* culpæ dubitare ceſſabis, quis enim eò uſque amaret cæcutire, ut ſibi recuſaret *elateris* potentiæ exſuperantiam hic providere? interim cum a naturæ moribus id omne abhorreat quod immodicum eſt, operanti naturæ aut conamini illius ex his operibus nullum imputabit artis prudens, at omnia habebit non ſecùs ac morbi molimina, id eſt, cauſæ morbi, *elateris*, qui *ſolida* ſtimulando fortiùs oſcillationes turbat, arctat capacitates; *ſecretione*ſque interturbando omnia miſcet. Contra verò illis auſcultabit motibus quos obſervaverit ad natu *rythmum* ambulantes, quales erunt ii qui ſuos intra propria *ſecretoria* ſu elaborabunt, qui a nativis non deerrando tramitibus, neque a nativa for, ſolitiſque calores, *craſi*, & habitudine penitùs deſciſcentes, naturæ te ram produnt adhuc, aut caracterem & illius notacula monſtrant. Enimverò medicinæ ſapientem fugiet nuſquam morbum eſſe mixtum quid ex duplici motu, altero qui naturæ ſecernentis, altero qui turbantis morbi eſt, utroque a ſe invicem diſſimili tam parùm, ut ineautis tucum faciat, utriuſque enim nomen idem, idem titulus, facies eadem, ut ut diſparis ambo ſint ſcopi & diſſimilis eventus: mixtum iſthuc febris eſt, medicorum vulgò terriculamentum, artis prudentibus gubernaculum; claſſicum enim veluti eſt & ad luctam ſignaculum, quo impetitam ſe admonendo natura, auxilium medentis invocat, huicque confeſtim ſe dat inſtrumentum, cujus ope, & *ſolidorum* tono ille admoneatur, & de *fluidorum* ingenio, *craſi* videlicet, quam alit aut mutat circuitus facilitas aut impeditio: ut enim ex pulſu duro, rigeſcentes aut *ferratili*, miti, molli aut libero intelligit medicus, cujus *toni* aut *elateris* ſint nervi & membraneum omne genus, exinde quoque infert, qualis ſit, cujuſque gradus *ſpaſtica diatheſis*, qua preſſa *ſolida* laborant & impediuntur; æſtimabit quoque ſanguinis conditionem a pulſus duritie, ſi exquiſita illa ſit, hæc enim tunicarum arteriæ arguit *ſpaſmum*, ſimulque interfluì ſanguinis fibræ *ſpaſticam* rigiditatem, unde compacta & ſolideſcens ſanguinis moles, illam induit pelliceam duritiem, quæ *pleuritidi* propria eſt, omnibuſque *rheumaticis & inflammatoriis* affectibus communis; quaque ratione pulſus iſtiuſmodi *phlegmonodes* appellatur ab iis quos ad medendum formavit artis uſus ex eo quod *inflammatoriis* morbis ſingularis ſit, *membranaceum* cognominari illum condonabunt iis quos obſervatio docuerit, pulſum eundem iis morbis eſſe familiarem, ſub quibus *phlogiſta tenſione* laborant partium *membranæ*. Revera in quibus ætatis aut temperamenti ratione macilentiores ſunt, proindeque membranaceæ magis partes, eujuſmodi ſunt *melancholicorum* non pauci & ſenes qui firmioris texturæ ſunt & vegetioris temperamenti, in iis, inquam, omnibus, ſi in morbum inciderint, pulſum durum tumentem & *phlegmonodem* reperiri frequens eſt; adde eos morbos ſub quibus ſingulariter affici ſolent membranæ, de quorum numero ſunt *apoplexia*, ſub quibus *meninges* ſtagnatæ ſanguine reperiuntur & *phthiſes* quæ fiunt vel à *tuberculis phlegmonodibus* intra membraneas pulmonum *veſiculas* congeſtis, vel *apoſtaſibus inflammatoriis* intra *mediaſtinum & pleuram* conſiſtentibus. Porrò hunc de pulſu *phlegmonode* conceptum illuſtrat *hectici* pulſus notio ab ipſis artis parentibus tradita, qua *hecticum ſpiritum* (qui cum oſcillatione *hectica* convenit) ſtabiliebant: tum & obſervatio quotidiana, qua norunt medentes *hecticam* febrem ſolitam eſſe *phthiſeos* appendicem, cum in illam febrem *phthiſin* deſinere obſervent; at *hectica* febris partium ſubſtantiæ febris eſt, ſeu *membranarum & tunicarum*, quæ *erethiſmo* quo ſemel tactæ ſunt penitius imbutæ obſtinatiùs oſcillant, illamque faciunt febrem quæ antiquis *hectica* habebatur, partium enim *exin* occupare illam, ipſiſque *ſolidis* partibus inſidere dogma illis ſolitum erat.

Ve-

Verùm quod ad artis uſum ſpectat maximè, ſcientia *ſolidorum* eſt, quæ hinc adjuvatur mirabiliter; quanti enim ad definiendam in ægrotis virium menſuram ponderis aut momenti fuerit antiquis pulſus doctrina, dudùm publicum eſt, ſed longiùs progreditur hic expoſita pulſus notio, quæ ut decet perpenſa, ſinceras medendi intenſiones aperit, aut *indicationes*. Pulſum enim qui morbis adeſt *elateris* aut potentiæ augmentum eſſe palàm eſt, quippe qui ſit motus illius qui corporis œconomiæ præeſt potentiæ incrementum, *arteriarum* videlicet, quæ crebriùs aut duriùs pulſando, plus potentiæ factum eſſe ſibi oſtendunt, ut laboris plus & operis in ſe ſuſcipiant; atqui fracta potentiarum res inter æquiparatas æquipollentiâ, inconſonantiam ſequi neceſſum eſt, unde auctâ arteriarum pulſantium vi, iiſdem manentibus, imò anguſtioribus factis earum diametris aut capacitatibus, quibuſcum æquiparabatur arteriarum vis impellens, vim inter & capacitates conſonantiam perire conſequentia eſt. Igitur ſub morbis dum adeſt ad impellendum potentia major, ad recipiendum aderit minor capacitas; his in anguſtiis pulſo hinc ſanguini, illinc non admiſſo, repulſo undique, & undequaque præſſo repreſſove alterutrum accidat oportet; ſcilicet ire contendens ſed progredi neſcius, vel cohærebit, ſtagnationeſque & *ſtaſes* committet; vel (quia preſſus liquor hac parte exſilit, ubi minùs ſentit *reſiſtentiæ*) preſſo ſanguini ad ea vaſa efferri neceſſum erit, in quibus erit *reſiſtentiæ* minùs; iſtiuſmodi autem non erunt vaſa quæ cæca ſunt, id eſt expertia exitus & effugii, quales ſunt *arteriæ & venæ* ſanguinales quæ arteriis continuatæ nullibi hiant, ſed ad cor replicantur non interruptæ; hæc ergo vaſa repulſo ſanguini non offerent emiſſaria: at ſui ſunt *arteriis lymphaticis* aut *ſecretoriis* tubulis, qui arteriaci ſunt, exitus, quibus aut *inſenſibilis tranſpirationis* vapores, aut *ſecretionum lymphas* excernunt; igitur vaſa hæc erunt quæ plus facilitatis hæſitanti ſanguini offerendo, hoſpitia illi parabunt, quæ ſuccis illius in emiſſaria faceſſent, hinc multiformes *evacuationes*, *colliquationes*, & *excretiones*, quæ *ſymptomaticæ* vocantur, ſic enim *determinationum* impetu indiſcriminatim pelluntur ſucci, & ad indebita loca, in quibus indigenis ſuccis addentes ſe, multi coloris tingunt & fucant humores, qui incautorum mentibus & oculis illudunt. Hic autem morbi molimina & *elateris* exſuperantias dijudicabis a naturæ conaminibus, hic enim agunt *directiones*, illic cogunt *impetus*: hic habes ordinis, regularum & *proportionum* effectiones, illic turbarum, tumultùs & diſcordiæ fructus. Enimverò ut in corpore ſano vaſa omnia plena ſunt, in ægroto egurgitant omnia, undè quæ in illo vaſorum capacitates continebat aut modulabatur *ſyſtole* mollis, in hoc ſtringit eaſdem & arctat aucta *ſyſtoles* potentia; ſed hinc contractio locorum & ſanguinis hujuſque ſuccorum preſſus, qui qua fluere deberent neſcii, qua queunt aufugiunt.

Interim ut ſuccorum copia non major eſt quam *lymphaticorum*, tùm cum rubram ſanguinis partem longè ſuperet albam, tum cum ad *lympham* pertineant *ſecretionum* ſucci, qui omnes in *lympha* fundantur, in propatulo eſt ſub hoc univerſali preſſu *lymphaticis* ſucci vim maximè fieri, iis inprimis qui in majoribus ſanguineis vaſis ſimul cum ſanguine confuſi ſub *elateris* prælo ſudant, unde intelligere eſt maximam *colliquationum* copiam, quæ ſub morbis fiunt, a *lympha* venire, quæ undequaque preſſa, hac illac ad ea quæ obicis minus habebunt vaſa ejicietur: at hæc eſſe *lymphatica* modò oſtenſum eſt, quibus ſi addas laticis indigenæ quo imbuuntur cum lympha advena affinitatem, concludere erit aufugienti lymphæ nata eſſe iſthæc hoſpitalia vaſa, his aliundè donata emiſſariis quibus ſuperfluentia eructabunt. Poſthac aſſequi proptum eſt perennes illas ſcaturigines, unde manant ſub morbis illæ humorum copiæ, *lympha-*

phatica enim sunt arteriæ & arteriales *secretionum* tubuli, ad quos expressi refluentes ex arteriis sanguineis succi, tam immensam *fluidorum* mensuram sufficere possunt, quam ampla est corporis moles, quamque est numerosa *lymphaticarum arteriarum* multitudo, ex quibus illa moles coaluit; ut enim ne quidem unus in toto corpore apex ex vasis conflatus non sit, iisque maximâ per parte *lymphaticis*, sequitur nihil ferè esse toto ex corpore, quod *lympham* fundere non possit; illorum enim *lymphaticorum* nullum est quod indigena non sit aut inquillino succo turgidulum, insuper nullum, quod majoribus continuatum cum iis non communicet: unde verum est, posse esse tam immensam *fluidorum* mensuram, quam ampla est corporis moles: hæc autem in multis est librarum centum & ampliùs, ponduſque suum a *fluidis* quibus turget mutuari eam tam verum est, quam certum viscris alicujus, *hepatis*, verbi causa, membraneum textum aut subtegmen elotum exsuccumque, ponderis esse longè minoris pondere succorum quos eluere novit anatomicorum solertia: liquet ergò asserta veritas.

Sed hinc quantum lucis venit *fluidorum* doctrinæ! quorum natales, nomina, mores, sapores & naturas in posterum discernere dabitur & definire; jam enim patescit omnes illos humores in quos miserè liquescit morbosum corpus nihil aliud esse præter elocatos succos, qui a patriis sedibus abrepti ad alienat aufugiunt. Hic *bilis* erit quæ cæteras *secretiones* inficiendo suos illis affricasapores, illas coloribus tingit, titulis vestit, fucat imaginibus; illic erit *transpirationis* materies, quæ ad *pulmonum*, *intestinorum*, *&c. glandulas & secretorios* tubulos *retropressa*, *catarrhorum*, sputaminum, & omnium alvi fluxum causas fuggeret aut fomites: at ex omnibus succorum transmigrationibus tolerabiliores, quorum succi erunt congeneres, nempè *lymphatici* omnes sapore tantùm aut colore differentes, periculosiores verò transmigrationes, si natura diversi prorsus sint qui transmutabuntur succi: hoc ut intelligas, meminisse decet, cujuscunque coloris, nominis, aut vultus fuerint sub morbis *symptomaticæ* evacuationes, ab alterutra sanguinis parte eas unicè derivari; vel ab *alba* quæ a propriis in quibus secreta jam fuerat incerniculis, ad alia *secretoria* effertur, vel a *rubra*, quæ a sanguineis vasis deviando in *lympaticos* tubulos se ingurgiat, ut enim per *arteriam* injectus impetuosius liquor per tubulum *secretorium* refluere conspicitur, similiter fortius a corde pulsus per *arterias* sanguineas sanguis, intra *lymphaticas arterias*, aut *arteriacos* tubulos se suamque ingerit & fundit purpuram. Hinc *secretiones* cruentari vides, adeò ut *salivam*, *sputa*, *lacrymas*, *semen*, *urinas*, ipsasque alvi dejectiones sanguine fœdari frequens sit; sed quam plena sunt periculi isthæc *symptomata*, quantumque incutiant terroris edocent *hæmorrhagiæ* narium, quæ morbos quos inchoant ominosos ostendunt aut faciunt; ejusdem periculi est mictio cruenta, quæ sub *variolis* mortem proximè venturam portendit; tum & *mensium fluxus*, causa cujus ut ut comparatæ videantur *arteriæ uteri lymphaticæ*, attamen nulli non morbo incommodo esse solet, ut ut tempore solito se prodat, discriminique graviſſimo si extra solitam periodum erumpat; variolarum adhuc exemplo, ubi sæpè ominis ingrati est *mensium* ea eruptio, quæ ordinariæ sexus necessitati servit, infelicis verò prorsus eventus, si inopportunè superveniat & indignata natura; denique his omnibus adjiciendo *sudorum* cruentationes & capillorum, qui sub *plica Polonica* sanguinem stillant, confiteberis, nullum esse symptoma sub quo alienatæ magis sint functiones, vixque aliud suppetere argumentum, unde melius intelligas denormari penitus corporis œconomiam.

Sed quid indè redit medicinæ fructus? quid ægrotantibus commodi? per-

nul-

multùm sanè, totum enim illud quod a medici sapientiencia expectabis, quodque prætendere queat humana mortalitas, idque simplicitati, quæ veritatis notaculum est, tam accommodum, ut nihil naturæ proprium magis aut simile. Itaque sub hoc huc usque tradito morborum conspectu, unicum medici munus crit, studium omne, unica cura, corporis rerum alienati ordinis, violati æquilibrii, perditæ consonantiæ redintegratio; sicque ut medicina fiet instrumentum pacis, medicus erit ordinis vindex aut harmoniæ reparator. Ad hanc ergò se componens medendi idem, ex conditione pulsus; functionumque abalienationis genere, unas ànimalis œconomiæ turbas compescere discèt, optimè gnarus intutas esse, infelices aut insidiosas, quæ pacis inimicæ erunt aut alio ducent medendi intentiones. Hoc sensu hostilis erit curandi ratio, quæ ejusmodi suggeret auxilia, undè tranquillitati vel paci (quam spondent non conferunt) metuendum semper est, ut pote quæ pax non vera sit, sed infidæ & fallaces induciæ, tumultus majoris prænuntiæ, aut periculi minaces. Medentem admonebit pulsus firmitudo aut durities, quàm longè a miti, mollique sua habitudine recessit nervosi generis *tonus*, undè a *solidorum spastica* vi repetere discet id omne festinantioris, rapidiorisvè motus quo fluida ferri videt, id ardoris omne quo hæc incaluisse animadvertit. Tum ex locorum, viscerumvè dignitate, positu, distantiis, textu, officiis, viarumque quibus itur, ad ea redituryè *directionibus*; denique aliarum ex partium quibuscum ipsis convenit aut consentitur rationibus, formabit indicationes, ut ad omnes illas circumstantias sua temperet, dirigatvè consilia; observando insuper, aut a medicinæ partibus observata firmiter tenendo loca, ad quæ sub morbis natura vergit; symptomata quibus utitur, quas sequitur vias, quibus deturbatur impetus, *directiones* quibus duci amat; hæc enim omnia tenuisse, artis tyrocinium exuisse non est, sed magisterium obtinuisse. Quæ res si ita se habuerint, ab illo aucto partium *elatere*, id est; a febrili illa oscillatione metuet minùs medicus, agnoscendo servatas *fluidorum directiones*, quæ nempè eò ferentur, aut ad eo loca & vasa, quæ ad *secretionem* instituta sunt, maximè si succi quibus secernendis a natura dicata sunt, congeneres fuerint advenientibus succis, aut a febre eò *determinatis*; tunc enim humores erunt, qui castigari minùs aut evacuari postulabunt, quam patriis sedibus restitui. In his autem motibus intueberis exempla motuum qui naturæ motus vocantur, quos prudenter sinere medentis sapientia est; ita tamen prospiciendo, ut si naturæ cespitare contingat, opportunam porrigat manum, secùs erit si eò processerit tumultus, ut ad partes trudantur humores, quæ emissariis defectæ ad excretiones non factæ sunt; hic enim casus diligentiorem exiget manum quæ *stasin* prævertat aut demoliatur, suspensam tamen, nedùm arcere malum præcociùs aggrederetur, impetus & turbas augendo acceleret magis; series enim & ordo est in ipsissimis *symptomatis* quæ insumit natura in vincendis morborum causis, sic ut illorum nonnullis præcedere detur, succedere aliis, igitur sua sic instruere remedia norit medicus, ut eorum quæ priora esse convenit præoccupare loca nusquam concedatur iis quæ ultima esse decet: ad *stimulantia* pertinet hæc medendi regula, quæ ut ut stagnantes aut restitantes succos dissipent feliciter, quando fodicandæ iis offeruntur partes, quæ superfluentibus succis vacuatæ stringi se tutò & prosperè comprimi sinunt, nihilominùs tamen morborum initiis præmaturiùs usurpata, tumentibus & copiosioribus succis præoccupata vasa lacessendo, cuneatos agitant succos, qui ire redirevè nescii, imò *spasticæ* systoles ictibus iteratis jugiter subjecti spissescunt & indurantur, insuperabilesque morbis obices ponunt.

Reipsa *elateris* augmentum est undè suæ morbis veniunt turbæ, nervorum-

rumque *toni ſpaſmus*, undè morborum ſymptomatis ſua fit pernicies; ſed has diluunt culpas quæ molliendis laxandiſque partibus apta nata ſunt; qui enim illinc naſcuntur impetus frangi minùs amant quam molliri iſtiuſmodi auxliis, quæ palantes & disjectos ſuccos ad proprias ſedes reinvitent; qui eorum effectus eſt quæ pandendo fibras dilatandovè vaſorum ampliant capacitates, ſicque reducendis ſuccis ſpatia parant aut aperiunt, ubi ſanguinis fluento redditi ad æquabilitatis ordinem aut æquilibrium redeunt. Itaque remediorum pretia non ab energia inſigni aut actuoſa operandi virtute æſtimabis, ſed a redeunte ſuo partibus *æquilibrio*, quod tranquilli genus, ſi ut a tempeſtate ſudum, ab exhibito remedio conſtanter ſuccedat, legitimum & laudabile nactus eris medicamentum; undè hanc in adhibendis remediis tibi dices legem, ab eo omni cavendum, cujus uſum excipiet incerta tranquillitas, hoc eſt anceps illius allevatio mali, quod ut anxium medicum tenebat, ita præſtantiſſimam poſtulare operam videbatur. Inde ſe dat hæc altera artis regula, medenti abſtinendum eſſe ineuntibus morbis ab omni *ſtimulantium* genere, ut pote quæ *ſpaſticam* partium *diatheſin* augendo, morborum turbas, unde quos movent humores in tantùm non promovent, ut illos cuneent & adigant magis, *ſolidorum tonum & elaterum* intendendo, *fluidorum ſtaſes & ſtagnationes* multiplicando, tandem tardato circuitui obices plures aut remoras ponendo. Ex hac autem medendi idea, hæc adhuc alia ſurgit medendi regula; religione pari abſtinendum eſſe ſub initiis morborum, ab omnibus æſtuoſis, aromaticis, calefacientibus, *cardiacis*, reſiccantibus, imò & *amaris*; in horum enim uſu quantùm delinquitur a medentium non paucis, quos ludit iniquè factum *amaris* nobilius nomen! ut ut enim infringendi, edulcorandi, *perimendi acida*, hæcque *præcipitandi* ſpes & potentias in illis recondi ſpondeat *analyſis chymica*, non fatuum eſſe illorum ſaporem guſtus uſtendit, non ignavas eſſe illorum operandi vires edocet illorum purgandi ſanguinis, aut *depurandi* dicta virtus; denique de *alcalium*, ut loqui moris fuit, familia ſunt, proindeque igneæ, uſtulatæ, calefacientis & æſtuoſæ conditionis; annè ſortis hujus tumultuariæ convenit uſurpari remedia, quo tempore morbi, omnia fervent, tumultuantur? certè tunc temporis quod a *ſtimulantibus* metues *ſolidis* partibus, hoc ipſum *ſolidis & fluidis* reformidabis ab amaris, *erethiſmum* nempè & turbas. Sed hæc culpa eſt non infrequens eorum, in quibus diligentiæ aut præcipitantiæ minùs in adhibendis remediis deſideraretur, qui in medicaminum virtutibus verſari magis quam in capiendis morborum eccaſionibus optima remedia incertant, opportunitatum quæ, curationum animæ ſunt inexperti. Hinc cum glorioſis amarorum titulis horum buccas paſſim crepare audis, illorum medendi ritum *amarum* infortuniis infeſtari vides. In cauſa eſt neglectus aut oblivio in qua verſari moris eſt in medendo audaculos; qui medicaminum potentiis inſubidè credentes in his ſpem omnem collocant aut fiduciam, malè memores ex præſentiſſimis imò ex *ſpecificis* eſſe nullum, quod ſpreto corporis *mechaniſmo* proſperare queat. Perpetuus hic eſt artis pædagogus, ad cujus leges qui artis uſum ſpreverit temperare, ſpe ſua cadere ſe non infrequenter, ægrotantiumque ſuorum funera denſari experietur. Sic eſt de infelici *amarorum* uſu, poſthabito quo ineuntibus morbis inflammatoriis *ſolidorum* ſimul & *fluidorum* duplici *ſpaſmo* laborant partes, audaculè oggerunt potiones amaras, quæ partium fibras jam *ſpaſmodicè* tenſas ſua amaroris energia afficiendo validiùs, firmiùs ſtringunt, ſicque ſibi intra vaſa præcludendo aditum, *ſolidorum elaterem* erigunt mirabiliter; indè impetus & velocitatum novi gradus, intereà dum *fluida* illarum infringendi; edulcorandi ac *præcipitandi* potentiis defraudantur: cum è contra traditam a medicantibus fidem liberaſſent illæ potiones,

ſi paulò ſerius, nec niſi poſt emollitas *ſolidorum* fibras propinatæ fuiſſent, tunc enim obſequentes offendendo vaſorum aditus & fibras, ſuas omnes *ſolidis* illæſis in *fluida* exercerent virtutes.

Sed *ex ungue leonem*; hoc enim *amarorum* exemplo diſces, quanti momenti ſit ad morbi curam accingenti ſe medico, accommodè ad *ſolidorum tonum* ſe gerere, ut potè cum a primo illo curationis puncto pendeat maximè medicinalis operæ felicitas, pluriumque graviſſimorum ſymptomatum averſio; *diarrhœarum* v. g. quæ tot infeſtant morbos, quarum ideò infauſtæ ſunt curationes, quod dum *ſolidorum* vitio aleſcunt, ad emendanda *fluida* tota ſe componat medentis cura; a quo dum eliminanda ſuſcipitur immenſa *fluidorum* copia, inſubidè habetur ſtomachi fibrarum *ſpaſmodica* contentio, quæ proprios eructat ſuccos, adventitioſque adoptare renuit; tùm maximè cùm *amarorum* aſpredine, importunitate *pulverum*, ſimiliumque rerum hoſtili contacto reniti cogitur ſtomachus & reſilire. Annè igitur medios inter turbarum tumultus meditando ceſſabit medicus? certè feriari illum tolerabilius fuerit, quam aliud aut malè agere. Interim muneris illius erit naturæ tueri partes, morbi componendo fluctus, at eorum opera quæ pandendo, laxandove *ſolida*, ad ordinem & æquilibrium *fluida* revocabunt: diluentia hæc erunt, demulgentia, ſedantia, mitigatoria quæ erunt obſcuri ſaporis, aut inſaporata, *membranarum* naturæ, aut lymphæ qua imbuntur ingenio *analoga*, *lymphatica* igitur, aquatica & humectantia, quod erit ad corporis mechaniſmi conſuetudinem & mores; illinc enim paſſim cernere eſt, ſalſi nihil aut ſaporis admitti in nullis illius nobilioribus operis aut functionibus, quas omnes unius *lymphæ* opera exequi novit; ſcilicet, molem illius augendo hic, illic minuendo, gravitatem aut pondus addendo modò, modò demendo, tranſducendo eam per varias locorum declivitates, ſitus, pronitates, inclinationes, tum per multiplices tubulorum capacitates, diametros, oſcillationes, his artibus mille illam tractando, variiſque œconomiæ corporis neceſſitatibus apponendo, uſque dum ſuis omnibus defuncta muniis interareſcat. Sed tot imitamina medenti hæc erunt, qui reconcinnanda ſuſcipiens naturæ laborantis opera, ſolos naturæ modos & rationes æmulando proſperabit. Igitur princeps illi vel una cura erit *fluidis* nativum reddendi *pondus* & propriam *gravitatem*, undè ſuæ veniunt *velocitatibus rationes*, a quibus cum alantur ſanguinis circulationis ordo, æquabilitas & æquilibrium, in his quoque reſtituendis ſuæ *fluidis* reddendæ erunt cum *gravitate velocitatum*, & cum *velocitatibus maſſarum rationes*. Id boni operis conferet medicus, lymphæ motuum & *craſin* redintegrando, cum enim ſanguinis vehiculum *lympha* ſit, intermediique genus aut vinculi quo particularum illius copula & veluti *amalgama* fit, ſuam *lymphæ* ad motum facilitatem, ſuamque habilitatem ad copulandas, vinciendaſque ſanguinis particulas reddidiſſe, omnes ad æquabiliter circulandum conditiones reſtituiſſe illi eſt. Atqui quæ *lympha* capit vitia, ad ſpiſſitudinem pertinent maximè, in hanc enim ultimò deſinere ſolent, unde tam denſus morborum numerus, ubi ſanguinem ſpiſſo glutine obductum cernere eſt; medendi igitur conſilium erit, quod in regulam medico faceſſet, diluendi lympham, eamque diluendo tenuandi. *Diluentium* nomine venient potulenta & juſcula, quæ molles, lubricas & flexiles particulas cumulando, hinc *ſolidorum elaterem* mulcent, *ſpaſmum*que laxant, illinc *fluidorum*, *lymphæ* imprimis mergendo particulas, leves has ſervant & faciles ad motum, ſicque a gravitate tuentur & denſitate. Porrò ignavi ſaporis potulenta erunt, ut pote quæ diluendo tantùm prodeſſe debeant, iis fortè medicata radicibus, quæ mulcedinem aſſerant & flexibilitatem: ſimilis ingenii & condituræ juſcula erunt, & juniorum animalium

car-

carnibus, *oryza*, *hordeo & oleraceis herbis* castigata, aut (quod majoribus placuerat) excarnia, ex *hordeo*, *avena*, *oryza* unicè parata; qua ratione, quot *colliquationes*, *diarrhœæ*, *nauseæ*, *vomitus*, anxietates & febrium exacerbationes arceantur, compererunt artis prudentes.

Ad *diluentia* spectant aquosæ potiones, *julepi* nempe toti ex aquis constantes, & *emulsiones* quæ lacteſcentes aquæ sunt, ex utroque enim illo aquarum genere venit *solidis* unde molliatur illorum *elater*, *fluidis*, unde *tumultus* eorum compescatur & frangatur impetus. *Diluentium* genera ea sunt adhuc ea quæ (ubi fert morbi conditio) exteriùs admota molli suo & humente contactu cutem laxant; talia sunt *balnea*, *fotus*, *enemata*, hæc enim a mellitis & purgantibus libera, balneæ sunt, quæ interiores intestinorum superficies subluendo fibras laxant, villos hirtos nimiùm flectunt, illùcque desinentia referant vasorum oscilla; hæc ergo omnia laxando nervorum *elateri* idonea ut commendavit usus, prudentia retinebit. Hæc si pauca numero & viribus exigua judicabuntur, recordaberis nec medici, nec medicinæ propriæ virtutis esse curare morbos, officii illorum tantùm esse nosse ea & adhibere, unde curatio succedat, in hocque unico puncto contineri omnem medendi sapientiam. Sanitatis ergo legum administer medicus, non dominus est, legum nempe, quarum nec author, nec parens est, sed custos, quas non in seipso, sed in corpore cui medetur juges habet, obscuratas fortè a morbi tumultu, sed non deficientes, nec invalidas, imo in quibus audiendum obtinet medendi magistrum, efficacemque inveniet medelæ energiam. *Mechanismi* vis ea est, qua instructas corporis partes non secus ac ingenitam illis contemplabitur, & a Creatore sic informatas ut vitam & sanitatem ad præfixum usque ab illo terminum producere valeant; ubinam autem Creatoris benignitatem mirari simul & amare dabitur evidentiùs? qui ne operi suo deesse videretur, tutelæ illius suis ipse legibus incessanter præesse voluit. Unde muneri suo nusquam minùs deerit medicus, quàm cum prudens actor & observator patiens, proprii consilii & remediorum parcus videbitur, tunc enim suorum cessator operum, naturæ intentionum fit explorator, iis agendi occasionibus inhians, quas temporibus suis meditata natura aperit, motibus se manifestando, aut nutibus quibus adjuvari rogat. Sed illius quam hic tractamus medicinæ beneficium aut prærogativa est, *elaterum* exsuperantias sedando, & *fluidorum* molliendo impetus, ea naturæ faciendi temporum intervalla, quibus ad se hoc est ad originem redeat & æquilibrium; non alia ergo est naturæ tam affinis, in sanandisque morbis futura felicior medicina, eundem enim cum illa scopum eligendo, premendo eosdem gressus, mores, opera, modos eosdem æmulando, idem illi est ac sub auspiciis naturæ mereri, meliùs, sub illius oculis & illa duce vincere est.

Interea ex illis naturæ docentis admonitionibus intelligit medicus, qua parte, qua ratione succurri postulet, quibus & quantis auxiliis, num generosa aut remissa manu, addendo, vel subducendo stimulo, vacuando sanguinem, aut purgando, emendando aut eliquando humores, in quibus sunt omnes remediorum intentiones aut effectus, in quorum scientia, usu, moderamine ponitur artis complementum, & medentis honos.

CAPUT XIII.

De remediorum neceſſitate, uſu, opportunitate; alterantium, evacuantiumve *temporibus*, abſorbentium, *amarorum*, martialium & narticorum *utilitatibus aut infortuniis*, *omnium & ſingulorum agendi rationibus*.

SI curtæ nimium futuræ medenti videbuntur traditæ hactenus providentiæ, vel tardandis morborum ingruentium incrementis impares illius curæ, tunc ſe prodit remediorum locus aut neceſſitas, id eſt, manifeſtum ſe dat neceſſarium ad ea confugium, quæ ingraveſcentia ſymptomata potentiùs depellant & efficaciùs; ea tamen conditione, ut quæ ſuccedent remedia, cum iis quæ de *diluentibus* præmonita ſunt omnino conſentiant: ut omnia tum anteacta, tum futura junctis quaſi manibus & agmine facto concordent, in pandendis, laxandis, dilatandiſque partium fibris & vaſorum capacitatibus. Cum enim ſub ſanitate preſſio ſit partium generalis, ſub qua nihil niſi plenum eſt (tam arctè connivent vaſorum parietes!) inferre promptum eſt, quàm arctioribus cancellis coerceri *fluida* oporteat ſub morbo, qui preſſionis accretio eſt, quam facit *ſpaſtica ſolidorum diatheſis*, unde ſi in prævertendis *ſolidorum ſpaſmis* inſumendæ ſunt priores curæ, in iis ſolvendis inſumendæ erunt poſteriores, quibus omiſſis circumquaque preſſa, pulſaque *fluida*, indiſcriminatim & temerè hàc illàc disjecta, quaquaverſum ad hæc vel illa viſcera deturbabuntur; & pro variis reſiſtentiarum rationibus, ad hæc vel illa *ſecretoria* depulſi confluent ſucci. Hinc certè ſanguinis circuitus inordinationes & turbæ a quibus extrema impendebunt vitæ diſcrimina, ſi *fortiori nodo* opus fuerit *cuneus fortior*; is erit *fluidorum* immunitio; qua facta *maſſis* jactura tardabuntur *velocitates*, ſicque frangentur impetus, reddita enim *fluidis* ſua cum ſuis capacitatibus proportione, intra proprium alveum aut retinebuntur *fluida* aut revocabuntur; ſed & aliud affert bonum *fluidorum* facta minoratio qua fit ut quæ anguſtiora erant locorum ſpatia, in latiora faceſſant, unde accidit, ut diminutis *fluidorum mole* & *reſiſtentia*, ſimul minuatur *ſolidorum* preſſio, proindeque fatiſcant impetus, ſuaque redeat fluidis ſuorum motuum ſeries, ordo, tranquillitas. *Fluidorum* minuendorum ars eſt non contemptibilis, exquiſita diæta, quæ quantò alimoniam reſecat, tantò *fluidorum* minuit molem, hæcque ſuccedere ſolet non infeliciter, ubi præſentius nihil aut promptius exigit morbi conditio; aſt ubi in tantum inſtant pericula, in quantum celeria ſunt morborum tempora, ejuſmodi auxilium adhibebitur, quod reſecandis *fluidis* confeſtim & abundè par erit, nimirum ſanguinis miſſio, quam vincit aut æquat vacuandi ratio nulla, ſive celeriter, ſive copiosè *fluida* minuendi ſit animus. Iterum enim memineris morbum eſſe preſſionis ſtatum, unde intelliges *fluidis* neceſſarium eſſe eo confluere, ubi exitus aperietur, hac non incerta ratione eò versùs pelli quæ premuntur *fluida*, ubi minùs ſentient reſiſtentiæ; qua celeritate concipies ex illa univerſali *ſolidorum* preſſione, ſub qua *ſolidorum* nihil eſt quod non premat, nihil *fluidorum* quod non prematur; qua vero abundantia, aſſequeris cogitando quàm ampla, quàm denſa, quàm lata carnium moles, quàmque ſuccoſa illarum corporatura, quam ex tot vaſis

quot

quot lineis compingi ſi cogites, illicò concludes millium mille vaſorum multitudinem eſſe, quæ premuntur, quæque ut omnino & ſemper plena ſunt, incomprehenſam ad majora vaſa, hincque ad apertum exitus locum eructabunt, fundentque immenſam *fluidorum* abundantiam.

In hoc autem *fluidorum* conceptu ut agnoſcere detur exuberantes quarumlibet *colliquationum* & *catarrhorum* fontes, ſic in *fluidorum* imminutione facta artem animadvertere licet ejuſmodi colliquationes aut ſanandi, aut præverendi, idque ſanguinis miſſionis beneficium erit, qua inanitis venarum ſanguinalium ſpatiis, ab exundatione præſervabuntur arteriæ ſanguinales & *lymphaticæ*. Itaque ſive alba, ſive rubra ſanguinis pars egurgitet, ſanguinis miſſio remedio erit, hinc enim *ſpaſticam diatheſin* molliendo, illinc ſpatia dilatando ſuos intra alveos *fluida* coget aut continebit; hanc ob rationem tantùm levaminis in ſanguine miſſo experti ſunt medendi ſapientes, in coercendis *hæmorrhagiis*, vomitionibus & *diarrhœis*, quæ omnia exæſtuanti (quod exundare eſt) ſanguini attribuere ſueverant.

At quantò potentior & efficacior eſt ſanguinis miſſio in regendis, cogendiſve *fluidorum* motibus, eorumque mutandis aut faciendis *determinationibus*, tantò diligentiùs explorabuntur in mittendo ſanguine locorum pronitates, commoda, opportunitates, ne committatur uſquam, ut fluidorum exundationibus impetum ſequatur aut acceleret miſſio ſanguinis. In hoc monito tota continetur *revulſionum* & *derivationum* doctrina, quam eviluiſſe nimiùm fecit veteris Philoſophiæ magis, quàm veterum ſapientiæ ruditas; ſed illam exponit aut interpretatur feliciùs partium *mechaniſmus*. Quòd namque infauſta adeo ſint a *raninarum* aut *jugularis* ſectione cœptæ anginæ & *apoplexiæ* curationes, efficit ſanguinis impetus ad affectas partes, versùs quas adductus ſanguis, vicinarum illarum venarum ictu, *inflammatoriam ſtaſin* auget. Similis eſt diſcriminis & incommodi miſſio ſanguinis è brachio reſoluto primùm inſtituta, irruenti enim in partem ſanguini calcaria addere eſt, licet illa eadem venæſectio, cæteris è pede, brachio, (fortè etiam è *jugulari*) ſub morbi finem ultimò ſuccedens feliciſſimi ſit eventus. Cautionibus iiſdem ſubjacet quoque *ſaphenæ* ſectio, quæ ſub *uteri*, *hepatis* & cæterarum abdominis partium *inflammationibus*, *obſtructionibus*, ſimilibuſque impedimentis maturiùs inſtituta, ſanguinem in impeditas partes deturbando impingit magis, & cumulat malum. Unde patrum obſervationi ſua ſtat veritas, ad artis felicitatem opus eſſe, ut *derivationi* anteeat *revulſio*, quaſi diceres, ſanguinis aliquò irrumpentis molliendos eſſe primùm aut divertendos *impetus*, antequàm obſeſſam infarctu partem *topicis* & *derivantibus* remediis expedire tentes: de *topicis* enim lis eadem eſt, quæ ſi *reſolventia* fuerint, aut paris energiæ, affectam partem dilatant magis, patentioremque affluenti ſanguini reddendo, ſuccis cumulant. Hæc ut declines mala ſedulus primùm obſervabis, anceps & intutum eſſe omnino ſanguinem ex aliqua parte ubi ſtagant dimovendum aggredi, aut ad diſſitas ab affecta ſede partes deducendum, iis ſub morbis ubi ſanguis *phlegmonodes* eſt, hoc eſt pelliceo glutine loricatus, tunc enim ut ponderoſus & lenteſcens eſt, mediis itineribus moratur, viſceraque tranſgredi neſcius, alicubi ſedem inopportunè figit illucque ex improviſo infert *apoſtaſin*; exemplo eſt *ſaphenæ ſectio* in pulmonum *inflammatoriis* morbis, quales ſunt *pleuritis*, *peripneumonia* &c. quam aliis *ſtertorem*, aliis præfocationem accerſere non infrequenter obſervatum eſt; qua de cauſa? edocet ſanguinis facta illic compactura, quæ illius venæſectionis invitationi inobſequibilis, in pulmone ſtagnat periculoſiùs, a remeantis enim a partibus inferioribus ſanguinis columna divulſus, ſuo ſic deſtitutus fulcimine, proprioque ponderi relictus, ut pote regredientis ſanguinis impulſu viduatus, in circulando ceſpitat, reſeſque

factus, extrema minatur mala: ſed hæc aliunde adhuc ingraveſcent, ſi præcociùs ſecta fuerit *ſaphena*, quo nempe tempore lenteſcente ſanguine oppletum adhuc cerebrum ſtagnatur, ad pulmonem enim ſuccis jam ſaburratum cumulatumve irrumpens è cerebro ſanguis, mole ſua & impetu mutantem jam ſanguinis circuitum gravat, ſiſtit, opprimit.

Itaque generalis medendi regula ſit, ſanguinem (ubi opus eſt) eo ex locò mittendi, quò versùs fertur minùs exæſtuantibus ſanguinis impetus, & ad quem tutiùs hunc eundem impetum evocari licet, quæ legitima *revulſionis* idea eſt: cumque poſituræ illius & conditionis maximè ſint brachiorum venæ, hæ fuerint a quarum ſectione auſpicaberis morborum curationem. Revera corporis medium tenere videntur, & ad æquilibrium natæ, poſitu ſuo quaſi providentes, ne corporis centrum exuberante ſanguinis affluxu opprimeretur; laterales tubuli ſint aut ſulci, qui elicum inſtar ſanguinem derivando ſuffurandove, tantò præcordia levant & majora vaſa. Denique ſi obſerves, quales ſunt in brachiis vaſorum directuræ, quæ ut plurimùm in longum exporrectæ ſunt, ſaltem in plexus molliores & pauciores intortæ, in his certè obviam habes meabilitatem, parabilemque ad ſanguinis circuitum facilitatem, cujus ope brachii vaſa eadem proclivitate qua ſanguinem accipiunt, eadem reddunt celeritate. Iterum attendas quàm liberæ ſunt in brachiis ſuo ab ortu ad fines ſuos vaſorum diſtantiæ, exſortes ejuſmodi *glomeraminum*, quæ glandulas dicunt, & in quibus ſuos morbi ponunt aut inveniunt nidos, ſuiſque in ſpatiis habentes ex iis viſceribus nulla intra quæ appulſus ſanguis interciperetur; unde intelligere eſt nullas eſſe partes, ad quas ſanguinem tutiùs *revellere* queas.

Neque illi, qui medentium vulgi eſt, ſcopulo illides, qui feminas menſibus defectas ſub febribus, illico è ſaphena ſecant, ignari aut malè memores, *phlegmonodem ſpaſmum* menſium abſentiæ cauſam eſſe ſub febribus non infrequentem, unde conniventes nimis *arteriarum lymphaticarum* diametri ſanguinem menſtruum admittere recuſant; quo in caſu ſanguinis motum ad uterum pedem ſecando provocare, ad cæcos vel impervios exitus ſanguinem cogere eſt, omiſſis nempe è brachio venarum ſectionibus quæ *ſpaſticam diatheſin* relaxando, *ſecretoriorum* oſcilla dilataſſent; argumento eſt *menſium* reditus, qui ſæpe venæſectionem è brachio proximè excipit, quique medici ſimul & ægrotantis implet vota, eoque feliciùs quòd provocantis remedii non effectio ſit, ſed reſipiſcentis naturæ motus ſuiſque redditæ directionibus indicium.

Si te moretur regionibus quibuſdam trita conſuetudo, ubi moris eſt inchoantibus quibuslibet morbis a *ſaphenæ* ſectione curationem auſpicari; noveris hanc culpam inprimis eſſe refundendam in male ſuadam regionum illarum chirurgorum timiditatem, qui ſecare brachia reformidantes, pedum ſectionibus medicos aſſuefecerunt; interim non tam infeliciter, ut enim taceamus quæ tacent infortunia, meliùs, ut prætermittamus, quæ venientia illinc mala tegit aut celat medendi ritus medelæ inexpertus melioris, faciunt incolarum ſobrietas, in aſſumendis carnibus eorum parcimonia, vinorumque mollium aut muſteorum uſus, quæ *acidorum* expertia ſunt, faciunt, inquam, ut fluxilior illorum ſanguis, & ad ſtagnandum ineptior, audaciùs ad inferas partes & præcipitantiùs deturbari queat, meabilis enim eſt, unde hærendo *ſtaſes* committere periclitatur minùs. Gallorum ægrotantium & chirurgorum alia ſors eſt, illi carnibus opiparis & vinis *acido* ſaturis aſſueti, his affatim & licentiùs indulgere amant, propterea que denſo, lenteſcente & glutinoſo ſanguine farciri ſolent; at aliunde, quod Galliarum chirurgiæ laus eſt, Gallorumque gentis felicitas, chirurgiæ noſtratis confeſſa ſolertia eſt, ſicque ingeniati chirurgorum noſtrorum digiti, ut quæ aliis tundenda obſcurior vena formidini foret, noſtrorum vertatur

hono-

honori. Posthac non erit unde a *revulsionum* veritate discedatur, hæc enim *derivationi* quæ quasi solvendus curationis nodus est viam parat, ægrotantique & medico spondet felicitatem.

Igitur mutato *fluidorum* impetu, quod procul ab affecta parte sanguinem divertisse fuerit, medentis proxima sit cura, sedem affectam suo ab infarctu expediendi; sed qua ratione irrumpentes succos aliò direxisse, dissitarum venarum sectionis opus fuit aut beneficium, succos parti impactos demoliri simul & amoliri, vicinarum venarum sectionis officium erit: medentis ergo scientiæ sit & usus noviſse quæ secta vena resolvendæ ejusmodi succorum compacturæ conveniat singulariter, quo in negotio ab anatomia adjuvabitur, a qua didicerit, quæ ab affecta sede revehentes venæ sint, usu aliunde & traditione majorum edoctus, quo sui loco tundi amant, tusæque opitulari consueverunt. Attamen procul a nobis a vulgaribus venarum nomenclaturis delectus, unde singulares venarum certa ad viscera respectus æstimantur, quæ enim ejusdem tractus & directuræ sunt venæ & ab eodem caudice exeuntes, ex eadem parte *derivant* aut *revellunt*; cum enim similis sint situs, aut posituræ, similis sint oportet *diversionis*, facto tantùm discrimine *diametrorum* & *capacitatum*, quarum rationibus, ut major breviori tempore vacuantur sanguinis quantitas, expeditior, amplior, celeriorque fit *diversio*: *cephalicam* ergo, *medianam*, *basilicam* &c. tundi perinde erit; ab eodem enim caudice exeuntes, ab eodem loco *divertent*. De pedum venis idem judicium erit, sive enim quæ pedis superficiem perreptant, sive quæ malleolis assident secari jubeas, ex abdomine similiter derivabitur, sunt enim ejusdem exortus. Secus autem de vasis, unde a *cerebro*, *oculis*, *auribus* vulgò *derivatur*, licet enim paris sint viciniæ, disparis prosapiæ sunt & officii, *arteriam* intellige & *jugularem*, quæ utraque sectæ *derivant* quidem, hæc sanguinem quem a cerebro revehit educendo, illa sanguinem quò ad partem stagnatam properat suffurando, quod certè eò potentius & promptius auxilium est, quòd in arteriis sit ordinaria *obstructionum* aut *stagnationum* sedes, in illarum nempe extremitatibus conicis, quò impetuosiùs impingendo sanguinis moles hærere & adigi periclitatur frequentiùs, dùm ab angustioribus spatiis in latiora ad eor remeando venarum sanguis faciliori alveo currens difficilè tardatur. Hinc *derivandi* ratio opportuna maximè esset arteriarum sectio, quæ cum inconcessa sit & interdicta, illarum venarum sectione suppletur, quæ arterias ad stagnatam partem vehentes sanguine minuunt; unde felix adeo tusæ *saphenæ* eventus in *hepatitide*, *jecoris phlogosi* aut *inflammatione*, nam *venam portæ*, quæ tota *arteriaca* est remeantis sanguinis demenso defraudans, arterialis sanguinis per *venam portæ* ad jecur stagnatum affluentis molem simul & impetum minuit; qua ratione fit, tum ut materiæ minùs ad infarctum locum appellat, tum ut ad expediendum & extricandum se jecori suppetat facilitas major. Idem modus est sectæ *saphenæ* in uteri morbis; *mensium* namque vel *lochiorum* defectus fiat aut *eclipsis*, *arteriarum lymphaticarum* culpa est, sanguinisque facti arterialis hæsitantia, cujus impulsum minuendo & quantitatem, qui ad uterum confluxurus fuisset per sectam *saphenam* eductus sanguis & mali subtrahit fomites & presso ab infarctu utero dilatandi se spatia facit.

Aliæ sunt *derivationum* species, quas operatur in ipso aut viciniori stagnationis loco facta venarum apertio; ejusmodi est *hirudinum* suctus, *varicum* incisio, & sub *ophtalmiis* vasorum quæ sub palpebris sunt incisuræ, quibus si addideris suis cruentatas incisuris *cucurbitulas*, omnes illas habes *derivationum* rationes, quæ tot paratæ sunt incarcerato sanguini & aperta ipsa in stagnata parte effugia. Enimvero inopinanter omissas hic esse *hæmorrhoides* non putaveris, quandoquidem ancipitis ortus eas comperiat medicus, de iis dubius, easne ad *venas*, vel ad *arterias* referat.

Reipsa

Reipsa ex *hæmorrhoidibus ficoſæ* ſunt & *polypoſæ, mariſcæ* dictæ, duræ, tumentes, dolorificæ, pallentes aut rubræ minùs, quæ hirundinibus aut ſcalpello vulneratæ ſanguinis parùm aut nihil eructant, quæque infrequentiùs in ſuppuratum aut *fiſtulam* deſinunt; haſnè perperam ad ſtagnatas *lymphaticas arterias* revocabis? aliæ dantur quæ ſponte ſua vel ab hirudinibus ictæ, eam profundunt rutili & arteriaci ſanguinis copiam, quæ vel ipſi vitæ minari videtur, nonnè ſanguinalium arteriarum hæ quoque ſoboles erunt, quæ vi aut arte hiantes, has enormes dabunt evacuationes? ni malueris *lymphaticis arteriis* has adhuc attribui, quæ uterinarum more exundanti ſanguini hæc dabunt emiſſaria; maximè cum extremam podicis marginem occupent non pauci arteriales tubuli, ſebaceum ſuccum (qui inſpiſſatæ *lymphæ* genus eſt) excernentes; porrò horum tubulorum *lympham*, quod *ſecretionibus* omnibus accidere oſtenſum fuit, ab irruente huc rubra ſanguinis parte cruentari poſſe, nihil vetat. Sed aliæ ſunt veſiculares, varicoſæ *hæmorrhoides*, quæ ad venas atro ſanguine ſtagnatas manifeſtiùs pertinere viderentur. At quorſum, inquies, ſingula hæc *hæmorrhoidalium* tumorum diſcernicula? certè ut obſerves *arteriotomiæ* genus eſſe poſſe *hæmorrhoidum* apertionem, ideoque non temerè ſcalpello inſtituendam, tutiùs autem hirudinum ſuctu, a quo nempe *hæmorrhagiæ* periculum minus; imò hinc memineris ex *hæmorrhoidibus* multas eſſe nec infrequentes, quales ſunt ficoſæ, quarum apertione *derivationem* tentate aut periculoſum aut fruſtaneum eſt; inopportunè enim vulneratæ, in ulcera maligna, aut cancris proxima exitialiter deſinunt.

In *varicibus* ſecandis ſimile nihil diſcriminis erit, ut enim omnibus in venis ſedes eſt, vix ulla erit quam intutus ferro pungas, præmiſſis tamen debitis venæſectionibus, & omnibus auxiliis, quibus caſtigata ſanguinis moles, apertionis illius ictum innoxiè feret.

*Revulſionum, derivationum*que fructus erit ſanguinis circulationis ſuum in ordinem reſtitutio, & ſuccorum evagantium ſua ad loca, ſeriem & *ſecretoria* reditus, ita ut alba ſanguinis parte, quæ a *lymphaticis* aberraverat arteriis, ſuas ad *lymphaticas* regrediente, ſanguini miſſo illam redire videas *coloris mutationem* a medicinæ patribus obſervatam, laudatam, traditamque nobis, non ſecus ac mittendi ſanguinis menſuram, ultrà citraque medenti non eundum erat, tum ſuam reddi *linguæ, cuti, pulſui & hypochondriis* tactus mollitiem, albaque & æqualia urinis *enæoremata*, omnia inchoantis coctionis indicia, argumenta naturæ vincentis, refloreſcentiſque ſanitatis pignora.

Non prætereundæ *derivandi* rationes ſubſidiariæ, quibus locum dabunt medentis ſapientia & morbi indoles. Has offerunt *ſtimulantia*, hæcque inter *veſicatoria*, quæ duplici titulo *derivationi* accommoda ſunt; *fluidorum* enim copiam non mediocrem eliciunt foras, *ſolidorum*que *oſcillationes* inclinant ad ſe atque convertunt. Illa quidem admittet cultior medicina, obſervanda tamen eſt corporum noſtratium teneritudo, & in *ſpaſmum* proclivitas, præcipuè ſub *acutis* morbis, ubi ferventibus præcordiis arent nervi & in *ſpaſmum* proximè propendent. His conditionibus uſurpabuntur, ubi ſoporati erut ſenſus, vel ubi maligni quo nervi infeſtantur ſeri partem diverti convenit aut præoccupari. Interim concedendum eſt pauxillum eſſe feri illud quod *veſicantium* morſu extorquetur, unde nihili fermè videretur *derivatio* quæ inde ſuccederet, ſed aliundè quam a *fluidorum* evacuatione æſtimanda *derivatio* eſt, quam operatur efficaciùs aſportatus aliò *ſolidorum oſcillantium* motus, qui *fluidorum* impetus mutationem ſecum importat. Itaque qui parti fit rubor, quique erit dolor, indicio ſunt illuc facti ſanguinis confluxus, qui ſic a cerebro averſus, ſuccorum & molis minùs ad cerebrum feret, quod intellexiſſe erit

ma-

magnam ſuccorum partem, qui vaſorum ad caput vehentium capacitates fuiſſent ingreſſuri, ad ſubjectorum vaſorum capacitates deturbatam eſſe, quas ſubeundo a cerebri ſemitis alias ingredientur, haſque peragrando trans ea quæ offendent fecretoria, maligna quibus imprægnantur morbi *miaſmata* foras aſportabunt. Vulgaris enim (quæ *humoriſtarum* eſt) medicinæ vitium eſt, unis in *fluidis* poni omnem remediorum effectum, cæcutientis illicò in exponendis illorum virtutibus ſi acido quodam arcano aut manifeſto careat, quod *abſorbendum*, *concentrandum*vè in *fluidis* aſſignare queat; tam altè mentibus inſedit præjudicium, una eſſe *fluida* in quæ ſuas remedia exercent virtutes! ſed hanc deceptionem oſtendunt *ſtimulantium* fructus, tum & *cucurbitularum* ſiccarum, *frictionum*que energiæ: non in eo felices, quod humores evacuent, ſed quod procul & ad oppoſita eos avertant: hinc non iniquè ſuſpicaberis, quidquid mutationis aut novi veniat *fluidis* a remediorum uſu, id omne ab affectis primùm, laceſſitiſque *ſolidis* venire; nequidem demptis *alterantibus* dictis remediis, quæ dum *refrigerant*, *humectant*, *incidunt*, *digerunt*, *coquunt*, *inviſcant* tandem, *abſorbent* atque *concentrant*, totum id operando in *ſolida* exſequuntur; imò non audaciùs affirmabis, ea eſſe *ſolida* quæ melius attingere queant medicamina, tum quia ea ſint quæ medicamentis primùm ſe contingenda objiciant, tum quia præcipua ſint quæ ut *elateris* & motus omnis, ſic morborum omnium ſuſtineut cauſas aut habent. Hæc cum vera ſint, *ſolida* erunt quæ quas in ſe experientur & excipient primùm remediorum virtutes ad *fluida* tranſmittent, ſic ut quæ hinc ſequentur *alterationes fluidorum*, *ſolidorum* ſint harumque oſcillationum modulationes, id eſt, inducti novi tritus modi, a tritu ordinario diſſimilis in eo, quod cum reſtituendæ aut revocandæ ſolitæ circuitus ordinationi debeatur, in tantùm vegetiorem illum eſſe oporteat, in quantum ſua ab orbita deſciverit ſanguinis circuitus: idque ad naturæ ingenium erit, quæ ut ſolita, ſic inſolita ſanitatis munia ad unum & eundem *ſolidorum* nutum, unaque ſemper & eadem opera exercebit. Sed *elateris* opus eſt iſthuc exercitii genus, in hoc incumbentis, ut quæ per morbum facta fuit æquabilitati ſanitatis aut æquilibrio jactura reſarciatur, quo ſub reſpectu librationis genus erit operatio remediorum enitentium reſtituere quod lapſum eſt æquilibrium. Portò totius corporis commune libramen eſt ſtomachus, univerſalis animalis œconomiæ liberator, univerſæque vis *ſyſtalticæ* moderator aſſiduus, ad cujus rythmos gerunt ſe omnes partium *oſcillationes*. Hinc intelliges in ſtomachi *tono*, viſcerum *toni* menſuram poni, quaque ratione ſuum cæteris cum viſceribus ſtomachus communicat ſenſum, ſuum cum iiſdem *tonum* communicat. Poſthac rationem habes, qua deglutitorum ad *fluida* tranſmittuntur remediorum vires, author & via eſt ſtomachus, cujus modulatus *elater* & regulata *oſcillatio* viſcerum oſcillationibus ponit modum, eò facilius quod cum de æquilibrio reſtituendo agatur, librili (quod ſtomachus erit) *momentum* adjeciſſe ſufficiet; *alterans* v. g. remedium, ſtomacho inditum contactu ſuo illum afficiet, ſuoque vel pondere, vel ſapore, aut utroque faceſſet in illud *momentum*: *momenti* enim ingenium induit illicò tantulum materiæ vel virtutis, ubi in procinctu eſt illa quæ emovenda eſt & determinanda potentia; ſed hujus proclivii eſt ſtomachus, cujus ea eſt ſenſus acuties, tantavè teneritudo, ut præcæteris corporis partibus affici facilis ſit, ut potè ad contactûs hoſtilis aut peregrini auram illicò immutari promptus. Stomacho autem inimicatur quidquid non injucundi tantum aut mordentis quid habet, ſed quod inlitum illi advenit aut inexpectatum, hocque ad oſcillandum illi fortius aut præter morem ſignum ſit aut veluti claſſicum, quo ad luctam cum hoſpite novo inſurgens ad victoriam ſe accingit aut ad pugnam, conamen videlicet ſub

quo in diligendis morbi fomitibus natura ſudat. Is enim *alterantium*, quæ ideò *digeſtiva* vocantur, labor eſt; in quo obſervabis quam mendax aut idonea ſit *abſorbentium*, *præcipitantium* & *antacidorum* notio, quibus *acidorum* in *fluidis concentrandorum* vim attribuunt, dum id omne quod *alterantia* præſtant boni, vicaria præſtant *ſolidorum* opera. Itaque varia inter *revulſionum*, *derivationum*, *diverſionum*que auxilia, ex *alterantibus amara*, *nitrata*, *teſtacea* ſimiliaque (ex diverſa licet tribu) *digeſtiva* uſurpabis? ex his omnibus venire cogitabis contactus peregrinos aut inexpertos preſſus, qui contactuum, aut preſſionum ritu, quæ pulſatæ campanæ *undulationes*, trepiduli aeris intercipiendo ſonum mutant, ſtomachi mutabunt oſcillationes; hæ autem communionis ratione, ad alias partium oſcillationes illicò ſerpendo; tritus inducent novos, novoſque niſus in *fluida*, qui *alterantium*, aut *digeſtivorum* operationes erunt: his intereà operationibus ſubactæ, diviſæque *alterantium* particulæ, in teniſſimas ſalium aut materiæ maſſulas abeunt, quæ intra vaſa ſtagnantem ſanguinem quaſſant potentiùs, denſatumque & pelliceum fortius divellunt & efficaciùs; ut enim materies habet chymiæ ars, quas abſque *intermedio* bolo diſtillare nequit, iterum ut nuſquam felicior eſt in volucrum ſtomachis, duriorum quæ integra ferè deglutiunt, ſeminum tritus, quam ubi arenulas inſimul illis glutire datur, arte ſimili ſanguini adventantes illæ materierum maſſulæ, veluti cuneoli erunt, in quos feriendo *ſolidorum* tritus & ictus, in *fluida* fortiùs illos adigent, illis enim quaſi armata *ſyſtaltica* vis lenteſcentium ſuccorum nexus ſolvit, frangit copulas & connubia rumpit, ſicque paratur felix humorum fluxilitas, quæ ad *catharſin* tuta via eſt.

Quæ omnia effutita temerè de *alterantium* viribus credere ceſſabis, ex his enim ſingula luſtrando habebis nullum, quod ſapore manifeſto non ſit inſignitum, qui ſive ſit *amarus*, *acidus*, nominiſque aut tituli alterius, ſalis alicujus *evectionem* in ſe apertè prodit aut dominium, ideoque gravantis ſimul & vellicantis rei præſentiam. Qua de cauſa ad *ſtimulantium* claſſem revocari *alterantia* non ineptum fuerit, præterquam quod enim in *ſolida* illorum energias exerceri expoſitum jam fuit, quod ad ſtimulationis opus pertinet, vellicando agunt, in quo ſtimulationis notio præcipua continetur. Re ipſa quidem ex *alterantibus* non pauca habentur, quæ obſcuri ſaporis percipiuntur, unde vix inter *ſtimulantia* mererentur locum, at ex illis plurima quoque ſunt exquiſitè *amara*, *acida*, *acerba*, nec deſunt quæ evidenter *terrea* ſunt, *auſtera*, *calciformia*; porrò ut in illis ſalſedo eminet a qua ſtimulandi vis, in his aut ponderoſæ ſunt particulæ, quæ gravandis partium oſcillationibus pares ſunt, aut igneæ (ut in *calciformibus*) quæ villicandis, ſiccandiſque partium fibris ſunt idoneæ. Sed conceſſo quantumlibet intactiles fermè eſſe plurium *alterantium* ſapores, tam occultè *amara*, *acida*, *acerba* ſentiuntur! vellicandis fibris, harumque vertendis, mutandiſvè oſcillationibus plus quam ſatis illorum ſalſedo eſt. Non enim hanc cum illa ſalſedinem comparari hic convenit, at habito ad ſtomachum reſpectu ſalſedinem aliquantam obſervari, hunc enim lædit vel intactilis ſapor, *antimonii* exemplo, quod dum papillis linguæ quæ ſaporibus præſunt inſenſibile eſt, & oculis ſenſuum tenerrimis innocuè adhibetur, ſtomachum turbat, hac certè de cauſa quod hunc tunica ſuccingat ipſa cute tenerior, ejuſdem antimonii ſpicula ſentiens intoleranter, quæ placidè tolerat ſua cuticula nudata cutis; ſed hinc inferes quanta ſagacitate præſtat ſtomachi ſenſus, quem proinde alere debet præſtantia *toni*, eminentia videlicet *elateris*, mirabiliter ſimul & delicatulè in eo protenſi, quod abſque rigiditate firmus ſit, ſine duritie durans, abſque flacciditate mollis, quique dum univerſo præeſt corporis, *tono*, *tonum* omnem acumine vincit, adeò ut illum emoveat injucun-

cundæ rei aſpectus aut auditio; unde homines habeas, qui ad ingratos aſpectus nauſeant, alios quibus nauſeam movet, aut *cardialgiam* facit ingratæ rei narratio; denique tam multos, quorum appetitum proſternit dolor cordis aut animi mœror. Ad hanc teneritudinem nihil non momentum eſt, ut potè quam vel hilum lædere poteſt aut temerare, modò ſit vel inſolitum illud, vel peregrinum, tunc enim inaſſuetus aut novus *contactus*, *elateris* illius erit modus alter, fietque novus oſcillandi rythmus. Juxtà hanc non emendicatam aliundè, ſed ex rei viſceribus depromptam ſtomachi mechaniſmi notionem, animadvertere datur, quid energiæ in ſtomachum exerere *alterantia* debeant, quem vel ſuo ſapore titillando, vel ſuo gravando pondere incommodo afficient, *erethiſmi* namque genus excitando, novum facient oſcillandi genus, quod ad cæteras (quibus cum nervorum communione ſociatur ſtomachus) partes ſerpendo illum faciet laborem, quem *alterantium* operationes nomine indigitant.

Interim ſi hæc ad *alterantium* operationis intemperamentum curta erunt, quæ defuerint ita ſupplebis. In confeſſo eſt quantam in producendis morbis partem obtineat impedita *tranſpiratio*, ſed hanc de ea quæ per cutem exteriùs vaporat unicè intelligi iniquum erit, cum tam vera ſit altera qua madent interius & fumant viſcera tranſpiratio, quam explorata illa eſt quæ per cutem exhalat. Suadet autem *ſpaſtica diatheſis*, hincque ſecuta ſuccorum *ſtaſis* aut *ſtagnatio*, comprimi quoque ſub morbis internam præcordiorum *tranſpirationem*, hanc ergò reſtitui, ad ſanitatem tam utile erit aut commodum, quam quæ maximè: atqui id boni afferre *alterantia* oſtendit illa horum vellicandi ſimul & elueudi *ſaponaria* virtus, qua *ſolidorum* parietes lavando, everrendoque, thermarum medicatarum inſtar, cæca ſolvent reſerabuntque membranarum ſpiramina, quod idem erit ac impediti ſanguinis obices ſuſtuliſſe; & reipſa id ſolatii expectabis ab *alterantium* aliquatenus aſperante ſapore, qui vellicando membranas, excretionem illius qua ſtagnantur *tranſpirabilis lympha* obtinebit.

Ampliſſimus hic aperiret ſe differendi locus de variis *alterantium* generibus, quæ tam multa ſunt, quam numeroſa *digeſtiva*, quæ *abſorbentium*, *diaphoreticorum*, *anodynorum* & *amarorum* nominibus continentur, ſed alterius medicinæ ditionis hæc omnia ſunt, medicinæ ſcilicet *chronicorum* morborum, quò tractationem hanc cenſuimus relegandam, interea expoſituri medentis curam, qua meditetur naturæ intentiones, in quibus ſuboderetur ſinceros morborum exitus, evacuationis nempè genus & evacuandi vias, quibus expedire ſe natura ſolet, aut expediendam ſe monſtrat.

CAPUT XIV.

Ubi pergendo in remediorum opportunitatibus, de evacuationis eligendo genere, purgationiſque *definiendis temporibus differitur.*

DUM in illis quæ hactenus traditæ ſunt, medendi curis occupabitur medicus, naturæ motus meditabitur, humorumque inclinationes & facilitates locorum explorabit, intellecturus quas illa ſibi pandit vias, quos parat exitus, ut eadem cum illa conſilia ſecutus & premens veſtigia, indigenæ illius quam corporibus inſevit Creator medicinæ ſequatur regulas, theorema-

ta, leges; ſicque illam, quæ in creatam rem cadere poteſt, veritatem medicinæ afferendo, injectam illi malignam incertitudinis & mendacii maculam abſtergat. Noverit ergò ex conſtanti morborum hiſtoria, ex traductis ſapientiam artis obſervationibus & conſentientibus remediorum eventis, quas, ſi aliquas affectat morbus evacuationes, aut quibus ſolvi ſolet aut amat *judicationibus*, quo tempore & quanto, qualia inter ſymptomata, quibus ad ſalutem ire ſuevit aut exire ad mortem. Reipſa nullum non eſſe morbum qui alvinis purgaminibus curari non amet, naturæ majeſtatem inhoneſtare eſt & artis medendi dignitatem, quæ longè ſæpiùs reſtituendo ſanguinis circuitus aut animalis œconomiæ ordini mirabili ſervit, quam alvinis ſedibus evertendis: vulgaris hæc eſt aut frequens nimium opinio, quam ſapit adhuc ſparſus in vulgus de *ſudoriferis* error, quod utrumque ex æquo iniquum aut mendoſum eſt; in illa nempe ſola evacuatione duplici conſiſteretne omnè evacuationis genus? dum non infrequenter de *menſibus*, *lochiis*, *lacte*, *hæmorhoidibus*, *ſputaminibus* aut ſimilibùs *mucoſis*, *ſeroſis & lymphatiſis* excretionibus revocandis laboratur; ſed hæc eſt *humoriſtarum* allucinatio opinantium rudem aut infidam futuram fore morbi curationem, quæ abſque humorum evacutione eaque copioſa ſuccederet; inſubidè habitis ſpontaneis illis febrium *judicationibus* quas derepente & feliciter abſolvunt in labiorum marginibus erumpentes *papulæ miliares*. Melius adhuc eruditiſſet eos de aliis febribus publica obſervatio, quas fecerat miliaris, arentiſque ferme *herpetis deliteſcentia*, ſeu inopinanter intrò factus humoris raptus, quas quoque ſanat *herpetis* ad cutem reditus: ſed pleniùs hanc confeciſſet rem altera obſervatio, quos enim commiſerat morbos ſolitæ *arthritis* ſuppreſſio, his remedio eſt *arthritis* revireſcens; unde videas intolerandas *tuſſes*, horrendoſque *aſthmatis paroxyſmos* in iis quos ſolita ſua defecit *arthritis*, quæ derepentè curat *arthritis* erumpens. Itaque ad morbum accedens medicus explorabit primum, illiuſnè generis fuerit, quod manifeſta evacuatione ſolvi ſolet, aut alterius quod inſenſibili excretione judicatur aut nulla? quod ut illi ſuccedat feliciter examen, ulteriùs expendet, an morbus ad *fluida* pertineat, an ad *ſolida*? id eſt, an *humores* vel ad *nervos*? ſi prius, an ad ſanguinales, vel ad *lymphaticos*? ſi poſterius, an ad nervos arentes vel *ſpaſticos*, an ad nervos ſtagnatos ſanguine aut *phlogoſi* tactos? ex his enim omnibus circumſtantiis & diſcrimibus augurabitur medicus an aliqua & quali evacuatione ſolvetur morbus, proindeque eò versùs ſuam in medendo mentem diriget, ſuaque inſtrumenta medendi.

Morborum exitus admonet, ſeu ſolutionis futuræ genus & *judicationis*, tumultationis morbidæ locus, qui ut vaſorum ſic & humorum prodit genus, ubi nidulabitur morbus. Hic autem in diſcerniculum ſe dat pulſus, qui febrilem ſe manifeſtando, in ſanguinalibus vaſis, & intra ſanguinales humores turbas haberi indigitat: revera enim perplures nervorum affectus, eoſque graves uſus oſtendit, a quibus abeſt febris, cujus numeri ſunt *ſpaſmodici* affectus, *hyſterica* v. g. *& hypocondriaca paſſio*, *aſthma* ſiccum, ſtomachi *colica* convulſiva, *epilepſia*, *tympanitis*, quæ abſque febre ægrotantem conficiunt; quibus addes *melancholicas* ægritudines, quæ ut ut febris expertes diù detinunt ægros ac tandem enecat. Indè concludes quantùm ad *fluida* pertinent ſpectare eos qui *ſpaſmodici* ſunt. Porrò ex æſtuantibus humoribus an ſanguinales, an *lymphatici* ſunt internoſces ex his qui exæſtuant, ceu qui emiſſitios egurgitando graviora committunt *ſymptomata*: qualia ſunt *hæmorrhagiæ*, *ſudores*, *diærrhœæ*, *perirrhœæ*, ſputamina, *catarrhi*, tot eliquamina, aut *colliquationes*, quæ catulientium ſuccorum naturas, impetus & potentias oſtendunt. Humorum conditionem monſtrat adhuc partium quæ morbo obſidentur

textura, quæ si ex *lymphaticis* compacta sit, *lymphæ stasin* subesse illic attestabitur; unde habes humoris genus a quo fiunt *glandularum* morbi, ex *lymphaticis* enim illas compingi ostendunt parenchymatis illarum color, densitas, & ineptitudo ad *suppurationem*. De nervis supereſt discernendum, cujus (si alicujus) humoris vitio laborent; si alicujus, inquam, humoris, una enim *spastica diathesis spamodicorum* affectuum, qui *chronici* sunt maximam partem committere solet, hoc est villorum quibus constant nervorum funiculi pessundata mollities, aut perdita flexibilitas, unde facti angustiores illorum *diametri*, *stasi* illius quam vehunt *lympha* occasioni sunt, aut *lymphæ* illius circulationi impedimento, eò facilius: quod cum non unus & rectus sit tubulorum nervorum tractus, sed tortuosus, loculosus, nempè sambuci medullæ instar, stupendum quantùm & quoties in circulando morari periclitetur, aut cespitare nervorum *lympha*! secùs judicabis de nervorum affectionibus *acutis*, quæ nempè sub *acutis* morbis, maximè si *maligni* sunt, nervis supervenire solent, has enim facit ad nervos evibrati fortiùs sanginis impactio, unde facta *phlogosis*, *spasmodicam* nervorum *tono* affert irrequiem; quam promunt *tendinum carpi*, aut totius corporis inter dormiendum *subsultus*, qui *malignitatis* prodromi sunt aut testes. At quorsum, inquient, universa & singula hæc de morborum differentiis investigari curiosius? ut palam fiat non paucos esse morbos, in quibus parùm est humoris, proindequè in quibus humorum evacuationi parum loci est; attamen cum edocuerit medendi scientia, confirmaveritque medendi usus, utilitatis esse non contemnendæ ipsamet *purgantia*, in curandis illis, imo & *spasmodicis* morbis, colligere juvat aliundè quam a vacuandi virtute repetendas esse purgationis utilitates, quas tradere & persequi suo loco decebit.

Eruitur adhuc ex accuratiori hoc morborum scrutinio, ut suus cuique morbo est humoris modus, sua cuique indoles, sua vacuandi ratio, medicum penès non esse, eandem semper, aut hanc vel illam vacuandi viam morbo jubere, at illius esse sapientiæ & officii continere se intra vacuandi vias, quibus juvari morbis moris est aut judicari, insuper sedulum illum esse in explorando humoris genere & ingenio, in quibus sita est propria morbi causa, observandisque morbis quos natura judicare soleverit. Atqui observatione constat morbos inter, alios esse qui per *diaphoresin* aut *sudores*, alios qui per *hæmorrhagias*, quosdam qui per *perirrhœas*, multos qui per *diarrhœas*, plures qui per *insensilem transpirationem* solventur; hos ergo morbos ad indebitas sibi & alienas evacuationes traducere velle, naturam cogi est, non duci; qua invita infelices sunt aut periculosi medentium successus. Ejusdem infortunii est aut insaniæ *catharsin* unicè obtrudi ad omnes omninò morbos, quasi omnium instar esset isthæc evacuatio; quæ cæteras sola suppleret: itaque morbum aggrediendo medicus, quem per *sudores* judicari posse usus ostendit, sua sic attemperabit consilia, ut ea admittendo remèdia quæ *diaphoresi* non repugnabunt, ab iis cautus abstineat, quæ *sudores* interpellarent; discernendo interèa *sudores* qui una cum enascente morbo prorumpunt, ab iis qui castigatæ morbi causæ & procul a morbi initio succedunt, illi enim morbi diuturnitatem portendunt, aut produnt *malignitatem*, dum hi triumphatæ & subactæ morbi causæ signa sunt & argumenta; undè ut *symptomata* vi morbi excitata illi sudores habebuntur, hi verò ut opera & imitamina naturæ, ad quæ decet medicum collimare. Noverit enim artis prudens ex evacuationibus nullam esse cui *coctione* longiori opus sit quàm *sudoribus*, ut enim *secretionum* omnium postrema est *transpiratio* insensilis, cumque organorum & excretionis similitudine *transpirationem* redoleat sudorum evacuatio, evacuationum nulla est,

ad

ad quam per plures gradus eatur, ut potè cum prævíis *ſecretionibus* plurimis præſudendum habeat, antequam felix ſuccedat. Itaque ineunte morbo *ſudorifera* confeſtim jubere, ſpretis itineribus mediis ad terminum contendere eſt, omiſſiſque modis ad finem properare; hinc malè ſani ſudores & abortivi, crudi namque ad habitum corporis propulſi ſucci, craſſiores adhuc & indebitè tenuati, anguſtioribus vaſorum diametris hærent, ſicque mediis itineribus morando, viſcera ſtagnant & *inflammationibus* implent, antequam ad habitum corporis pervenerint. Inauſpicati adhuc erunt ſingulares aut dimidiati *ſudores* qui hic aut illic ſtrangulari ſanguinis, aut in hac vel illa corporis regione ſub *ſtagnatione* gementis indices ſunt, a quibus proindè ſuas elicere *indicationes* medico tam improſperum eſſet quàm ægrotanti calamitoſum. Cum igitur de *ſudoribus* verè *judicatoriis* ſpes aliqua affulgebit, medentis labor erit in molliendis, laxandis, flectendiſque *ſolidis*, ut ſuis temporibus reſeranda ſe concedant *ſecretoria*, tum in diluendis *fluidis*, ut idoneo merſa vehiculo ad ultimas vaſorum extremitates, hincque ad *ſecretoria* perveniant: hæcque eò convenientior cura videbitur, quod nullibi morborum tam durus, tenax & pelliceus ſit ſanguis quàm ſub morbis quos *ſudoribus* ſanari prædicant; illic enim ſolideſcens eſt, adeò cum *pleuriticorum* ſanguine convenit, quem coriaceum eſſe norunt omnes & confitentur, ejuſmodi enim ſpiſſitudinis ille eſt quem vena eductum promunt *rheumatiſmi*, *catarrhi*, *eryſipelas*, *peripneumonia*, *pleuritis* quorum omnium cauſa *ſudorifera* profunduntur: igitur ſub horum quoque morborum cura, tractari, ut dictum modo eſt, *ſolida* ſimul & *fluida*, naturæ ſufficiet, ut quam ipſa præoptaverit ſolvendi ſe viam ultro ſequatur; unis interim adjuta *diaphoreticis*, ſed iis humentibus, *anodynis* & mulcentibus; obſervatione enim dignum eſt aut infida *ſudorifera*, quæ abſque *anodynorum*, *opiatorum* imprimis conſortio exhibebuntur; argumento ſanè fruſtrà eſſe *fluida* ad *diaphoreſin* emoveri, ſi occluſa eſſe perſeverent *ſolidorum* ſpiramina, quæ reſerare ſingulariter apta nata ſunt *narcotica*. *Volatilium*, *ſulphureorum* & *ardentium ſpirituum* ſimile vitium eſt, quæ cum *evehere fluida* aut accendere ſoleant, *ſolidorum elaterem* tendere, quos ſpondent ſudores arcent fæpiùs, aut comprimunt; unde *ſudoriferis* ejuſmodi calidioribus, *acida* admiſcere docuit probavitque uſus, ut enim *alcalia* coercent, *ſulphurea* quoque caſtrant & *volatilia* moderantur, cum iis ſic agendo, ut vim illorum *diaphoreticam* non extinguendo temperent, non accendendo promoveant; exemplo eſt *theriaca* quæ ex aceto propinata ſudoris imbrem ſprofundere obſervatur. *Diaphoreticorum* cenſus aut familiæ ſunt *hydrotica*, ſed ad *chronicos* affectus ſpectant tam ſingulariter, ut illa huc, ubi *acutorum* res agitur, transferre, furti crimen eſſet aut iniquitatis culpa: ſimili ratione ad *chronicos diuretica* remittimus; de iis omiſſuri nihil, ubi de *chronicis* differetur. Verum *hæmorrhagias* hic admittimus ſeu *hæmorrhoias* Hippocrati dictas, evacuationis enim genus eſt, ut ut medentium vulgo inexploratum ſit, tanti aliundè momenti, ut ſæpiſſimè *hæmorrhoiæ* alicujus *eclipſis* aut abſentia ſit quæ morbum inchoavit aut alit; ampliùs *hæmorrhoia* eſt, quæ ut difficiliora morbis dat *ſymptomata*, ſic & medico graviorem crucem figit. De *menſibus* hæc fortè interpretaberis, interim cum *menſes* ad *mulierem* affectus propriè pertineant, de illis mentio recurret opportunior, ubi de his ſermo inſtituetur.

Sed ſuæ ſunt viris *hæmorrhoiæ* familiares adeò, ut hominum pauci ſint qui harum aliquas vel adoleſcentes, vel adulti experti non fuerint, in quibus morborum difficiliorum *epochas* invenies aut origines. Illum enim quoniam vexabat adoleſcentem narium *hæmorrhagia*, hunc ſanguinis ſputum, alterum incommodarunt *hæmorrhoides*; alterutra harum *hæmorrhoida* defectus ille erit?

ſtupen-

ſtupendum ! quam difficiles incurret morbos, quos oblita illorum origine remediis mille improſperè torquebis, ut potè ineptis, ſi aliò tendant, quam ad ſinceram morbi cauſam ; hunc enim vel illum humorem eliminandum, hunc vel illum caſtigandum ſaporem fortè ſuſcipies, ubi de reſtituendo aut reſarciendo ſanguinis circuitu res erit ; inde tam multa evacuantium, *ſudoriferorum*, *fundentium*, & *purgantium* exitia, in ſanguinem enim qui adeſt, non in humores qui deſunt incidendo, quos vacuant humores, faciunt, at ipſum perdunt ſanguinem, propriis illum exuendo ſuccis, peregrinis induendo. Si igitur ſciſcitando ab ægrotante audias (audies autem frequentiſſimè) *hemorrhoiæ* alicui obnoxium illum vel fuiſſe quondam, vel tunc temporis eſſe, monitum te noveris, non in humorum vacuationibus ponendas eſſe tibi medendi *indicationes*; igiturnè in *hæmorrhoicis* remediis ? id fermè ſuaderet *emmenagogorum* exemplum, quæ certiſſimè evacuando ſanguini conveniunt ſingulariter, ſed præterquam quod *hæmorrhoica* remedia (quo aloetica pertinent) *plogiſta* ſunt, *hæmorrhoi*que ſerpentis exemplo, ſanguine corpus fortè exinanirent, inſuper in explorata ferè jacent aut infelicia, undè præpoſterè, incertò & periculosè ſervirent revocandis virorum *hæmorrhoiis* ; pergere igitur ſatiùs erit in iis quæ modò tradita ſunt, evacuationibus, *diluentibus*, *digeſtivis* aut *alterantibus*, uſque dum perſpecto compertoque impurati altiùs ſanguinis ſtatu, quem ſenſim infecerit, aut a ſuppreſſa aliqua familiari *hæmorrhoidâ*, aut a morbo contracta lenta ſimul & luculenta materies, de ſanguine purgando cogitabit medicus ; cujus errata poſtquam emendare ſtuduerit, in edendis quos ſinu ſuo concepit alitque fetibus abortivis, infelicibus nempè vel imperfectis ſuccis, illum adjuvabit auxiliares admovendo manus, quæ altiùs impactos, hincque ſua ad *ſecretoria* irreduces ſuccos, per omnium maximè publicas vias protrudant.

Purgationis id opus erit, ſeu *purgantium* opera, illorum videlicet remediorum, quæ ſtimuli quo præſtant ratione, ad inſolitas oſcillationes *ſolida* elevant, tum vi quâ valent *colliquante*, *fluida* fundunt. Is autem effectus duplex ad purgandum ſanguinem neceſſarius eſt, hinc enim peregrinis ſuccis imbibitus, ut a ſua *craſi*, ſic a commodulatione nativa receſſit, tumque mutatæ particularum illius gravitates, quantitates & maſſæ, a proportione & commenſu quem cum *ſecretoriorum* ſuorum diametris nactæ erant, illas dimoverunt ; vis igitur major accedat oportet, quæ *elaterem ſolidorum* intendant & *fluidorum* reſeret compagem, ut tenuati ſucci tùm ponderis & maſſæ habeant minùs, tum reſiſtentiæ minùs objiciant, ſicque ultrò *præcipitari* ſe patiantur. Sed in his habes *purgantium energias*, aut operandi rationes, ſcilicet hinc in ſtimulandi potentia, illinc in *fundente*, eliquante, *præcipitante* ve virtute, quod ſic interpretaberis. Traditum eſt ut aſpredinis ratione partium fibras vellicando *alterantia oſcillationes* mutant & operationes, purgantia longè plus operantur, ſalinis enim, rigidiſque ſuis ſpiculis ſtomachi inteſtinorum fibras fodicant primùm & ad oſcillationem provocant, tum quem hæ fibræ contraxerunt *ſpaſmum*, quibuſcum continuantur partium fibris communicando, vaſorum *elaterem* intendunt, hincque facta preſſoria vi ex omnibus *ſecretoriorum* oſcillis enormis exprimitur ſuccorum proventus. Hunc adjuvant, intra ſanguinem inſimul admiſſa ſalina eadem & rigida purgantium ſpicula, quæ cuneorum non ſolùm (quæ alterantium ars eſt) ſed & aculeorum inſtar & acuminum, hærentes & impactos ſanguinis ſuccos ſcindunt, ſecant & dividunt, ea vi & efficacia qua valent & inſtruuntur acta ſimul adactavè a *ſyſtalticis* oſcillantium fortius *ſolidorum* ictibus, quibus everberata purgantium ſpicula, ſuis cum ſuccis lenteſcentem ſanguinem quaſſant, lacerant, comminuunt, & in liquamina fundunt hicque (quod obiter dictum ſit) vides differen-

rentiarum rationes quæ ſunt alimenta inter & medicamenta, quas tibi exhibeut contactuum, hincque venientes oſcillationum rationes variæ: alimentorum enim molles ſucci rigidarum particularum exſortes, ſtimuli nihil habent, qui *ſolidorum* fibras feriendo duriùs, oſcillationes illarum pervertit, quin imò ſubſtantiæ ſuæ lenitate illis abblandiendo, illorum utuntur oſcillationibus non abutuntur, ſed *directionibus* illorum morem gerendo, ad alituræ loca duci ſe ſinunt, illiſque donari; de medicamentis ſecus eſt, durioribus conſtant particulis, quæ *ſolidorum elaterem* vellicando ſaltem aut ſtimulando, illorum exaſperant oſcillationes, hac de cauſa ſuum mutando rythmum, triturâm quoque mutant, hanc interim detrectando ſubigi renuentes medicaminum rigidiores particulæ, ſæviunt in *fluida*, quorum particulas a ſerie, contactu & ordinatione ſua dimovendo, alias inducunt iis quam alendi vires, illa enim miſcent, turbant, præcipitant.

Itaque *purgantia* noviſſe ea tantùm parte qua vacuando juvant operis illorum aut facti dimidium habere eſt, ipſa enim vacuationis operatio, *ſolidorum* ipſorum opus eſt, ceu fibrarum preſſio, quæ *fluida* exprimit & eliminat; inſuper cum ex nervis compactum ſit univerſi corporis textum, palam fit cujus effectionis aut potentiæ futura erit nervorum exſtimulatio quam edunt *purgantia*, univerſali enim nervorum communione qua ſociantur corporis partes, fiat neceſſe eſt, ut ſequantur mille partium preſſus aut torturæ, quæ ſanguinem diverſimodè trahendo, congendovè, *diverſionum*, aut *derivationum* vices erunt & artes; quæ humores emovendo, hincque & illinc divertendo, hùc & illùc avertent; hæcque *purgantium* energia ea eſt, ut ſola commendet purgantium illud genus, quod in curando primas tenet non infrequenter; *emetica* intellige, ideò ab artis magiſtris celebrata tantopere, aut tantùm celebranda, quod membranas concutiendo, excutiendoque ſtagnantes ſuccos, longè lateque illos diſpergant, idque tam feliciter, ut ſi *ſolidorum phlogoſin aut ſpaſmum* præoccupaverint, jucundè forte minùs, citò tamen nec intuto ſuccedant; hoc eſt, ſi ab *emeticis* ſedulus abſtineas quanto tempore *phlogoſi* aut *ſpaſmo* rigebunt viſcera, quæ poſthàc emollita ſatis, *emeticorum* labores commodè ferent & patienter ſuſtinebunt. Cæterùm non temerè dictos labores putabis *emeticorum* operationes, quantùm enim ab alimentis *alterantia* medicamina diſtant, quantùmque hæc a *purgantibus*, tantùm a *purgantibus emetica* diſtant. Hac ratione proxima veneno, cujus deleteriam vim, non quidem attingunt, referunt tamen & æmulantur, affinitate tanta, ut quos enormes & & effrænatos venena edunt effectus, ſimiles ſed refractos & mediocres pariant *emetica*, ut *vomitiones* horrendas *lypothymias*, *ſcotomias*, *hypercatharſes*, *ſpaſmos*, frigidos ſudores, quæ experiuntur *emeticis* medicati, ſi fortè tenerioribus viſceribus donati fuerint. Quo præcauto opus ſit in ejuſmodi medicaminibus adhibendis, hinc obſervabitur, ſed hinc ſe prodit adhuc *emeticorum* operandi modus, qui in ſtomacho primùm fereque totum ſe exerit, a *purgantium* actione diſpar, quod hæc in *ſtomacho* cœpta, in vaſis horumque ſuccis, proindeque in *fluidis* abſolvatur, dum e contra intra ſtomachum exorſa *emeticorum* actio, in ſtomacho & in *ſolidis* ferè tota inſumitur. Hinc *emeticorum* laus & præſtantia in *febribus malignis*, *comatoſis* affectibus, nervorum morbis & gravioribus *ſymptomatis*, ſub quibus altiùs cuneati humores aut irreduces facti, *egemonicis* opus habent præſidiis, ceu iis quæ principem motus potentiam exſuſcitent, ut potè ſolam a qua *fluida* efficaciùs emoventur; cujuſmodi ſunt *emetica*, quorum vis cum in *ſolida* dirigatur, *ſolidis* quoque medentur efficientiùs, imò & tutiùs, cum enim in *fluida* minùs ſuas exerceant vires, ſanguinis colliquationes committunt rariùs, quoſque ſtimula udo fortiùs *cretiſ-*

mum

mum importabunt & *ſpaſmum*, tam facilè mulcebunt exhibita a *purgantibus narcotica*, ut ſi in evacuando delinquere medico unquam liceret, in nullo fermè futurum eſſet quam in *emeticis* delictum minus, ut potè cum ſit nullum quod facilius poſſit emendari.

His interim & *purgantibus* dicendæ ſunt leges, temporaque præfinienda, de utriſque pronuntiando, longè tutiùs illa exhiberi poſtquam *fluxilia corpora facta fuerint*, facta autem arte vel a natura, quæ mollia adeò inſtituerat ab ortu partium ſtamina, ut ad *erethiſmum & ſtimulantiones* inpoſterùm tolerandas nata fermè viderentur. Reipſa *emeticis* interdum patentia illa experieris, horumque ſtimulis tam facilia, ut interdùm ineuntibus morbis obſequentia ea adhuc inveneris, ſic ut quos in morbi fomites vaſa condiderant ſuccos, ſponte eructent, plenoque alveo profundant. Hæc quidem vera ſunt, ſed ad Creatoris mentem, qui mollia faciendo & *fluxilia* corpora, mollibus eduliis nutrienda ſtatuerat, at ex quo vinorum, embammatum, cupediarum ingluvies invaluit aut luxuries; mutato hinc *ſolidorum tono*, alienataque *fluidorum eucraſia*, paucæ raræque hodiè ſuperſunt primævæ corporum *fluxilitatis* aut mollitiei felices reliquiæ, unde intutus factus eſt non infrequenter & plenus periculi *purgantium & emeticorum* uſus in morbis, quorum cauſas debita tempus & remedia non caſtigaverint. Igitur poſt illud corporum naturæ naufragium, ultima reſtat nec lubrica tabula, quæ generalis eſt medentium obſervatio, medendique conſtans regula, ſcilicet in purgationis tarditate poni artis ſecuritatem, hic enim cunctando, ſtupendum quot videas labantes ægro reſtitutas res! hoc ut intelligas a vulgari errore cavebis, quo in purgantium uſu peccatur a medentium non paucis, qui opinari viderentur *purgantia* donari imperio aut omnipotentia in humores, qua illos ad arbitrium ducerent educerentve, male memores purgationem excernendi modum eſſe humores quos paraverit prævia *ſecretio*; at ex comperto *ſecretionum mechaniſmo*, quarum cauſa laborat inceſſanter tota animalis œconomia, ut pote cujus artes, conamina, motus omnes ad *ſecretionis* negotium unice referuntur, concipiendum eſt, temporis non parùm naturæ impendendum eſſe in reſtituenda illa evacuatione, in qua alenda tantùm inſumendum habet operæ aut laboris. Igitur ut vis aut virtus eadem in corpore eſt, quæ in ſanis regit, & quæ in ægrotantibus reſtituit functiones, ſequitur plus temporis inſumendum eſſe vi quæ impedita, quam ei quæ libera eſt, proindeque temporis filia erit purgatio, quæ *ſecretionis* fetus eſt, *ſecretionis* autem impeditæ aut alienatæ, cui temporis intervallo non mediocri opus eſt, ut extricet ſe & ad ſe redeat. Itaque ad ægrum accedentis medici, non ſecùs ac clavum tenentis tractantiſque gubernacula, prima cura erit in ſervandis obſervandiſque dilationibus naturæ, bene gnari non aliud eſſe morborum ſymptomata non pauca, quam naturæ motivorum notacula, intentionumque illius aut voluntatum argumenta, unde erudiatur quibus viis aut itineribus ſibi incedendum ſit. Intereà admonitum ſe ſentiat non illicò obtemperandum eſſe aut ſerviendum cuilibet humorum motioni, qui cum inter eundum plura *ſecretoria* per tranſennam inſultant, quibus aperiendis non ſtudet natura, a reſerandis illis per propria eorum evacuantia abſtinebit, ne prævertendo naturæ ſemitas, aliam ab ea quam intendebat vacuationem ſufficiendo, abortivam pariat morbi ſolutionem, inconditis mille malis per reliquum vitæ tempus ægrotanti eluendam. Aberit igitur a medici conſiliis inpurgando præcipitantia, ut enim in arte venandi recentis & novitii error eſſet, ſi quis quam exploſioni paratam gerit catapultam, in obvias quaſque a terra aut aquis evolantes aves præcipitanter & temere, cominùſve laxaret, cum artis illius peritiæ ſit & ſagacitatis, ad juſtam diſtantiam aves adduci,

ut has non in incertum feriat venator; medentis quoque ſapientiæ erit, humores evacuandos non aggredi priùs quam illa attigerint *ſecretionis* loca, unde per evacuantia non incertum ſit illos poſſe eliminari. Enimverò nihil tam deturpat & funeſtat medendi artem quam caſſa purgatio, qua fit ut in *ſolida* reflexa quæ in *fluida* irrita fuit purgantis potentia, in partium *ſpaſmos* inſumatur, quæ defecationi ſanguinis deſtinabatur aut *depurationi*. Porrò ad irritam purgationem nihil adeò facit, ac omiſſa ut inſufficiens ſanguinis miſſio; ſic enim ſervata tota hujus morbida mole, nulli purganti ſuperanda reſiſtentia creſcit. Revera a fibrarum flexibilitate pendet purgationis felicitas, id eſt; ab *oſcillandi* facilitate quam faciunt vaſa quæ a *ſtaſi* aut *ſtagnatione* libera facta ſunt, adeò ut hac libertate defecta vaſa *purgantibus* fruſtrà ſtimulaveris, quæ *ſtaſi* ſanguinis adhuc impedita fortioribus aculeis obſurdeſcent, pleniora enim ſunt, ideoque carent illis locorum ſpatiis & facilitatibus ad oſcillandum opus. In accreſcendas has facilitates medendi cautè feſtinandum eſt, has autem cum fuerit aſſecutus, quem hactenùs quaſi palpando manſuefecerit humorem, illicò & animosè eliminabit; hic enim purgationis terminus & meta eſt, quam ultrà citraque tranſgredi interdicitur in morbis, quos *regulares* nominari ſuadet medentium obſervatio communis, illos enim regit *coctionis* non intuta lex, juxtà quam in *digeſtivorum* uſu patienter pergere oportet, uſque dum opportuna veniat purgandi occaſio, diutiùs vix expectata, quæ vix diù ſatis expectanda eſt ſub *regularibus* morbis, ubi illa mora naturæ ceu partium *mechaniſmo* opus eſt, ut temporibus ſuis ad paratiora *ſecretoria* perducantur excernendi humores. Talia autem erunt alvina *ſecretoria*, in eo ad purgationem patientia, tùm quod numeroſiora ſunt, ideoque plures præbeant exitus, tùm quod gracilioribus & quæ *parenchymatis* minùs aut denſitatis habent, partibus inſideant, tùm denique quod longiùs protendantur; triplici enim illa ratione fit ut illa *ſecretoria* fulciminis minùs habendo, derivatorum ad ſe humorum impulſioni objiciant reſiſtentiæ minùs.

Interim, quod medentis memoria nuſquam excidet, cum ex immenſo ternationis gradu, quò pertingit quæ ex inteſtinorum *ſecretoriis* vaporat *lympha*, intelligere datur, quàm multo tritus labore illi opus eſt, ut per inteſtinorum *ſecretoria* ſudet, recordabitur ſemper in purgando medicus, quandiu ſubigendus illi veniat humor, quem per cæca inteſtinorum oſcilla expellere meditatur.

Attamen hæc omnia ad purgationem curta adhuc erunt, ſi purgantis nomine indiſtincto deluſus, purgantia medicamina indiſcriminatim adhibueris, ut enim ex illorum numero alia ſunt quæ *colliquando*, alia quæ *ſtimulando* evacuant, medici peritiæ & ſagacitatis erit internoſcere ea quæ morbi ingenio convenire magis edocuerit obſervatio. Sic *regularibus* morbis qui *coctionum* legibus obſequi ſolent, *colliquativa* purgantia adhibebis, qualia ſunt *tamarindi*, *caſſia*, *manna*, *rhabarbarum*, *ſenna*, ſub illis enim morbis ſtagnantibus ſuccis cumulata vaſa, per ejuſmodi *purgantia* elui indigerit; palmam è contrà *ſtimulantibus* concedendo ſub iis morbis, ubi *nervoſum* genus ſingulariter laceſſitum videbitur, qui caſus *malignitatis* eſt, cui propriè adeo *ſtibiata* conveniunt. Inſuper, cum inter *inflammatorias* febres non paucas obſervabis, quas ad *colliquativarum* claſſem pertinere oſtendunt exundantes & aquei alvi fluxus, dum inſimul clanculùm ad nervos ſerpere malum indicat *tendinum ſubſultus*, biformi huic malo medeberis binomine medicamento, *ſtimulante* nimirùm & *colliquativo*; hæcque non illaudabilis ars eorum eſt, qui cum mulcentibus *cathartis*, *caſſia* & *manna*, *ſtibiata* miſcent; hæc enim talium mulcedine veſtita, moderamine eo *ſolida* pungunt, quò hæc blandè laceſſendo, ad *oſcillationes* naturales

rales revocent, *fluidorum* eliquationem nihil morando, hanc imo finendo, adjuvandoque.

Sed hæc non unica nascitur *stibiatis* opportunitas, quæ se quoque dabit quoties alicunde deturbandus erit illico morbidus humor, hicque incoctilium humorum proprius casus est, ceu illorum humorum, quorum evacuandorum in mora periculum erit. Reipsa docuit usus dari morbos, sub quibus cuilibet medentis industriæ sic resistit morbidi humoris citatior impetus in partes, aut præcipitantia, ut avertendæ quæ in viscera imminet *apostasi* nullum a purgatione superfit auxilium, quo præceps factus humor ad intestina, in illorum secretoriis quæ innumera sunt, exitus quos alibi cæcos habuisset, patulos inveniat. Neque in hoc curationis articulo te morabitur humorum cruditas aut inabsoluta maturatio, discrimen enim si fortè videbitur, quod sic indebiti aut sævientes adhuc succi evacuabuntur, id incommodi pensabitur vacuationis ubertate, *euphoria*, aut ferendi facilitate, quam spondebit vasorum ut oportuerit primùm & diligenter facta evacuatio, afferet autem statim a finita *cathartici* operatione, *narcotici* usus: qua arte & providentia, quæ præcoci huic evacuationi succedere minabantur *erethismus* & turbæ præcavebuntur, suaque sanguinis circuitui facilitas servabitur, & ad secernendum ceu per *secretoria* publica purgandum se habilitas. Inde manat medendi duplex regula, illicitam nempe esse aut alea plenam præmaturam *cathartici* usurpationem illi, qui in mittendo sanguine tardus, debitam *solidis* flexibilitatem, necessariamque *fluidis* ad motum facilitatem omiserit inferre; tum reum illum esse futurum tumultus omnis & infelicis eventus qui catharsin excipiet, si in *narcoticorum* energiis hospes, *narcoticum* vespertinis ipsiusmet purgationis diei temporibus adhibere ignoraverit.

Altera ars est, quam confirmavit usus, tumultus aut turbas præcavendi, quas movet *catharsis*, quæ scientia est unà cum *purgantibus* (*stibiata* fuerint aut colliquativa) *corticem peruvianum* miscendi; hujus enim corticis amarore, stabilito fibrarum, quas stringendo firmat, *tono*, purgantis morsibus ferendis propria magis *solida* sunt, proindeque *atoniis* & *colliquationibus* patentia minùs aut obnoxia; hocque de *eadem fidelia parietes duos dealbare est*, cum eadem qua humorum peccamina foràs pelluntur opera, sui *solidis* integri serventur *elateres aut potentiæ*. Unde *ex ungue leonem*, ex his enim paucis in purgando sapientium astutiis, augurari datur, non exhauriendorum corporum artem esse *catharsin*, sed sapientiam ea a succorum *stasibus* expediendi, protegendique ab humorum suo a circuitu evagantium *stagnationibus* aut pigritiis, i usimul eadem firmandi adversùs horum insultus.

CAPUT XV.

De morborum chronicorum *remediis*, martialibus, aperientibus, narcoticis, mercurialibus, diureticis, volatilibus, diaphoreticis, cardiacis &c. *tum de horum ſingulorum energiis, diſcriminibus, commodis & conditionibus.*

Chronicorum morborum ab *acutis* diſcrimen a tempore venit, quod dum ſub his celeriter, ſub illis tardè percurritur; illius ergo durationis rationes habere, illorum & horum morborum cauſas inveniſſe eſt. Sapientium autem artis pronuntiatum eſt optimè curaturum fore medicum, quem non fefellerit prima origo morbi, unde ex data illius durationis rationum notitia, fit augurium felicem venturam morborum illorum curationem. De *acutis* hactenus abundè quidem ſatis, ut ad *chronicos* jam ſe ſermo convertat. Maximum certè quod *chronicis* venit a durationè diſcrimen, interim faciet nuſquam ut ſua in radice prima aut eſſentia ab *acutis* illi diſcrepent. Illorum radix prima videtur ſuccorum *ſtaſis*, plus minùs altè ſepultâ, ſed quam qui volet ulteriùs ſcrutari, priorem alteram comperit, quam a cæco *ſolidorum ſpaſmo* ſerpiſſe primùm intelliget; unde exſurgit morbo cuivis idea communis, *ſpaſtica* nempe fibrarum *diatheſis*, ſuccorum committens pigritiem, eamque vel in majoribus vaſis, id eſt, iis quæ a corde diſſita minùs ſunt, vel in vaſculis tenuioribus, id eſt, iis quæ a corde remota ſunt magis: reipſa cum in his ſit a præcipuo circulationis organo diſtantia major, minor autem in illis, motuum celeritatis quæ ſub *acutis*, tarditatis autem motuum quæ ſub *chronicis* obſervatur, rationes obtinuiſſe eſt, tum utrorumque comperiſſe origines. De *chronicis* ergo interroganti reſpondere licebit, affectus eſſe ortos a ſuccis, in iis ſtagnantibus vaſis quæ a cordis vi remota ſunt, unde proprii illorum caracteris, diuturnitatis nempe rationes aſſequi dabitur, cum enim *ſyſtalticæ* vis opus ſit humorum coctio (quæ evagantium illorum ad circulationis fluentum reſtitutio eſt) vis autem *ſyſtalticæ* caput ſit cor aut organum princeps, conſequitur coctionis tarditati ſubjacere maximè humores illos qui a cordis ictu remotiſſimi ſunt. Atqui remotiſſimi illi ſunt qui in tenuioribus vaſis, ſeu capillaribus ſegneſcunt, ad coctionem ergo tardiores erunt, diuturnoſque parient morbos. Revera ſi ſub ſanitate, ut tam luculenter his nuperis diebus demonſtratum legitur, (a) *circulatio ſit in nonnullis capillaribus arteriis ad aortam ut* 5233. *ad* 1. *adeo ut dum ſanguis in remotiſſimis arteriarum diviſionibus ſpatium unius pedis, in aorta pedes* 5233. *percurrat, quantùm tarditatis aut diuturnitatis morbo continget, qui a* ſuccorum tarditate erit? enimvero ſub ſanitate in iis arteriæ partibus, in quibus ſanguis tardiſſimè incedit, illi hora & ſeptem minutis opus eſt ut ſpatium unius pedis percurrat, igitur ſub morbo, ubi incedenti ſanguini a *ſpaſmo* vaſorum injecta mora eſt, horis pluribus integris opus erit, ut percurrat lineas aliquot: por-

(a) *Vid. Keill. tentamina medico phyſica.*

porro hanc inter quæ a morbo & illam quæ a natura fit *capillarium* ſuccis tarditatem, id diſcriminis eſt, quòd ſub ſanitate ad illam innatam ſuccorum tarditatem ordinatur ſanguinis curſus, qui intra majora habetur, unde ſua manet *fluidis* æquilibritas, cum è contrà tam inconcinnè ſe habeat ſub morbo ad adventitiam ſuccorum qui in capillaribus fluunt tarditatem, qui tunc temporis habetur in majoribus vaſis ſuccorum curſus, ut illos inter æquilibrium peſſundetur diſparilitate tanta, ut interea dum intra capillaria portentosè torpeſcunt humores, intra majora vaſa feſtinantiùs currat ſanguis, unde liquet quapropter tam ſæpe in morbis currat inſimul ſanguis atque lenteſcat. At ex duplici hoc & contrario ſimul ſanguinis ſtatu produnt ſe rationes adverſantium ſibi *ſymptomatum* dum hæc inter, alia vides quæ æſtum, turbas & tumultum indicant, alia quæ frigus oſtendunt & ſegnitiem; hujus enim diſſimilitudinis cauſæ ſunt fervidiores & feſtinatæ nimis oſcillationes in majoribus vaſis quæ ſegneſcunt in minoribus; quæ diſcriminis ratio ſi te capit minùs, alteram ſuggerit ſuccorum differentia qui in minoribus, & illorum qui in majoribus vaſis feruntur, tum & tunicarum diſparilitas, ex quibus utraque conflantur vaſa. Qui minora occupant ſucci *lymphatici* ſunt, proindeque globulis illis deſtituti qui ſanguinis purpuram conſtituunt, quique mirabili ſua volubilitate illum a *conſidentia* præſervant, tui ſi addas tunicarum ex quibus illa vaſcula conſtant eximiam tenuitatem, intelliges quam ob cauſam ſpiſſitudini tam obnoxii ſint illi ſucci, qui natura ſua ad ſubſidendum proni ſunt, inſuper illis vaſis coerceri quæ vix *elateris* hilum nacta ſunt: è contra totus globulis ſcatet majorum vaſorum ſanguis, ideoque ad currendum omnino factus, denſis aliunde & tendineis arteriarum fibris preſſus aſſiduè, & quaſſus, alibine tantùm *elateris* intueri? aliundene velocitatis tantùm augurari dabitur? ut ut ſit ex his omnibus eruere promptum eſt quàm diuturnos & pertinaces eſſe oporteat *chronicos* affectus; dum enim ſub *acutis* viſcera quaſi ſuperficie tenùs ſtagnantur, ſeu ſecundùm majora ſui vaſa, quæ ſanguinales arteriæ ſunt, ſub *chronicis* viſcerum viſcera ſtagnantur, id eſt, ima illorum penetralia, quæ *lymphaticæ* ſunt arteriæ. Inde ſi numeres ulnarum milliaria quæ conſtituunt vaſculorum capillarium cirri, in quos glomerantur glandulæ, carnes & intima partium *parenchymata*, palàm fiunt immenſæ locorum diſtantiæ, quæ a vaſorum extremis & partium habitu ſanguini peragendæ ſunt, ut ad cor (quod ſanguinis circuli veluti centrum eſt) regrediatur; diſtantiæ autem quæ tantò creſcunt, quantò decreſcunt vaſculorum *diametri*, quorum dum decreſcunt capacitates, reſiſtentiæ creſcunt, quæ proinde ſanguinis circuitui obices erunt, adeo ut *minutorum* loco quæ ad circulandum opus eî erant, neceſſaria ventura ſint horarum intervalla; ſed hic ſtatus vaſculorum eſt ſub *chronicis* morbis, ubi a *ſpaſmo ſolidorum* & *fluidorum ſtagnationibus* preſſæ partes ſtringuntur, arctanturve. Hinc ergo ut *criſium*, cæterarumque ejuſmodî *judicationum* ſub *chronicis* exempla rara, ita curationum erunt tarditates, ubi neceſſariò tardî ſint oportet remediorum ſucceſſus.

In reſerandis viſcerum meatibus & aperiendis illorum *ſecretoriis* unicè occupatur *chronicorum* morborum medicina, interim proſperè cedet in tantùm omnis hic labor, in quantùm laxabuntur ea ipſa quæ *obſtructiones* committunt & alunt repagula. Hinc recognoſcere eſt aut augurari rationem aut cauſam unde fit ut caſſi non infrequenter aut fruſtranei exeant *aperientium* effectus; eò enim *aperientia* dirigunt, ubi *obſtructionum* materiæ ſunt non cauſæ, ad *fluida* videlicet, in quibus diluendis, ſolvendis, fundendis, liquandiſve nulla non iuſumitur opera; verùm ut precarius eſt *fluidorum* motus, ut pote totus a *ſolidis* profectitius, a quibus habent aut ab illorum *ſyſtaltica* vi ut premantur, quaſſentur & cogantur ad motum, *ſolidorum* quoque culpa fuerit aut vitium quòd

ſegne-

ſegneſcant torpeantve; idque vitium erit *elateris* exceſſus aut ſegnities, unde *ſolidorum ſpaſmus* aut *atonia*, quæ *obſtructionum* radices ſunt aut fomites. Atqui ſi obſervaveris ſub *chronicorum* plurimis, ut rigeant, doleant & angant partes, quàm rutilans & inflammatus ſit qui ducitur ſanguis, quàm acres qui excernuntur humores, quàm tumultuariæ flatuum exploſiones, ultrò ſe prodit undequaque *ſpaſtica* vis ſub *chronicis* affectibus, quæ ſuccorum *ſtagnationibus* & pigritiis præcipuam dat & alit cauſam. Tunc igitur in *aperientia* immergere ſe totum medentem, in occluſa aut obturata oſtia arietare illi eſt.

De aperientibus enim ſic judicaverit, de *mineralium* familia eorum plurima ſunt, ideoque rerum quibus ponderis aut gravitatis plurimum eſt; unde hæc adhiberi ad aperienda viſcera, maſſulas mille ad obſtructa loca propelli aut adigi eſt, quæ ſi inobſequentia experiuntur, illiſu ſuo offendunt, exaſperant & ad *ſpaſmum* inclinant, unde *phlogoſes*, dolores, intumeſcentiæ, febres, *inflammationes*, quodque malorum cumulus eſt ſic affectæ infeliciter aut importunè laceſſitæ partium fibræ ſtringuntur arctiùs, aut fortiùs criſpantur, arctatiſque vaſorum *diametris* dilatari viſcera recuſant, fitque ut ſimplicibus *obſtructionibus* miſerè ſuccedant *ſcirrhi*, *apoſtaſes*, abſceſſus aut *apoſtemata* quæ viſcera vitiant, perdunt, labefactant.

Sed ut ſua *aperientibus* aſſeratur efficacitas, uſus erit & prudentiæ inter eorum uſus admiſcere ea quæ laxant fibras aut fibrarum *criſpationes* ſolvunt, *emmenagogorum*, *hyſtericorum*, *diaphoreticorum*, *diureticorum* &c. exemplo, quæ *anodynis* ſociata, vires ſuas meliùs exerunt aut efficaciùs. Hanc ad mentem *hyſtericis* medicaminibus *papaverina* ſociare *Hippocrati* moris erat, cujus terendo veſtigia poſteri ex antiquis medici, nobilioribus quas inſtituerunt *antidotis*, *opium* ipſum admiſceri voluerunt, adeo ut (quod obſervatione dignum eſt) ex veterum remediis, quorum ad hæc tempora fama durat inculpatior, vix ullum ſit a quo *opium* abeſſe comperiatur, quæque hodie adhuc parantur *confectiones*, *opiatæ* audiunt, non alia certè de cauſa, quàm quòd *opiatæ* veterum *opio* imbui ſolebant. Has inter primas tenet *Theriaca*, *antidotus* illa princeps, *Mithridatium*, *Philonium Perſicum & Romanum*, *Ambroſia*, *Athanaſia*, *Paulina* ex *Galeno*; *Tryphera magna*, *Requies* & *Ambroſia Nicolai*, tandem *Sotera* Pauli, in quibus, plura inter *cardiaca*, quæ *chronicis* morbis dicari ſolent *opium* eminere ſolet. Revera ex his *confectionibus* plurimæ in deſuetudinem abierunt, quam ob rationem non liquet ſatis, quandoquidem iis non præſtare videantur illæ quas iis ſubſtituit comptior fortè aut cultior, ſed non felicior, nec ſapientior medendi ratio; interim de illis veterum *confectionibus opiatis* aſſerere licebit, in tantùm præſtabiliores illas habendas eſſe, in quantùm obſervationis & uſus potiùs filiæ videantur, quàm inanis *Phyſicæ* fructus, ideoque veteris Medicinæ non incerta monumenta erunt, nec infida teſtimonia, unde docearis è re eſſe & felicitate remediorum quæ *chronicis* morbis adhibentur, *anodynis* ſociari, ut felicioris ſint eventus & utilioris auxilii.

Itaque artificis in medendo prudentiæ erit *aperientibus anodyna* intermiſcere, vel unà cum *opiatis*, quibus *apozematis aperientibus* aut juſculis medicatis præludi ſolet in curandis *chronicis* affectibus, vel cum *pulveribus* aut *mixturis*, quibus horum *ſtaſes* aut inertias caſtigari volunt; quæ omnes artes ſi ad ægri palatum non ſapiunt aut morbi ingenio congruunt minus, in *julepis* & *emulſionibus* ultima offertur tabula, iis autem ex *aquis*, ſyrupis & ſeminibus *papaverinis*, quæ adventante & facta nocte propinatæ, unà cum ſomno *fluida* pacant & *ſolida* mulcent, ſicque ad *aperientia* faciles dant vias feliceſque eventus parant: faciles, inquam, ſuprà fidem enim ferè eſt, quantò adhibita *opiatorum* opera, promptior expeditiorve ſit *aperientium* effectus, quorum ſic condita mi-

nima

nima *doſis* fructum ſuperat alterius longè majoris *opiatorum* operâ deſtitutæ. Hujus beneficii rationem aperit *chronicorum ætiologiæ* ratio, quæ cum in reſtituenda perditi *ſolidorum* cum *fluidis* æquilibrii æquabilitate conſiſtit, tantò ſuccedit meliùs, quantò minor fit majoris *momenti* addendi neceſſitas, id eſt, momenti quod majoris ſit ponderis aut maſſæ, hoc autem *opiata* præſtant, quæ quantò laxant *ſolidorum ſpaſmum*, tantò horum reſiſtentiam, graviſque momenti neceſſitatem minuunt, ſic ut hinc aucto (quod *aperientium* opus eſt) *fluidorum* impulſu, illincque *ſolidorum elatere*, ſponte *ſolida* cedant, referarique ſe patiantur. Inde ſe prodit *aperientium* agendi modus, *martialium* v. g. quæ *aperientium* Coryphæi ſunt, graves enim & ponderoſæ moleculæ ſunt aut maſſulæ a ferro ſoluto intra vaſa admiſſæ, ubi ſanguinis globulis additæ, additi *momenti* vices agunt, adactuſque illorum vim augendo mirabiliter, idoneos reddunt, qui emollitas *opiatis ſolidorum reſiſtentias* ſuperent. Igitur *opiatorum* cum *aperientibus* conſortii opportunitas in eo ſita maximè eſt, quòd dum in *fluida* agunt *aperientia*, in *ſolida opiata* operentur, illa quidem ſanguinis globulos impellendo fortiùs, hæc autem *ſucci nervoſi* aut *lymphæ nervorum ſtaſes* ſolvendo, dumque in illis *impetus* & *percuſſionis*, in his *cunei* vires exerceri vides. *Opium* enim cogites ut *mixtum*, quod præ cæteris, *volatilibus* particulis ſcatet ſingulariter, pauciſſima enim mixta ſunt, quæ *opii* exemplo, libræ unius pondere igni *chymico* ſubjecta ſtillando reddant ſex circiter *volatilium* particularum uncias; at cum tritu corporis organorum comparata chymicorum *analyſis* inabſoluta ſolutio aut diviſio eſt; concipere ergo datur *opium* intra corpus admiſſum, illicò in immenſam *volatilium* particularum nubem ſolvi, in quibus pro cuſpide, ſi illarum habeas minutiem aut tenuitatem, tot cuneoli tibi venient aut cuneiformes particulæ, quæ fulguris inſtar ſanguinem prætergrediendo abditos nervorum receſſus attingunt, quorum ſuperando anguſtias, & præ *ſpaſmo* conniventes ſtrictiùs *diametros* violando, dilatant, pandunt & a *ſtaſibus* liberant.

Equidem hæc *aperientium* rationes non ineptè exponunt, quibus labefactatum ſub *chronicis æquilibrium* reſarciunt, interim aliam adhuc offerunt ſtomachi fabrica, in huncque *martialium* contactus, quæ illas non parùm adjuvabit. Membranaceus omnino ille eſt, totuſque intertextus nervis, tantæ proindè teneritudinis, ut quod oculum afficit nullatenùs, ſtomachum lædat non modò, ſed miſerè torqueat, *croci metallorum* teſtimonio, qui lippienti oculo blanditur, ſtomachum autem vomitibus emovet. At rerum ſaporibus tam obnoxius tamque facilè ſuperabilis partis *tonus*, rerum ponderoſarum gravitatem, preſſum & moleſtias invictène feret? hinc certè intelligere decet, hoc ipſum in *ſtomachum* agere gravantem *ferri* contactum, quod in lyræ chordam & pulſam campanam levis digiti preſſus, ut enim hic utriuſque ſonum corrumpit, ſic ſtomachi tonum *ferri* preſſio mutabit; hinc alter oſcillandi ritus, qui a ſtomacho, quò omnes confluunt nervi, ad diſſitas *nervoſi generis* propagines aut origines progrediens, ſingularem illum quem periti artis obſervant a *martialibus* effectum edit, purpureum nempe & rutilantem ſanguinis colorem quem vel oſtendit ægrotantis vultus. Porro triti meliùs & perfectiùs ſubacti ſanguinis illud argumentum eſt, qui cum ante *martis* uſum lenteſcendo torpebat, a *marte*, qui ſegneſcentes ſuſcitavit *oſcillationes*, cietur in motum, circulandique reſumpſit facilitatem; reipſa anheloſa reſpiratio, partium ſtupores, laſſitudines &c. familiaria illa propriaque *chronicis, hyſtericis* præſertim affectibus *ſymptomata*, ſtatim a *martialium* uſu vaneſcunt, adeò reſolutæ ſunt *fluidorum* ſtagnationes! ſua reddita eſt *ſolidis* flexibilitas! adeoque recuperato horum cum illis æquilibrio, ſua ſanguinis circulationi facilitas reſarcitur, ſuaque illi rediit æquabilitas aut conſtantia!

Hunc

Hunc *aperientium* operandi modum aſtruit *cinnabarinorum* & *narcoticorum* cum *digeſtivis pulveribus* factum connubium, unde fructus his venit uberior, an alia de cauſa, quàm quòd a *cinnabarinorum* gravitate additum *fluidis momentum* majus, inductaque a *narcoticis ſolidis* major *flexilitas*, terendis ſubigendiſque humoribus, quod *coquere* vocant, meliùs inſerviant? dormiſcentes nempe aut torpidas partium *oſcillationes* exſuſcitando, haſque ad ſolitos & naturales rhytmos revocando; ſic enim emendatus fibrarum *tonus*, priſtinas reddit *ſecretoriis* & vaſis motuum *directiones*, ſuas partibus pronitates, nativaſque humoribus vergentias. Unde varii morborum *chronicorum* exitus aut *ſolutiones* a felici enim *aperientium* uſu, quæ eclypſim paſſæ fuerant naturæ evacuationes regredi vides in multis & in aliis qui per morbum evanuerant ſolitos antehac *herpeticos & eryſipelaceos* affectus renaſci, qui enim a ſedibus aut hoſpitiis accedente morbo aberraverant ſucci, iidem ſua ad loca morbo recedente remeant.

Sed in energiæ genus patet in nullo evidentiùs quam in *mercurio* inter *aperientia* clariſſimo, quem cum commendat gravitas ſingularis (adeò ut ponderoſitate cætera vincat *mineralia*) pondere particularum ſuarum, prodigia quæ inter medendum exhibet, operari facilè judicabis: cui ſi addis illam qua tam promptè in globulos volubiles incenſſanter ſemel effuſus, confeſtim concipies quam multa globulorum milliaria ſint, quibus cumulat vaſa & ſanguinem ditat ſemel intra corpus admiſſus, unde intelligere promptum eſt, illius acceſſione maſſulas non tantùm adjungi ſanguinis globulis, hincque illis *momentum* addi (quod *martialium* munus eſt) at inſuper ab illo ſanguinis globulorum multitudinem venire non mediocrem, qui illorum denſant numerum & volubilitatem augent, unde ſanguinis globulis & *momento* erunt & adminiculo, quorum impulſus, ponderis & volubilitatis vi remotiores glandularum receſſus *mercurialia* cogunt, ſubeunt, aperiunt.

Hic autem ſi memineris nullum eſſe genus morborum (nequidem demptis *acutis*) quod non fecerit aut foveat ſanguinis lentor aut *ſtaſis*, in proclivi concludere eſt *ætiologiam* morborum ad *obſtructionem* eſſe referendam; quam cum demoliri aut reſolvere *aperientia*, in ſanguinis globulos agendo, oſtenſum fuerit, abs renè erit augurari maximam remediorum partem, quæ præſtantioris efficaciæ erunt in globulos ſanguinis, ceu portionem illius rubram operari. Aſſerto huic fidem facit globulorum ſanguinis naturalis uſus, qui cum ſit ſanguini ſuos afferendi inteſtinos motus & circulationis facilitatem, liquido conſtat futuros eſſe eoſdem ipſos ſanguinis globulos, qui reſtituendis ſanguinis motibus & illius circulationis facilitati reparandæ inſervient. Hinc non improbabilis eſſet *amarorum* iſthæc altera operandi ratio, quorum vis omnis fuerint in addendo ſanguinis globulis *momento*, cujus potentia adſcitia adjuti in rumpendis *ſolidorum ſpaſmis & fluidorum ſtaſibus* valentiores erunt. Imò, a veritate alienanè erit ſententia quæ in eo ponet *amarorum* energiam, quòd iis maximè conſtent particulis, quæ augendo globulorum ſanguinis numero aptæ natæ ſunt? revera caloris ſanguinis authores eſſe globulos ſanguinis fama eſt; inſuper renovando ſtagnantis ſanguinis calori aut ei exſuſcitando dicata eſſe *amara* in confeſſo eſt, quodque certum adhuc magis argumentum eſt ſingularis in portionem ſanguinis rubram *amarorum* potentiæ, effectio illorum eſt, qua in feminis menſes movent aut revocant: pauca, imparia aut mancanè hæc erunt unde inferas apta eſſe *amara* multiplicando ſanguinis globulorum numero? ſed poſthac in conſpectum ſe dat ſingulare medicaminum ab alimentis diſcerniculum; illa ſanguinis portionis rubræ fomites aut ſuſcitabula erunt, albæ hæc ſuſtentacula. Annè quia *lymphaticis* canalitiiſvè particulis deſtituta

ama-

amara forent, unde nutritiæ aut albæ ſanguinis portioni acceſſio fieret, dum aliundè *ſulphureis*, quæ in globulos facilè ſe vertunt, particulis abundè ſcaterent; hinc ſaltem diſcere dabitur, quantùm in ſe habeat periculi *amarorum* abuſus, a quibus cum iis maſſæ ſanguineæ particulis (unde naſcitur calor) motus fiat augmentum, intelligitur æſtuationibus quantis & ardoribus objiciant ſanguinem iis in ægrotantibus, quos inopportuno *amarorum*, *cardiacorum* & *ſudoriferorum* uſu (his enim eadem movenda iis) curare aggredientur. Exinde venit (quod ad artis uſum ſpectat adhuc) medendi monitum aliud, opus videlicet eſſe, inter *amarorum*, *aperientium* &c. uſus, maſſam ſanguineam mollibus rerum particulis cumulare, quæ ſint globulos ſanguinis inter & *amarorum* maſſulas intermediæ, ne tuditantes natura ſua ſanguinis globuli, maſſularum quæ ab *amaris* accedent immediato nimis ictu diriùs feriantur & tumultuoſiùs; cumque nihil ſit unde molliorum ejuſmodi particularum uberiorem ſperabis copiam, quam ab alimentis, hinc ſe prodit Medici neceſſaria ſedulitas in eligenda congruente diæta, quæ ex iis ſit ſeculentis unde illarum mollium particularum proventus fiat ſanguini copioſior. Atqui ejuſmodi ſortis ſunt oleracea, cerealia ex *oryza*, *hordeo*, *avena* &c. talia proide æſtimanda quæ ut ſervandæ, ita & reparandæ ſanitati convenientia erunt magis.

In his quoque animadvertes *lactis* uſus rationes in curandis *chronicis* affectionibus, cum enim lactis utilitas ſe prodat maximè ſub harum finem, id eſt, poſtquam *amarorum*, *aperientium* & *martialium* omne genus uſurpatum eſt, intelligere licet dulces & molles *lactis* particulas, tomenti loco, quo detritæ *fluidorum* & exaſperatæ *ſolidorum* partes mulcentur, reparanturve, adeò ut *lymphaticis* ſuccis de novo farta alba ſanguinis portio, amicabilique muco loricati membranarum parietes, ut priſtinam mollitudinem recipiunt, ſic novas induant vires. Itaque lac (quod remediorum veluti appendix eſſe ſolet) condimenti genus eſt quod *fluidorum* ſimul & *ſolidorum* ſarcit detrimenta; non ſecùs ac a balſamo condituram illud vocant, ſed hæc incongrua erit interpretatio, ni balſami nomine tibi veniat ſarturæ quælibet, qua veteranis pars pauperata ſuccis, recentibus locupletatur, iiſque vi nova, aut novo *elatere* plenis a quibus animatæ *ſolidorum* fibræ priſtinas iterando *oſcillationes*, proprium ſanguinis circulationi reddunt tenorem, ordinem & æquilibrium.

Sub hac idea ſe ſiſtit *diureticorum* operandi modus, quem revelat *acidularum* & *thermalium* aquarum agendi ratio. Compertum & in confeſſo eſt quam copioſa illa ſit urinarum eluvies quam eliminat aquarum harum potus, quo pulſis foras fœdis humorum emiſſitiis, expediri ſolent contumaciores viſcerum infarctus. Inde liquet eam eſſe illarum operam quæ remotiſſimos quoſque & abſtruſos maximè *capillarium* vaſculorum receſſus ſubit, reſerat, aperit, atqui ea vaſcula ſunt, ubi ſub *chronis* latent ſuccorum *ſtaſes*, quorum ſtringuntur diametri & arctantur capacitates, de *acidulis* ergò aſſerere licet tantæ eas, eſſe virtutis, ut hærentium altè & ceſpitantium ſuccorum lentitudines, tenuiſſimorumque tubulorum *ſtricturas* ſolvere poſſint. Poſthac ſi memineris a labefactato *fluidorum* ſimul & *ſolidorum elatere* committi humorum *ſtaſes*; *fluidorum* quidem, id eſt, portionis albæ ſanguinis, cujus inertes & impeditæ fibræ *elatere* caſſæ fiunt; *ſolidorum*, quorum *ſpaſmo* coercitæ fibræ oſcillare ceſſant, ſequatur neceſſe eſt, ut illæ habeant aquæ, unde quod *fluidis* & *ſolidis* periit *elateris*, affatim & abundè ſuppleant. Sed id ipſum eſt quod de *acidulis* edocent publicæ obſervationes, (a) de illis enim produnt uberrimum

(a) *Vid. Frider. Hofman Dec. 2. diſſert. 6.*

mineralem ſpiritum, eumque tenuiſſimum, actuoſum & *elatere* pleniſſimum, unde colligere promptum eſt illas aquas eſſe *elaterum* conditoria qui harum vehiculo intra ſanguinem admiſſi, & ſegneſcenti portioni illius albæ calcaria addunt aut *elateres*, & vaſorum fibris dant *elaſticitatem*. Hanc ad normam ſi expendas illorum quæ *chronicis* adhiberi ſolent *diureticorum* vires, facile recognoſces, de eorum ſorte illa eſſe quæ tota turgent *elateribus*, actuoſis nempè, agilibus & impetum facientibus particulis, quæ non ſecùs ac *ætherei* ſpiritus & ſuccorum tarditates accelerare queunt & arctatas nimiùm tubulorum diametros pandendo dilatant. Alia quidem ratio illorum *diureticorum* erit quæ de *acidorum* familia ſunt, in tantum enim *elateribus* aut actuoſis partibus plena non ſunt, ut attemperandis humoribus idonea habeantur, interim dum hæc de illis vera ſunt, conſtat non minùs *diuretica* ejuſmodi ut alterius ditionis ſunt aut conditionis, ita & alterius attributionis eſſe & uſus, *acutorum* enim curationi attribuuntur, aut ejuſmodi morborum quos fecit *inflammatoria* ſanguinis *diatheſis*, ſub qua *urinas* pellunt miſſi ſanguinis ritu refrigentia, faciendo nempè ut deferveſcat ſanguis, ſicque detumendo tunicæ vaſorum in ſe redeant propriumque ad *elaterem*, quo ſe comprimendo, ſerum aut urinas exprimunt. Sed hic *chronicorum* caſus non eſt, ſub quibus cum ſuccorum *ſtaſes* in vaſorum capillamentis factæ, a ſanguinis *ſtagnationibus* quæ fiunt ſub *acutis* in majoribus vaſis, diverſiſſimæ ſint, diverſæ quoque energiæ erunt remedia, quæ horum alterutri adhibebunt. Sed unum prætermittendum non eſt, quod edocet illa *diureticorum elaſtica* vis, cavendum nempè inter medendum, a præmatura illorum uſurpatione, mobilia enim ut ſunt & facilè agitabilia, intelligitur quantas in ſanguinem ſtrages datura ſint, ſi a capillarium aditu repulſam paſſa, in majora vaſa retrogradiendo, ipſum in ſanguinem ſæviant, quod diſcriminis naſcetur quoties recens adhùc nimiùm fibrarum *ſpaſmus*, venientibus *diureticorum elateribus* viam præcludet; hæc autem ad medendum tanti eſt obſervatio, ut ab hujus contemptu veniat *diureticorum* frequens nimiùm infelicitas, facta enim ſub morbis urinam *eclypſi*, illicò ad *diuretica* curritur, non intellecta ſatis *phlogoſi*, quam inter ægrotandum contrahunt partes interim inducta a *phlogoſi* criſpatio *diureticorum* effectioni obicem ponit, ſuaque laude ut eventu defraudat id remedii genus.

Errore ſimili improſperum ſit aliorum remediorum opus, quæ aliunde in *chronicorum* curatione celebrantur, cujus numeri ſunt *hyſterica*, *ſcorbutica* & *volatiles ſpiritus*, quæ omnia ut ut *ſpecifica* dilaudentur, laboris plus aut periculi ægrotantibus ſæpè afferunt quam levaminis aut emolumenti, ea de cauſa quod ſpreto aut intellecto minùs a medentibus *ſolidorum ſpaſmo*, illa offerantur eo videlicet tempore quo fervent maximè aut convelluntur partes. Igitur ab ejuſmodi actuoſis medicaminibus curationem auſpicari, criminis loco erit, quæ alias cedent feliciter, ſi reſoluto aliquatenùs *ſpaſmo*, mollitaque ut decet *criſpatione* uſurpentur. Cautione altera opus eſt in adhibendis *ſpiritibus volatilibus*, hos enim obtrudi indiſcriminatim quovis tempore, ipſorummet etiam morborum quibus conveniunt, malis & incommodis obnoxia medicina eſt: illis locus eſt morbi *paroxyſmus*, quem *volatilium* uſu præoccupare, illum ſæpè invitare eſt aut accelerare, exemplo ſint *hyſterici* affectus, *aſthmatici*, *epileptici*, quos ſi extrà *paroxyſmos volatilibus* tractare volueris ſic exaſperas, ut in juges fermè *paroxyſmos* faceſſant, tam crebrò eos recurrere vides! de *volatilibus* enim *ſpiritibus* tenendum memoria eſt, aptos eos eſſe, immenſa qua catuliunt *elaterum* turba, ſolvendis diſſipandiſvè ſuccorum *ſtaſibus*, ſi recentes ſunt aut modò natæ, è contra verò iiſdem movendis aut evocandis idoneos ſi naſcituræ ſint; dum enim recentes ſunt adhuc, vim vi objiciendo diſſipabiles videntur,

ut

ut enim subitaneus *spasmus* est, qui sanguinis strangulat motum, subitaneo veniens potentia major, quæ cogat *spasmum* vincatque remedio esse potuerit; sed potentiam fortiorem sufficit enormis volatilium *elasticitas*, fugax & temporaria aliunde est illa quæ in *paroxysmis* fit succorum *stasis*, hanc ergò *volatilium* impetu demoliri posse concipies: secùs erit si impendente (ut *hystericis* moris est) *paroxysmos*, *volatilia* præcavendi causa adhibueris, hinc enim facta *spiritibus* aut nervorum *oscillationibus ataxia*, succedunt sanguinis circuitus *anomaliæ*, tum & morbi *paroxysmus*, qui in utroque consistit; sed ut *volatilibus* sua magis asseratur securitas, observabis cujusmodi sit morbus quem tractandum suscipis, de *spasmodicorum*nè an de *inflammatoriorum* genere sit? si prius, *volatilibus* locum dabis, si posterius ab iis tanquam *a leone & angue* cavebis, illic enim quæ hæret materies, præterquam quod, ut potè *lymphatica*, difficiliùs flammat, minimæ molis est, faciliùs proindè dissipabilis, hic autem accendi prompta est materia, *sulphurea* nempè sanguinis pars, maximæ molis, majoris proinde *resistentiæ*, quæ majorem ponet obicem *volatilium* potentiæ, quæ sic elusa flammanti sanguini comitem se dat, & auget incendium.

Hinc venit medendi lex, aut adhibendorum remediorum regula, nimirùm ex remediis esse alia quæ morbi fundo, alia quæ effectibus morbi debentur, ceu alia morbi causæ, morbi symptomatis alia convenire; meliùs alia quæ ipsis in *paroxysmis*; alia quæ in *paroxysmorum* intervallis usurpanda sunt: publico erit exemplo *cortex Peruvianus* de quo confessum est eum non exhibendum esse in ipso febris *paroxysmo*, adeò ut in febribus continuis quibus congruit, remissionis tempora eligenda sint sub quibus exhibeatur, quæ tanti momenti est observatio, ut in *synochis*, quæ unius tenoris sunt intutus sit aut alea plenus *Peruviani corticis* usus, unde sub *febribus intermittentibus malignis*, quæ intra paucos dies in *synochos* desinunt, cedit infeliciter ille cortex, nisi statim a secundo aut tertio *paroxysmo* illicò exhibeatur, antequam eveniat exitialis illa *metamorphosis*. Huc spectat adhuc corticis illius usus, qui prosper est sub illa febre quæ maturis *variolarum* pustulis aliquando comitem se dat, tunc temporis enim nisi fecerit benè provida medentis sagacitas, ut confestim illam comprimat febrem propriis adhuc exacerbationibus distinctam, antequam (quod prope diem evenit) in *synochum* abeat, cassus fit cortex & perit ægrotans. Non dissimile est quod experiuntur artis prudentes in *narcoticorum* usu, quem felicem comperiunt dolorum febriumvè *paroxysmos* præoccupando, sic ut *narcoticis* tempus operandi concedatur, antequam se prodat qui sedandus suscipitur *paroxysmus*, hæcque est, artis felicitas in *paregoricorum* usu sub *variolarum* curatione, in tantùm enim succedunt, in quantùm maturè propinantur, quinta scilicet aut sexta hora sub vesperam, antequam adveniat exacerbatio febris quæ sub hoc morbo accedente nocte contingere solet; sed *ne extra oleas*.

Porrò, quod ad ea remedia pertinet quæ chronicorum morborum curationi dicantur, de illis monendus Medicus est, ut in iis cautè se gerat & sapienter, actuosa enim ut sunt & in fervorem prona, arcessendo ei quod committi potest in curandis *chronicis* malorum maximo apta nata sunt. Id mali est *chronici morbo* in *acutum* facta conversio, quod cùm non contingat, nisi *exaltata*, (ut ajunt) & in tenuiores partes *evecta*, quæ segnescebat, torpebatve materia, palàm fit quàm proximè ardeat lentescens sanguis iis medicaminibus assiduè tractatus, quæ spirant ignes & flammam minantur? Quod ergo periculum incurrunt, qui temerario, præcoci, aut immodico *febrifugorum* abusu *quartanam* febrem *continuam*, proindèque *chronicum* in *acutum* vertunt? Eidem se objiciunt, qui densa *aromaticorum*, *balsamicorum*, *antiscorbuticorum*, *volatilium* &c. turba *chronicos* torquent affectus, pigrescentes

enim ſuccos ſtimulando nimiùm accendunt, *obſtructionum*que, *tuberculorum*, & *ſcirrhorum* loco, *febres*, *inflammationes*, *apoſtemata* acceſſunt; ſic ex *aſthmate peripneumoniam*, ex *catarrho pleuritidem*, *hemoptoen* ex *tuſſi*; *inflammationem* ex *ſcirrho*, ex *diarrhœa dyſenteriam*, denique ex *chronica phthiſi acutam* naſci vides.

CAPUT XVI.

De lacte, acidulis, thermis & balneo.

HActenus de remediis quæ in medendo agmina ducunt, ſequuntur quæ eadem claudunt remediorum agmina. Hæc inter eminet *lac*, publicum illud & univerſale morborum abſolutorium, ut pote quod in expediendis morbis uſurpari moris eſt, moris, inquam, ut plurimùm, vix enim ſapientiæ ſemper, tam infelices lactis aut luctuoſos eventus obſervant, quos ducit magis artis peritia quàm medicandi ritus. Igitur hic quoque ſcientiam a conſuetudine ſeparabis, curationum non medicaminum exempla ſectando. Erroris cauſa iam delibata eſt, ſparſa nempè de lactis natura in vulgus opinio; a morbis enim pauperari ſanguinem proditum fuit, tunc deflagratum hunc in vappam veniſſe opinati ſunt, quod vitii cum non capiat niſi a peſſundatis ſulphuribus, quæ trita illis loquendi erat formula, oleoſis partibus ſcatere, lac pronuntiando, in illo latere balſami vires dennierunt, quo abundè ſarcirentur ſanguinis jacturæ, ſicque facto lacti perbello balſami titulo, illud eſſe creditum fuit, quo ut ut perdita ſanguinis *eucraſia* non incertò repararetur.

Eruditæ illæ fabellæ erant quæ curioſas paſcebant mentes, quæ ſpurio balſami nomine captæ dicas vel deceptæ, in illo panaceæ energias condi æſtimaverunt, unde ſuos ſanguis perditos ſpiritus recuperaret. Sed aliud longè dictat ſincera lactis in *chronicorum* cutationibus operandi ratio; lac eſſe memineris ſobolem herbarum quibus animalia paſcuntur, ideòque conflatum iis ipſis ex canalitiis particulis, quas in animalium àlituras herbæ fundunt, at ils canalitiis particulis integris adhuc, aut nondùm detritis, primævæ nempè naturæ & concreati caracteris adhuc tenacibus, ut pote quas nedum attigit illa tritus ſuprema vis, quæ chylum aut lacteum ſuccum ſubigendo mutat in carnes aut *aſſimilat*. Ad hanc conceptus trutinam ſi revoces in curandis morbis prodigia lactis, facilè concludes in eo poni mirabiles illius in ſanando potentias, quod fetum adhuc ſinceris herbarum ſuccis, quas alendis animalibus dicavit Creator, morbidum ſanguinem nativis ſuis nedum adulteratis rorat ſuccis, ſicque eum ad Creatoris conſilia reficit & redintegrat. Interim quod infeliciter tam ſæpe cedat ægrotantibus lactis uſus, in cauſa eſt *dyſcraſiæ* indoles qua laborant; *exaltatio* eſt aut explicatus ſanguinis quem inſuccarunt comeſtorum animalium carnes, ſuccorum proindè evolutio quos formavit ipſa carnium ſubſtantia; in hoc jam vides quantùm à lactis ingenio diſtat ſuccorum ejuſmodi compactura: verùm ſi obſerves adhuc illos ſuccos ſub morbido ſanguinis ſtatu à ſeipſis alienatos eſſe, duplicem habebis in illis cum lacte diſcrepantiæ rationem, cujus cauſa huic cum illis malè conveniet quapropter amicabilis ex utroque & placida fiet nuſquam conflatura; inde luctæ, diſſidia, febres, ſimileſque anxietatis ſenſus, quos paulò frequentiùs ægrotis apportant inopportuna lactis tentamina. Inopportuna autem ea intellige, quandiu iis in ſuccis durat illhæc alienatio qua committitur, ut lac appellens, alteram

adhuc

adhuc ab illa quam à carnium esu contraxerant sanguinis succi inimicitiam sentiendo, repulsam patiatur. Hanc enim animadversantis lactis rationem assequeris, animadvertendo, quàm hominum multi sint, quibus vel sanis lac inimicatur, adeò ut si illis pauxillum de lacte delibare contigerit, in vomitiones, *cephalalgias*, tormina, *diarrhœas*, confestim impingant. Porrò unde hæc venit hominibus nostris in mala tanta proclivitas a lacte, unde tam facilis & innocua fuit primis hominibus alitura? non aliundè certè quàm à mutato hominum victu hic enim qui in hominum primis parcus, simplex & inemptus erat ex terræ frugibus, in nostris varius, immodicus, opiparus ex animalium carnibus factus est: atqui dictat ratio quàm æquabilis fuerit sanguinem inter & lac congruentia, toto illo tempore quo terræ frugibus usi sunt homines, ipsissima nempè quæ concipitur res inter quæ ex iisdem pabulis coaluerunt; & revera ut ex terræ frugibus consistebat hominum sanguis, ita ex herbis coalescebat animalium lac, factaque sic inter utrumque convenientia venit in apertum quàm amicabilis esse debuerit lactis ad sanguinem accessus; sed ad sanguinem non tantùm, cum enim ejusmodi conditionis sint oportet cum *fluidis solida* corporis, ut pote quæ ex *fluidis* compingantur, consectarium est eandem quæ lac inter & sanguinem, *solida* inter & lac adfuisse congruentiam, ita ut ad lactis rationem se haberet partium *tonus*, & ad illius ingenium oscillarent partium fibræ; unus ergò consensus erat, una conspiratio quæ amicabilia & placida lac inter & sanguinem alebat commercia. Eademuè concipere dabitur in hodiernis corporibus quæ saginant carnes & vina mergunt? certè vividiùs in illis *fluida* pelluntur, duriùs *solida* pulsant, quàm ut lactis, delicatuli illius alimenti blanditiis vinci se aut mulceri patiantur. Eapropter tanta cura medenti opus est, ut votis illius respondeat lactis usus, hic enim eo tantùm temporis momento cedet feliciter, quo sanguini sua restituetur cum lacte congruentia: at cum sub morbo a primæva non tantùm aut *concreata* congruentia descivit sanguis, sed insuper ascititiam a morbida *diathesi* contraxit, quanto longiùs à se recessit, tantò tardiùs ad se revertitur, hinc tandiu castigari indiget pluribus, tam denso *digestivorum*, *diluentium*, *absorbentium* & *amarorum* numero, quæ omnia si ex *vegetabilium* tribu deprompta esse attendas, ut pote cum ex *radicibus*, *herbis*, *floribus* & *seminibus* maxima ex parte selecta sint, confestim fateberis eam qua caret sanguis cum lacte congruentiam, ipsissimam esse a qua facto illi ex carnibus pabulo recessit, eam enim restituta sibi ex terræ frugibus esca resumit.

Scisciteantur quod addictos tenet lactis pœna, seu qui solius lactis pabulo suam coguntur macerare vitam, nunquid in fructuum usu fuerit sibi nefas tam inopi quærere solatia vitæ? negant quos occupatos habet de fructuum & olerum insalubritate imbibita altiùs opinio, ea omnia a diæta salubri arcentes quæ carnes non fuerint; interim si de vegetabilium numero illa sunt, quibus in sanandis morbis sua lacti asseritur felicitas, qua rationis infelicitate continget, ut quod *eucrasiam* sanguini potest reddere, idipsum *dyscrasiæ* illius vertatur. Porrò herbæ sunt, aut herbarum soboles quæ ad faustum lactis usum sanguinem præparant, igitur spes est non mediocris fore ut cœpta ab herbis renascentis valetudinis fundamenta, à fructibus solidescant; imò verò asserti illius publicum argumentum se profert in iis qui *arthritidis* sanandæ causa uno victitant lacte, dum enim eos omnibus animalium carnibus & succis repudium dicere cogit esculentorum ejusmodi non inexperta pernicies, facta sibi fructuum copia valent atque sanescunt.

Metus a fructibus est, si hos audias iniquos fructuum olores, ne quo pleni sunt coagulo, lacti coagulationem inferant, toti enim, ut ajunt, *acido* scatent,

tent, quo denſatæ lactis particulæ in glomulos coguntur, formidoloſamque omnium maximè lactis vitiationem committunt, coagulationem ſcilicet, quâ pejor nulla. Inania hæc terricula ſunt, quibus credulis mentibus fucum faciunt, quid enim *acidi* nomine terroris non incutitur, unde morborum ilias? at immane quantum intereſt illud inter *acidum* quod a maturatione ſuccedit, cujus ſortis ſunt *citriorum*, *aurantiorum*, *limonum*, *mororum* & *groſſularum* acida, & illud quod a rerum corruptela venit; illud enim *exaltationis* legitimæ fructus eſt & perfectionis meta, hoc *diſſolutionis* ſoboles & ruinæ ſignaculum: igitur dum ex hoc nihil non diffidii & luctaminis naſcetur (in rerum enim jacturam aut perditionem factum eſt) ex illo expectabis nihil non pacis & boni, *citriorum* exemplo in quibus unis tota ferè *Luſitanorum* medicina eſt in curandis febribus, quarum inſanias, tumultus & ignes aquis ex citriorum ſucco dilutis certò tutò & jucundè compeſcunt. Verbo factam hanc *acidis* litem ſic dirimes; ab humorum in corpore vitiatorum acoribus metuas quidquid alit mali ſaporum intemperies, ab acidis verò quæ extrinſecùs adveniunt in corpus, ab iis potiſſimùm quæ ab eſculentis & potulentis erunt, jucunditatis multùm, utilitatis ſæpe non parùm ſperabis, eò magis quò abſcondita magis, aut inevoluta erunt aut *exaltata* minùs, cujuſmodi ſunt fructuum *acida*, quæ tam amico fœdere & æquabili miſtura cum cæteris fructuum elementis ſociantur, ut ſuavem potiùs quàm ſalinum ſaporem conſtituant; ſed hinc vellicato jucundè ſtomacho, tantùm abeſt ut ejus ſortis *acida* in morborum cauſas faceſſant, ut è contra ſtomachi fibras amicè ſtimulando, *elaterem* illius & *oſcillatoriam* vim exſuſcitent, ſicque cruditatibus, acoribuſque materiaturas præripiant. Poſthàc ab acidis fructuum acores in ſanguinem induci æſtimabit nemo, ſtomachum enim roborando, à reſidibus hacque ratione aceſcentibus ciborum reliquiis ſtomachum tuebuntur; proindèque a fructibus lac aceſcere in ventriculo inanis opinio eſt, inanitus enim diligentiùs a fructuum eſu, ad lac excipiendum ſubigendumque in tantùm paratior fit & habilior, in quantùm promptiùs coquendo fructus, in vaſa expeditiùs dimittat illorum ſuccos, lactis coctioni unicè vacaturus.

Inſuper quidquid de coagulatione clamitet hominum vulgus, malorum minimum eſt quæ a lactis corruptela impendent, ut ut enim ſua ægrotanti incommoda afferat lactis coagulatio, incommoda reipſa ſunt illis cum ſtragibus comparata quæ inducit in humano corpore lactis æſtuatio, qua ſanguis accenſus in bilem vertitur: hæc autem vitiatio lactis præ coagulatione vulgatior eſt, licet obſervata minùs; obſervabilis tamen facilè pluribus ſymptomatis, quæ tumentem oſtendendo ſanguinem, flammam illum concipere admonent. Flagrantiæ illius prodromus eſt corporis laſſitudo, quam comitatur pulſus fervor, interdùm durities, unde aut febris obſcurè præſens aut proximè ventura, quam teſtantur aut prænuntiant capitis gravitas, inquietes ſomni, oris amaror aut ſiccitas, ſanguinis ex naribus ſtillicidium, & in iis qui *hæmoptyſi* patent ſanguinis ſputatio; tetra omnia ſymptomata, eò damnabiliora, qnò clanculùm ſerpentia diù, inſidiantur vitæ cauſis, anteactique morbi aut pericula refricant aut novæ febris accerſunt diſcrimina.

Symptoma aliud eſt, de quo gratulari moris eſt convaleſcentibus, alvi nempe purgatio aut laxatio inſolens quam experiuntur non pauci, quo tempore lacte utuntur, ſic enim purgari ſanguinem vulgi ore ſtabilitum eſt; interim quid cum lactis natura, medendivè conſiliis pugnat magis? hæc enim vacuatio id omne ſuffuratur ſucci quod paupertatis ſanguinis redintegrationi deſtinaverat artis conſilium; & revera minimum quod inde ægroto redit incommodum

modum temporis & lactis jactura aut perditio eſt, artis enim prudentibus comperta res eſt, vix fructuoſum eſſe lactis ſuavitate, neque illius roris benignitate reſtauratur. Inquirunt in ejuſmodi *diarrhœæ* cauſam, hancque ventriculi imbecillitati imputant, ſed quàm immeritò oſtendit infantium ſtomachi *tonus*, qui cum tener ſit & debilis, lac tamen facilè ſubigit coquitque laudabiliter; quod ergò hoc in caſu malè ſe habeat ad lac revaleſcentium ſtomachus, hinc colligitur; a febris præteritæ turbis recens adhuc, illam quam contraxerat *elateris* nimietatem exuit non ſatis, hinc tractatum duriùs & turbulentiùs agitatum lac, teritur præcipitantiùs & æſtuosè deturbatur; hæcque tam vera eſt *ætiologia*, ut huic ſymptomati remedio ſint aquæ unciæ aliquot ſtatim ante lac ebibendum propinatæ; quæ ſi non ſatis ſuccedit induſtria, illius aquæ loco, *theriaca* grana aliquot boli forma porrigentur; ſtomachi animandi cauſa fortè putabis? nil minus, at *opii* quo ſcatet *theriaca* viribus, exaſperatam ab anteacta febre ſtomachi vim illam moderando cicurant & tritum mulcent. Hic enim, id eſt, ſub uſu lactis vix unquam a ſtomachi imbecillitate commiſſum aliquid mali reperies; argumentum erit alterutrum non infrequens incommodum quod poſt ſe trahit lactis uſus; alvi nempè moleſta ſiccitas, ſub qua ſenſus vehementioris arteriarum pulſus, hincque natæ vertigines medentis manum poſtulant. Atqui roborandonè ſtomacho admovebitur? impendens malum accelerare eſſet, incaleſcentis enim lactis ſignum eſt, quod actuoſiori tritu elaboratum, in corporis ſublime rapitur; hinc fortè ſe dabit narium hæmorrhagia, ſed omnia inde naſcitura mala avertent, quæ ſanguinem & bilem frænant, moderantur, diluunt, unde non obſcurum venit indicium, non imbecilli fractique ſtomachi ſymptomata eſſe illam ſuis cum ſatellitibus incommodis alvi ſiccitatem. Verùm ut omnia hæc vera ſunt, neque rationi, neque neceſſitati conſona eſt communis illa multorum mentis anxietudo, qua ſub lactis uſu *purgationem* frequentandam eſſe prædicant; dato enim malorum quæ tunc temporis contingunt, maximam partem a fervente nimiùm ſtomachi tritu, hincque facta accenſione ſuccorum manare, vix ullum medicamentum erit quo melius quàm purgante carere queat lactis uſus.

Bilis proventum fruſtrà accuſabunt, quod enim bilem vocitant, æſtuantis lactis fetus eſt, quem ſi ferventis (cujus ſortis *catharticum* eſt) medicamenti vi excludere tentas, igni flammam adjicies. In aliud adhuc diſcrimen venit ſub lacte purgationis uſus, quam identidem (quod commendat medicandi ritus) repetere, recentes nedùm nempe glutinatos firmiter ſuccos eradere eſt aut deterere, quod ſanè lactis fructu ægrum defraudare eſt.

Sequitur diſtinctio lactis; frequentioris uſus *aſininum* eſt, infrequentioris *caprillum*, *vaccinum* rarioris. Frequentior fit *aſinini* neceſſitas, ut enim a ſuperſtite in partibus *ſpaſtica diatheſi* veniunt ut plurimùm morborum reliquiæ, reſtante ſcilicet a morbis gravioribus *ſpaſmodico* fibrarum *tono*, quo fit ut abſit a partibus nativa tractabilitas, ſuaque ſanguini facilitas circuitus & *ſecretionum* facilitas, lacte *aſinino* frequenter fit opus, ut ſui ſuavitate ſucci & amica partium energia, *fluidorum* ſimul & *ſolidorum* ſubeundo receſſus, horum & illorum duricies vincat, *erethiſmum* eluat, & leniat aſperitates. Ante habetur *caprillum*, ubi laſſatis partibus a crebrioribus aut diuturnis fibrarum *ſpaſmis*, hincque laxato illarum *tono*, iis opus eſt quæ partes firment, harumque ſtabiliant *oſcillationes*, inprimis ſi ejuſmodi prægreſſi morbi ſint, quibus violatæ diutiùs *ſecretoriorum* capacitates egent adjutorio, quo ad ſuos, unde longiùs receſſerunt, *diametros* redire queant; ſed illam præſtat operam *caprillum* lac, quod ut pote dilutum aut aqueum minùs quàm *aſininum*, ponderoſioris maſſæ conſtat particulis, quæ in partes laxantes aut hiantes gra-

ve-

veſcendo, eas confidere coguut, & anguſtari, quod librationis genus eſt, qua partibus ab æquilibrio declinantibus *momentum* additur aut æquipondium, ut ad ſuam oſcillationum libellam ſeſe recipiant: eapropter tam fauſtus eſſe ſuevit *caprilli* lactis uſus, in curandis morbis qui in humorum *fluoribus* conſiſtunt, quales ſunt *diarrhœæ*, *dyſentiæ*, *diabetes*, *fluor albus*, morbi omnes qui poſtquam medicationi obſurduerunt, lacti *caprillo* victas tandem dant manus.

Alterius conſiderationis eſt *vaccinum* lac, quia alterius eſt intentionis; quantum enim ad caſtiganda *ſolidorum* vitia, aut redintegrandas firmandaſve oſcillationum *directiones* ſpectant *aſininum* & *caprillum*, tantùm ad corrigendas *fluidorum dyſcraſias vaccinum* pertinet; hoc ad alimentum, ad medicamentum illa propius accedunt: Itaque univerſam ſanguinis maſſam imbuit *arthritica* lues, quæ arcanas ſubiit partium medullas? non hunc vel illum ſingularem humorem emendandum habes, ſed labefactatam omnem humorum molem? reconcinnandum retractandumvè ſuſcipere totum ſanguinem ſatius erit & tutius, ne *ſpecificis* nomine tenùs, reverà autem deleteriis medicaminibus illum malè torquendo, ipſos miſceas, diſturbeſve ſinceros vitæ latices, ſicque poſitis ſus deque hujus elementis adulteres ſanguinem & in ſpurium inconditumque liquamen vertas. E contrà, nihil non beneficii ſpondet hic uno ex lacte diæta, quæ in ſolius vaccini lactis cibatu continetur; illius plurimas rationes ſuggerit phyſicæ ſagacitas, ſed veram invenies in primo Conditoris inſtituto, dum enim in lacte poſita novimus naſcentis in infantibus vitæ primordia, in eodem admonemur reperiri quoque labentis in adultis ſemina vitæ. Medentis ergà Creatorem clientelæ genus eſt, quo in primario numinis opere reficiendo cæcutiens, proprium opus authori reconcinnandum committit; id tamen nec temerè, nec inconſultò, cum enim *arthritis* v.g. quam hic in perpetuum ſumimus exemplum, hæreditarius morbus ſit, cujus ſeminarium ipſemet ſanguis eſt, remedii ſemina quærere convenit eo in ſucco, in quo concluſit Creator elementa ſanguinis aut alimenta, ut dùm ad inſuccandum ſanguinem conditus fuerit, ad emendationem quoque illius conferat & medelam, idque cedet eò feliciùs, quòd ejuſmodi curationis nomine, ſanguinis non *depuratio*, ut loqui amant, accipiendà ſit, ſed renovatio illius aut permutatio, qua præſentis loco ſanguinis ſuccenturiatur novus; huic autem operæ ſervietnè meliùs aliquid, quàm lac? quod amicabiliter ad ſanguinem aſſiduè & ſenſim accedens, illius qui jugiter *tranſpirando* ſecedit, loco ſubrogatus, ſicque facto poſt menſium aut annorum intervallo recens & aliuſmodi fit ſanguis, *arthritico* contagio aut exutus, aut ſuo illud condens gremio tam altè ſepultum, ut *arthritis* aut minima fiat inpoſterùm aut nulla.

Utilitatis aut beneficii tantùm a mutuis illis rationibus redundat & convenientiis, quas in lacte ad ſanguinem inſtituit Creator, quæ ſub lactea diæta ideò reviviſcunt, quòd uullo ex carnibus admixto lacti edulio, utrumque, lac nempe & ſanguis, ad ingenitas redeat pronitates, & ad Creatoris recidat conſilium, unde ſanitatis ille flos, quem homini aſſeruiſſet unis ex frugibus alimentum. Lacteæ ergò diætæ regula princeps erit, intermiſcere nihil quod ad fruges non attineat; ſunt qui admittunt ova, & ex animalibus proveniunt & animalium ſunt ſeminaria; itaque ſecuritatis plus erit fructibus, qui ut pote de vegetabilium numero congruent magis. Altera regiminis illius regula ſit parcere quantitati lactis, ſic ut non tantùm pro ſingulari refectu, ſed & pro ſingulis diebus illa ſit mediocris; unde redibit commodum duplex, etenim ſtomachus hac arte pondere levatus, coctionem feliciùs abſolvet, quia teret ofcillabitque alacriùs; inſuper mole minori inde veniens ad ſanguinem chyli quantitas, ab ingluvie vaſa tuebitur. Et reverà, ſi omittatur iſthæc regula, lac incaleſce-

caleſceret brevi, quia brevi obſtruet vaſa, quæ *ſtaſi* ſua premens, ſanguinis circuitui moram facit & *reſiſtentiam* unde lucta morbidumque conamen, a quo febris. Id mali imputant acenti lacti, & viarum impuratarum ſordibus; heu fœdam animalis œconomiæ ideam! incommodi hujus cauſa genuina eſt, lactis in *elaterem* mira proclivitas, ob quam alicubi moratum aut hærens lac, illicò ſe pandit & eluctari nititur: lac ergò, quod frigidum habet hominum vulgus, *elateribus* totum catulit, qui ut per vaſa placidi eant, cavebitur ab illorum ingurgitatione, quam illicò parit lactis ingluvies. Itaque & tertia hæc erit lex regiminis ſolo ex lacte, quæ bimembris eſt; liberaliter & calidè bibat, qui impendentia ab illo regimine pericula prævertere voluerit, quibuſque hinc expectantur bonis non defraudari; quantò namque magis pandi amat lac, tantò magis dilui indiget, quod copioſi potus effectio eſt, eò tutior, quòd lactis partes dilatet non modò & *elateres* illius frangat, at & molliat *ſolidorum* fibras, quæ ſic laxatæ vaſorum reſerant vias, pandunt diametros, tumentemque a lacte ſanguinis molem a *ſtaſi* præſervant. Potus ille aquæ erit, quæ tantum potulenta cætera bonitate ſuperat, quantùm altitudine viburna cupreſſi. Creatoris enim opus eſt nedum exſinceratum, inſtitutæ ab antiquo ſimplicitatis monumentum, quod juſſis a Creatore imbutum adhuc virtutibus, illius ad nutum ſervit corporis & vitæ commodis.

Argumento ſunt *acidulæ* & *thermales* aquæ, numinis ſignaturæ tam fidè tenaces, ut auxiliares Deorum manus habitæ fuerint; ultima ſunt enim poſt naufragia remediorum tabula, ad quam, ut ad ſacram anchoram confugere ſolent, quos tenet corporis imò & animi morbus immedicabilis; num aliud ab aquis auxilium valentius ad *hyſtericas*, *melancholicas hypochondriacaſque* affectiones? revera creatis ex rebus aliamnè ab aqua invenies quæ afflatu divino tanta plena fuerit? aquæ fuerunt (a) *ſuper quas in principio ferebatur Spiritus Dei*, aura nempè divina quæ aquis accubando eas fecundabat tanta & tam multiplici virtute, ut (b) *omnem animam viventem produxerint aquæ in ſpecies ſuas, & omne volatile ſecundùm genus ſuum*. Facta ſic aquis a Creatore tam larga virtute, fidemne ſuperabit ſingularem in illis hodienùm durare potentiam? hanc ſuadet aquarum ſitus, quem *in principio* juſſit Creator, qui quaſi hominum moderationi parum fidiſſet, (c) *firmamentum fecit, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his quæ erant ſuper firmamentum*, ut hac caveret providentia, ne aquas omnes temeraret hominum manus aut corrumperet, ſic enim portionem alteram ab hominum poteſtate ſurripiebat, quæ roris aut imbrium facie deſcendendo in terras, alteram portionem ibi ſuperſtitem renovaret, aut fortè pollutam a terrarum inquinamentis repurgaret.

De aquis enim prætereundum non eſt illarum a ceteris creatis rebus factum hoc a Creatore diſcrimen; terram & truges hominum culturæ, animalia alimentorum neceſſitati ſubjecit; aquas autem ſui unius fecit arbitrii, futuras nempè nullius hominum curæ indigas; unde concipi promptum eſt puritate tanta donatas eſſe a Creatore aquas ut hominum labore opus nunquam eſſent habituræ, hanc aliundè in ſe recipiente Creatore providentiam, identidem ex ipſo quod *ſuper firmamentum* fecit aquarum conditorio, concedendi imbres, qui & aquarum quæ *ſub firmamento* relictæ ſunt peccamina eluerent, & harum juſtam hominum neceſſitatibus tuerentur aut repararent quantitatem. Itaque putaveris ſuffiationem illam bullantium aquarum thermalium, ſuperſtitis illius primigenii ſpiritus eſſe effectus; hinc intelliges aquas illas totas eſſe *elateribus* fetas, eodem quo primùm digito Dei agitatis, una videlicet cum illorum im-

(a) *Geneſ. c. 1. v. 2.* (b) *Ibid. v. 21.* (c) *Ibid. v. 7.*

preſſis a Creatore *tendentiis* & inclinationibus, ideòque totis adhuc ad *fecundationem* vigentibus & aptis. Ab *elateribus* ſic animatis expectari licet quidquid pollicentur *ſalium*, *ſulphurum* & *ſpirituum* ſolemniores energiæ, habent enim unde humorum *ſtaſes diſſipent*, partium oſcillationes reſtituant, ſuamque ſanguinis circulationi ſeriem reddant & libertatem; *machinulæ* ſunt enim a primo creationis momento oſcillantes, in quibus ut univerſalis *oſcillatoriæ* virtutis ſeminia ſuſpicari decet, (hinc enim agrorum fecunditas) energias quoque admittendas eſſe conſequitur, unde tardatæ, ſegneſcentes & inordinatæ in animalium corporibus oſcillationes reviviſcant & emendentur. Atqui hoc ipſum eſt quod ad morborum curationes abſolvendas requiritur, torpens enim & quaſi otio ſepulta *ſolidorum ſyſtaltica* vis reſuſcitanda venit, repenteſque & elanguentes *fluidorum* particulæ ad motum revocandæ, cui operi conducet nihil melius quàm ejuſmodi particularum intra vaſa admiſſio, quæ minutie ſua & pernicitate ſanguinem non ſolùm, ſed & ipſam nervorum *lympham* permeare poſſunt; cujus conditionis ut ſunt aquarum *elaſtici* ſpiritus, ab illis ſperare convenit id omne quod ad reſeranda viſcera & *obſtructiones* ſolvendas valentius eſt & accommodatius. His omnibus ſi addas nullam eſſe ex (a) *acidulis* & *thermalibus* aquam quæ *martiali* aura gravidata non ſit & ſalino ſpiritu feta, illas ſalubres tam mirabiliter eſſe intelliges, non tantùm ex eo quòd *elaſticæ* ſunt & meabiles maximè, at inſuper quòd *ſalis* & *ferri* maſſulas ſinu ſuo vehentes, ſecum una pondera gerant, quæ gravitate ſua partibus *momenta* faciunt, horumque opera æquipollendo morbidæ vi, æquipondium illud reſtituunt aut *æquilibrium*, a quo ſua ſit animalis œconomiæ motuum integritas. Hanc autem aſſerit integritatem partium *toni* reſtitutio, quæ reddito partibus æquilibrio ſuccedit; laxationis enim genus eſt æquilibrii reditus, quo a *ſpaſtica* corrugatione ſolutæ quæ criſpatæ erant partes explicantur, unde ceſſant fibrarum obliquitates, curvaturæ, diſtorſiones, ſuæque redeunt ſuccorum ductibus & *ſecretoriis* inclinationes, *vergentiæ*, *directiones*; tandemque reparatis *ſolidorum* cum *fluidis* rationibus mutuis & proportionibus, ictus priſtinos ſuos, ante actaque itinera ſinguli repetunt ſucci, ſua redit ſanguinis circulationi facilitas, ordinatio, æquabilitas, ſuuſque *ſecretionibus* ordo & nativa ſeries.

Plurima hæc bona ſunt quæ ex aquis expectari jubent uno ore facta a ſingulis nationibus aquarum ſuarum encomia, quæ tamen cum grano ſalis accipienda vult ſapiens ſimul, candidus & eruditiſſimus de acidulis & thermalibus aquis monitor, (b) non indiguus aliunde qui audiatur, ut ut enim moroſus fortè videbitur aquarum *delatoribus*, is erit qui *veternum* (ſi fuerit) a præoccupatis mentibus excuteret. Nihilominus tamen incuſſum a monitore metum minuet non mediocriter diſcuſſus illius circà virtutes aquarum error; ab his enim maximè timet *mineralium* malitias, quorum *ſpiritibus* (c) imbui minùs, quàm *ſubſtantiis* gravidari aquas arbitratur, at hodiè meliùs eruditi habemus quæ nos reddant ſecuriores. Bullantes ipſi oculi vident minerales aquas, unde evidens ducitur argumentum, totas *ſpiritibus* (d) fetas illas eſſe; *ſpiritibus*, inquam, non *ſubſtantiis*, (e) quàm parùm enim actuoſis illis particulis corporis ſit aut ſubſtantiæ evincit calfactus aquarum, aut illarum translatio, accidit

(a) *Vid. Frider. hofman diſſert.*

(b) Lamzuverde, *monita ſalutaria &c.*

(c) *Vid. Frider. Hofman. diſſert. 6. de acidul. & thermul. ratione.*

(d) *Aquæ minerales præſertim martiales, gravidantur adeò ſubtilibus corpuſculis, ut leviores fiant aqua communi.*

(e) Vallerius, *tentamin. phyſico-chymica circa aquas thermales.*

dit enim alterutrinque ut exanimes aquæ fiant aut aquarum cadavera, adeo cadunt virtutibus! at verisimilenè est tam caducarias fore aquarum energias, quas alerent substantiæ rerum, mineralium inprimis, quæ fluxæ sic esse non sueverunt, ut labefactet aut perdat illos ignis vis, a qua tantùm acquirere solent potentiæ. Mineralis ergò spiritus est in quo ponitur aquarum vis, aliundè tam aereus ut majorem a medente curam requirat, ne inanem illum abire sinat in auras, aut intra corpus cassum admitti.

Itaque in usurpandis aquis, cautus imprimis erit medicus in temperanda ad ingenium morbi & ægrotantis constitutionem *elateris* potentia, eò formidabili magis, quod in iis major sit aquis quibus frigidarum nomen fecit vulgi error, *acidulas* intellige quæ spiritu minerali præ *thermalibus*(a) turgidiores sunt; ut enim *ferrum* sapiunt, quòd de *chalybeatorum* effectu tradiderunt medicinæ periti, inter *acidulatum* potus profitentur ægrotantes, caloris nempe sensum, cerebri turbas, vertigines, pulsationes temporum, & importunas arteriarum vibrationes, manifesta tot creatarum *oscillationum* testimonia, unde citata sanguinis circulatio quæ eductum ab aquis secta vena sanguinem purpureum prodit & rutilantem, qui solemnis *chalybeatorum* effectus est. Quapropter missa a mineralium facta perperam formidine curabit medicus in jubendis aquis, ut ab oscillatione febrili ferientur viscera, aut a *spastica* vibratione cessent arteriæ, ne aquarum *elateris* appulsu tacta fortiùs aut offensa quæ a febrili recens est adhuc partium *systole*, derepentè resurgat qui sub cinere doloso malè sepultus ignis erat; qui anteacti morbi revocabit tumultus aut novos dabit. Revera hujus incommoda a *thermalibus* aquis revereri non insuetum est, in tantùm omnes invaserat mentes præconcepta de *thermalium* aquarum *sulphuribus* opinio! quibus nascentes ab illarum potui sanguinis *phlogoses* imputabant, mitiùs de *acidulis* cogitantes, quas refrigerantium titulo laudabant mirabiliter: at ex æquo unum & eundem spiritum esse ostensum est, (b) unde pendet harum & illarum virtus, convenitur utrinque metuendam venire ægrotantibus *elateris* unius energiam, eoque unice dirigendam esse artis industriam, quæ illius declinet pericula vel avertat insultus.

Ex iis quæ hactenus exposita sunt, sponte fluit balneorum *ætiologia*, enimverò si frigida fuerint (c) (his enim neque carere deberet omni sua curandi suppellectili instructa medendi methodus) levamini erunt roborando partes, quarum dejectas aut vacillantes oscillationes firmando, propriam fibris tonum restituent; si calida, cutis nervos, qui supra numerum sunt a superstite *spastica* rigiditate liberando laxabunt; ultimaque *secretoriorum* oscilla referando, impeditam solvent *transpirationem*, unde ut circulationis perennitas, sic & vitæ tenor & constantia sanitatis.

CAPUT XVII.

De symptomatum *curationibus*.

PROPRIA medentis cura est morbi causarum, quas si non enucleasse ad amussim donandum aliquando erit, non intellexisse culpandum semper est;

(a) *Vid. Frider. Hofman, dissert. de acidularum & thermalium ratione.*
(b) *Vid Hofman. Ibid.*
(c) *Vid. Flogerum de abusu calid. balneorum.*

ſub hac enim in qua phyſica verſatur rerum caligine, intelligendas ambire rerum eſſentias, petulantis humanæ mentis facinus audax quidem nimiùm eſt rationes verò rerum ignoraſſe negligentes animi ſtupor aut ſupinitas. Has dicito rationes, quas utilitatis noſtræ gratia rebus inſſit Creator convenientias, id eſt, manifeſtas ſeu tactiles proprietates quibus illas vitæ noſtræ tuendæ cauſa donavit, quaſque in humanæ mentis conſpectum dari voluit, ut hominem prorogando ad mentem decretumque Creatoris vitæ ſuæ curriculo, rationes aut inſtrumenta non deficerent. Similiter de animalis œconomiæ rebus judicabis, *mechaniſmi* quo reguntur arcana ſcrutari curioſiùs caſſus animi labor eſt, ſpirituſque medentis afflictio, at medendi ſatis erunt, quas in conſpectum venire juſſit Creator, animalis œconomiæ rerum rationes, ut iis ſuccurrere poſſit; quæ rationes erunt naturæ modi, conamina, ritus, quorum ab ingenio, tendentiis & directionibus medenti venit agendi conſilium aut indicatio; ut enim a terrarum ſpiraminibus & halitibus aquarum, aeris cognoſcuntur temperies & conſtitutiones locorum, ſic ex ſymptomatum conditionibus, morbi cauſarum naturas intueri datur. Sub his exaratam tenes *ſymptomatum* medicinam, in quibus ut decet intellectis, muta medico ſe dant medendi documenta, ex quibus non ambigua ducit tuentis ſe aut dejectæ naturæ argumenta, unde agere diſcat aut quieſcere, artis enim ſæpè ſumma eſt, opportunè ceſſandi ſcientia, imò ſapientia eſt, quandiu ritè exerceri videbuntur *mechaniſmi* vires, non perverti, at ſervari naturæ jura, modi, leges; è contra ignavia erit, aut imperitia, ſi perperam otiatur, dum ultra limites & modum actæ partium potentiæ profunduntur laudabiles ſuccos, aut retinent hoſtiles. Hæc quidem alibi expoſita ſunt pleniùs, ſed acervatim & communiter, horumquè ſingula perſequi longius aut tædioſum hic videretur, ſed præcipua delibare, medicinæ typos pingere erit aut deſcribere exempla medendi.

Quotquot ſunt ſymptomata (numerum ſpectes aut ingenium) omnia pertinens ad *colliquationes*, dolores, *hæmorrhagias*, quæ ipſæmet *colliquationum* genera ſunt. *Colliquationum* titulo veniunt ſanguinis deliquia, quæ ſuccorum illius ſunt divortia, qui ſanguis cum duplici parte conſtet, vel ea quæ alba, vel altera quæ rubra eſt eliqueſcit; hinc *colliquationum* ordo duplex, albarum quæ ſanguinis partis albæ eliquatæ propagines erunt, tùm & rubrarum quæ erunt exundantis partis illius rubræ fetus: ſub illis intueri promptum eſt *catarrhos* omnis generis, qualibet parte prorumpant & quolibet colore veſtiti, fluores nempe omnes *ſeroſos*, *lymphaticos*, *pituitoſos*, *phlegmaticos*, *chyloſos*, qui vitiatæ, adulteratæ & *præcipitatæ* partis albæ ſanguinis vel eluvies ſunt, vel ſiniſtræ, inverſæ aut præpoſteræ *ſecretiones*, quæ quamvis per excretoria *lymphæ* debita fiant, ad ea vel ruunt præcipitantius & uberiùs, vel in ea ſe ingurgitant, quæ ſerum parcius eliminandum natura ſua habent aut dilutius; *tranſpirationis* impeditæ argumento quæ intùs refluens, imparata *viſcerum* aut *glandularum ſecretoria* incautè invadit, hæc autem pleniùs ſatura egurgitant, vicinaſque mergunt partes. Revera quantalibet ubertate profundi videas qualibet ex parte ſuccos, vix unquam a ruptis vaſis exſilire illos animadvertes; proventus ſunt a ſuccis ad *ſecretoria* quæ multiplicia erant ſed cæca impete confluentibus, quorum dilatatæ nimium capacitates & violati diametri tantùm eructant humoris qui tantillùm natura ſua ſudabant vaporis; qua de cauſa, qui intra pulmones v. g. rorem fundebant aut halitum cæci glandularum meatus, facto catarrhi appulſu, aut *lympharum* confluentia, *phlegmata* ſuppeditant. Imò ipſæmet *hæmorrhagiæ* non ab hiantibus alicubi vaſis ſanguinalibus prorumpunt, enimverò cum a ruptis arteriis venirent frequentiùs *hæmorrhagiæ* (ab arteriis enim *obſtructiones* prima ſumunt initia) inſanabilem aut le-

lethalem esse *hæmorrhagiarum* maximam partem consequens esset, (*d*) quod cum a veritate alienum esse evincat *hæmorrhagiarum* quotidiana curatio, alteram hanc morbi illius ætiologiam esse suadetur. Nimirùm foras excerni sanguinem necesse est, quoties a vasis, quæ unius tenoris sunt, ubique continua, intersecta nullibi, omni exitu & effugiis defecta, ad alia vasa fertur, quæ desinunt in exitus innumerabiles, vel in oscillorum millia exeunt; sed hujus sortis sunt *lymphaticæ* arteriæ, dum sanguinales curvantur ubique, nusquam dehiscentes, adeò ut vel in *lymphaticas* desinant, unde sua fiunt *glandulis secretoriæ*, aut tandem in venas recurventur. Igitur foras excerni sanguinem necessum erit, quoties intra *lymphaticas* illas *arterias* adigetur; quo pulsus illa ad *secretoriorum* oscilla, quæ *lympha* rorabant partes, in sanguinis imbrem abit, qui pro varia partium conditione singulares faciet *hæmorrhagias*.

Traditæ jam hujus *ætiologiæ* memoriam hic refricari oportuit, ut in apertum veniat in curandis *symptomatis* suscipiendum medenti consilium, quod unicè versabitur in recorrigendis *fluidorum* itineribus, *solidorum* oscillationibus reducendis, & utrorumque restituendis *directionibus*. Mille quidem sunt quibus viscera cruciant remediorum tormenta, ut hos vel illos extorqueant humorum acervos, sed illis *æthiopem lavare est*, etiamsi densas (quas sæpè medicamina faciunt) humorum saburras exhauriant, nisi suæ succis & viis redditæ sint rectitudines, a quibus sanguinis circuitui redit ordo suus, suaque functionibus & animalis œconomiæ non infida pax. Ad hanc medendi normam admetiendo sanguinis fluoribus medicinam, tutus illos compescere disces, aut in ordinem revocare; sic enim mulierum immodicos menses, mensuræ, periodis & temporibus suis reddi videbis; cujus curationis felicitas tota sita in eo est, quod nativo *arteriarum* sanguinalium alveo reddatur, qui ad *lymphaticas* excesserat sanguis, unde restituta sua sanguinis circuitui ordinatione succedit sanitas. In sanandis cæteris *colliquationibus* par successus erit, faciendo nempe, ut qui propria ad *secretoria* uberiùs confluunt succi & præcipitantiùs, aliorsum deriventur, ut ad plures partes dispertiti aggravent nullas. At cum nullum sit spatium, quo tutiùs humores retrahi possunt quam majora vasa (capaciora enim sunt) eo versus declinare succos cura erit, quod ut obtineat medicus, dabit operam, ut ille qui humores præcipitat impetus molliatur, nam sic fracta pellentis potentia, pulsi copia & velocitas minuentur, tum cessante vi quæ in *lymphaticas* arterias adigebatur, harum confident parietes, arctabunt se capacitates & diametri connivebunt, idque sibi facient *elateris* quo firment se a violatuque se tueantur. Verùm ut pulsi corporis impetus ab illis massa augetur non mediocriter, pulsorum succorum minutio impetus illorum molliendi ars erit; illud ergò remedium quod succos apprimè minuet, illud certè fuerit, quod illorum impetum molliet efficaciùs; istiusmodi autem est sanguinis missio, celeriùs enim & facilius minuit ipsum succorum fontem, sanguinem videlicet a cujus copia & mole venit succorum vis omnis, & omnis ubertas.

Itaque si ægrotantem torquet vomituritio immanis, si vexat *diarrhœa*, si *dysenteria* fatigat, eo versus præcipitantis se sanguinis impetum ferri putabis, cujus festinata affluentia stagnatæ ventriculi & intestinorum membranæ, *spasmum* contraxere, hicque fibrarum contractione sanguinis circulationi obicem ponendo in *solidis* crispaturas facit, in *fluidis* luctamina, unde *dolores*, *phlogoses*, pressuræ, *colliquationes*. His omnibus mederi cupis? vota implebunt quæ sanguinis molliunt impetum, sic enim ille delinitus solitum intra alveum ta-

(d) *Vid. Pitcarn. dissert.*

tacitus & liber præterlabitur. Iſthæc auxilia erunt quæ ſanguinis molem minuunt, ut parcimonia victus, aut juſſa ex iis diæta quæ liquida ſunt, ex animalium carnibus minùs, magis autem ex cerealibus, herbis & leguminibus parata, quæ cum in ſe condant *ſulphurum* & *elaterum* minùs, placidum magis ſanguinem faciunt; inſuper humore multo diluta, inſuccant illam minus, ſed tenuatum magis & meabilem reddunt. Hæc quidem omnia præſtare ſanguinis miſſionem publicum eſt, ſed ut ut concedendum ſit illis auxiliis ſuppleri illam non poſſe, dum urget præſentia mali, hæc illis adjuta rarioris fiet uſus & neceſſitatis. Alterum adhuc adjutorium erit in *anodynorum* medicina, eo præſtantius in ſtomachi morbis, quod ſtatim deglutita morbi ſedem illicò contigant; ampliùs, ipſas aſpiratione ſimul & contactu afficiendo fibras quæ *ſpaſmo* furiantur, confeſtim pacant tumultus ſedantque turbas. Cæterùm huic medicinæ iratum neminem teneat prætermiſſa hactenus purgantium memoria, ſic enim ad purgationem aditus parabitur facilior & aperientur viæ meliores; itaque ſi his omnibus præmiſſis feculenta vaſa videantur, lutulentiſque obſita ſuccis, purgationi ſe dabit opportunitas, *ſpaſmo* enim ſolutæ partes, quas in ſe coercebant hoſtiles ſuccorum reliquias linquent ultrò & ſponte fundent, idque ad naturæ mentem & purgationis inſtitutum, quæ morborum curationes finire quondam ſolebat, non inchoare.

Curandum ſupereſt tertium *ſymptomatum* genus, cui *dolorum* fecimus nomen, unde tam varia proindeque tam frequentia incommoda ægrotanti veniunt aut pericula. Hic enim doloris voce accipiendus eſt non ſolùm triſtis & excrucians ſenſus, cujuſmodi eſt *capitis* pulſans aut gravans, *lateris* pungens & *ventriculi* lancinans dolor, ſed inſuper moleſtia quævis arcana, inquies & anxietas, ſub quibus ſæpiſſimè laborat aut gemit univerſa ægrotantis natura. *Spaſtica* eſt hujus vel illius viſceris aut partis *diatheſis* nervéas ſtringens fibras, illarumque partium incolas ſuccos de circulatione detinens, unde artuum *ſpaſtici* dolores, laſſitudines & moleſtantes ſenſus, eò periculoſiores, quod inde ſuſpenſa *ſolidorum ſyſtaltica* vi, errare cogantur aut deviare *oſcillationes*, ſicque fatiſcente aut aberrante animalis œconomiæ potentia principe, *ſecretionum* omne negotium languet, ſegneſcitque inſita partibus medicina ſeu tuendi ſe mediea virtus, unde tota pendet & remediorum & medentis fortuna. Inquietant ergò dolor, labor, anxietudo, his miſeriis illicò ſic ſuccurrere diſces; ad *narcotica* enim citò confugere inobſervatis morborum temporibus, ſæva miſericordia eſt, quæ dantibus falſa ſit aut accipientibus intuta pax, medentis enim opprobrio vertitur & vitæ detrimento. Hæc ut declines mala, duo obſervabis, primùm an una cum morbo enaſcatur dolor, vel facto jam morbo dolor ſuccreſcat, aut adnaſcatur; ſi prius, ad *narcotica* properare nefas erit, ut pote cum periculi plenus ſit *narcoticorum* uſus, ubi adhuc plena & turgida vaſa ſunt. Neque *obſervatiunculam* dices ſancitam hanc a patribus artis legem, ad fabulas aniles hanc relegando, vel ad contemptibilis aut antiquæ virtutis artifices; rationis enim documentum hoc habeas & obſervationis monumentum, non in ſanguinem ſed in nervos exerceri vim opii *ſedativam*, quam contra obſiſtendo plenior ſanguinis moles in ſe ſorbet aut præoccupat; non ſecùs ac enim per ſpiſſiorem aerem coruſcarent obſcuriùs fulgura, denſiorem ſanguinis molem pertranſeundo levior *narcoticorum* aura intra illam intercepta fatiſcit, antequam ad nervos uſque pertingat; ni fortè in ſanguinem ipſum convertendo totam qua valent igneam vim, *phlegmonodem* ipſius augeant *diatheſin*, unde *inflammatoria ſtaſis*, quæ ſomni loco *lethargum* accerſit, aut immedicabilem *veternum*. Itaque una cum morbo naſcenti acerbo dolori ut occurras citiùs, reſecandæ *fluidorum* moli confeſtim ſtudebis, ut hinc facta fibris

mol-

mollitie *solida* oscillent remissiùs, sicque fiant tantò placabilia magis, quantò magis ab ascititia rigiditate sua desciverint, aut morbida *elasticitate*, quibus artibus curata *systaltica* vis, *narcoticorum* energiis non infrequenter carere poterit unis morem gerens *anodynorum*, *mulcentium*, diluentium blanditiis, quorum quæ intra sanguinem manant molliuscula, hebetes & ignavæ particulæ, arteriarum obtundunt ictus & vibrationes molliunt. Interea si ægrotanti optata quies redire recusabit, illicò succedet ex *narcoticis* opportunitas, quæ tutiùs, faciliùs & parciori dosi operabuntur. De *topicis*, quibus foveri dolentes partes moris est, idem observabis, quæ præterita vasorum depletione admoveri, irritum esse non solùm experti sunt artis magistri, sed insuper periculi plenum & incommodi, dum enim vasa turgent, turgendoque rigent, a tensis ultra modum arteriarum tunicis laxamentum frustra expectabis, unde sit dolori levamen.

Frequentissimum symptoma *sudor* est, quod in medendo peritum artificem postulat, stupendum enim quos & quot ludere soleat, quantùmque hic erretur! de sudoribus, quibuscum enascuntur morbi, convertit inter sapientes, plenitudinis testes esse aut argumenta *malignitatis*, morbi ergò non naturæ artes, unde spei parùm & imitamenti nihil. Interim *montes* hinc & *maria* sibi pollicentur ex præjudicio vulgi non ex observatione rerum medicastri, quasi ex profusis sudoribus suspicari fas esset, soluta esse omnia salutis repagula, unde ab evacuando sanguine abstinendum prædicant, de sudorum rivulis unicè solliciti, hancque ob rem invocando omnem *sudoriferorum* opem, ut pote quibus solis mandari volunt, comittique omnem sanandi curam. Interim sudor ineunte morbo, gementis naturæ ploratus est, cui obsecundare labori illius aut pœnæ connivere est aut assentiri; sed ex præmaturis ejusmodi sudationibus, *plethoræ* vasorum duces argumentum, hinque stagnati sanguinis *lymphæ* quoquoversùm exundantis, quod ut avertas, impensiùs refrigerari sanguinem nusquam committes, iis indulgendo remediis, quæ sanguinem inspissando, in segnitiem præcipitarent, sed media, (quam tenuere beati) incedendo via, *diapnoicam diætam* eliges, ex diluentibus ea usurpando, quæ sanguinis partibus vehicula præbebunt & vincula, succos nempe qui solitas *secretiones* promoveant, spurias non sufficiant, sicque hujus prævertant *colliquationes*. Hæc exhibebunt auxilia ex aquis stillatitiis *julepi*, ex *pulveribus misturæ*, aquati ex herbarum foliis succi, ex illarum floribus infusa; quæ inter omnia si eligere noveris *papaverina*, aut quæ hujusmodi erunt ingenii, meliorem hujus medicinæ partem fueris assecutus. Interea si illius sortis futurum esse morbum subolfeceris, cujus enascitura proximè *symptomata*, inflammationes datura sunt aut *apostases*, quibus missione sanguinis anteire ostenderit usus, ab illo auxilio avertet te nusquam sudationis præmaturæ status, ut pote eum resorptus hac arte sudor in tantùm ægroti noxæ non est aut detrimento, ut e contra levata natura, quas meditabatur *excretiones* felicius absolvat; ducto a *variolis* exemplo, sub quibus proclives ut ut sint ægroti in sudores, tam prosperè cedit sanguinis missio, ut quæ tardare videbantur aut abortire, festinantiùs erumpant & uberiùs. Verum ut sudationum vitio in gravissima *symptomata* faceſſere solent *variolæ*, quæ in crises natæ erant, hoc quoque *symptomatum* genus hujus loci erit, eò magis, quod nullum sit quod frequentius sudationis specie ludat incautos. *Variolæ* corporis habitus morbus est, eò enim versus vergit omnis ebullientis in pustulas sanguinis impetus, universalis *solidorum* pressuræ vis est in omnia cutis spiracula, quæ cum de *secretoriorum lymphaticorum* genere, aut familia sint *lymphaticum* quo natura sua turgent *serum* ut primum vellicata eructant, haeque in *excretione* conquiescendo medentium

plu-

plurimi, in educendo ſero locant operæ ſuæ felicitatem, confiſi in eo poni *variolosæ criſis* eſſentiam. Hinc error, ad ſerum enim evacuandum toti ſe accingentes, ad cutem illud omne trahunt, unde duplicis fons mali, ſic enim ſero ſanguis exutus & vehiculo tardeſcit, lenteſcendo *ſtaſes* mille committit, quam que a flamma arcebatur aqua ſpoliatus, ſævit acrius & accenditur; inſuper dum ſudoriferorum ignibus torquetur ſanguis, vel ſeri loco *colipilarum* more in flatus fervidos efflatur, qui pro puſtulis bullas dant inanes, ſuccovè caſſas, ni fortè ea ſeri copia exuberet quæ ad cutem elicita, pro ſucculentis & lacteſcentibus puſtulis, limpidas proferat, ſeroſas & *veſiculares*, quæ cum coctionis omnis incapaces ſint, cutem malignè depaſcuntur, *negroſi*que perdunt. Interim interrupta pendet quæ imminebat *varioloſæ* materiæ eruptio, illa videlicet portio ſanguinis quæ in puſtulas ceſſura erat, qua de cauſa impuratus, hærenſque ſanguis, huc illuc *ſtaſes*, *phlogoſes* & *ataxias* inducit, unde *febres*, *deliria*, *hæmorrhagiæ*, *dyſenteriæ*, *ſpaſmi*, *tendinum ſubſultus*, &c. .... at ecce increbeſcit novitia methodus in *egemonicis* duobus poſita præſidiis, quibus *variolarum immiuentium* curationi præludendo, iſthæc & cætera pejoris notæ *ſymptomata*, verbo omnem illarum malitiam in ovo præfocari audenter affirmant. Ex his præſidiis alterum eſt miſſio ſanguinis è pede, alterum *tartari ſtibiati* uſurpatio, quorum præſtantiam uſque dum confirmaverit longior & felicior uſus, hæc jam incertant non mediocriter. Diſcrimen eſt febrem inter quæ *variolis* propria eſt, & alteram qualis erit continua aut ardens, quod ſub illa totus fermè ſanguis in *ſtaſibus* hæreat aut *apoſtaſibus*, puſtulis nempe quæ univerſam cutem occupant, cum apoſtemata vera illæ ſint circà quæ ſtagnatus a pupblico circulationis orbe deflexit; ſub febre verò continua vulgari, tota ſanguinis moles majora per vaſa rapidiùs acta, per viſcera currit, & ad cerebrum liberè rapitur. Porrò raptum impetu non interrupto ſanguinem ad cerebrum inciſa ſaphena ad inferas partes revocari poſſe edocent viarum libertas, rectitudo, proclivitas, ſicque quæ imminet aut urget *phrenitidem* præverti poſſe aut levari; ſed de *delirio a variolis* imminente ſecùs eſt, hoc enim ab impetu ſanguinis ad cerebrum venit minùs, quam ab illius *ſtaſi*, quæ in *cerebro* non ſecùs ac in omnibus corporis *peripheriæ* punctis facta eſt, unde hærens impedituſque ſanguis revelli nequit; hic enim, illic interrupta ſanguinis a pede ad cerebrum columna, *determinationi*, quæ ab incilura *ſaphenæ* ſuſcipitur nequit obſecundare: unde liquet (confirmante uſu) præſidii aut levaminis plus expectandum eſſe ineuntibus *variolis*, ab inciſa brachii quam pedis vena, illa enim cum a centro corporis ſanguinem æqualiter evocet, omnes corporis partes juvat æqualiter. Eſt interim etiam ſub *variolis* ſuus *ſaphenæ* inciſioni locus non ommittendus, ubi ſcilicet tanta ſubeſt ſanguinis copia, ut ſuſpicio ſit non levis in puſtulas non totam ſic illam inſumptam fuiſſe, quin inſimul formandæ par ſit adhuc illius ſuccorum columnæ, quæ cerebrum verſus impetuoſe vibrabitur, in quod arietando, contendendovè quaſſabit ſic illud concutietvè, ut *delirium* accerſat, vel *phrenitidem*, quo in caſu tuſa *ſaphena* laudabitur, ut pote quæ dum ſanguinem ad cerebrum exuberantem deprimit, de puſtularum pabulo minuit nihil.

Hæc quæ non contemnenda ſunt pericula minatur *ſaphenæ* inciſio, graviora tamen ſunt adhuc quæ inducit ineuntibus *variolis tartari ſtibiati* uſus, quod quo ſua natura & inſtituto valentius, eò intutum magis præſidium eſt. Vomitum enim movet, quod eam operationem edere eſt, quæ a corporis habitu ad centrum ſanguinem evocat, at ab *variolis* in eo tota natura eſt, ut humores a centro corporis ad habitum expellat; palam ergò fit remedium non dari, quod ſub hoc morbo naturæ votis adverſetur magis, dato nempe nullo, quod natu-

ram

ram habeat magis repugnantem : posthac igitur quod suo sub egressu cespitent *variolæ*, quod a naturæ viis, temporibus, periodis, moribus recedant, aliane de causa erit, quam quod *adverso* (ut ajunt) flumine enatare velint, aut invita minerva prodesse? ad hæc *tartari stibiati* usum suadetnè *phlegmonodes* morbus quem committit magis sanguinis quam humorum luxuries aut error, cujus fomes in habitu corporis non in primis viis est? talem affectum stimulantibus & *colliquativis* medicaminibus urgere, tormenta adhiberenè erit aut remedium? saltem tam earum primis viis propria est *variolarum* causa, ut harum elangueat *eruptio*, quandiù ad stomachum illa causa deflectens vomitiones assiduas, alvi fluxum aut *dysenteriam* excitat, silentibus è contra omnibus his *symptomatis*, statim atque illa ad corporis habitum pulsa, turmatim & plenè variolæ erumpunt.

Itaque valere jussa novitia hac variolis medendi methodo, altera supplebitur quæ temporis & usus filia est, quamque rationi consonam esse ostendit non incerta *animalis œconomiæ* ratio; non autem alia hæc est quam diligens medici cura in asserendis naturæ legibus & consiliis, servandisque *secretionum* ingeniis, succorum *directionibus*, omnium temporibus, mensuris & conditionibus. Curæ illius caput erit diligentia non levis in concedendo ad cutem exitu ei succorum portioni, quam *eruptioni* natura damnavit, utrinque cavendo ne aut intrò retineatur tantillum materiæ illius quæ foras eliminari debet, aut ne destinatum exterminandæ illius materiæ demensum ultra modum naturæ crescat; sic enim se habet materiæ variolarum conditio, ut pullulet facillimè, adeò ut iis tractata remediis, quæ *evehendis exaltandisque* sanguinis partibus, hoc est tenuandis illius succis apta nata sunt immense possit multiplicari, eo infelici successu ut quæ relicta naturæ manibus in *discretum genus* erupisset, ignifluis & ustulantibus acta medicamentis in *confluentium genus* derepentè transeat, Aliud medentis munus erit assiduè invigilandi succorum excernendorum *directionibus*, faciendo non tantùm ut illud succi excernatur genus quod excernendum natura suscipit, at insuper ut illud succi genus excretionis suæ metam & locum attingat; laborabit ergò assiduus in educendo sic a centro ad habitum illo succo qui erumpendus est, tramite tam continuo; ut inter eundum non cespitet in hæc vel illa viscera declinando, in quibus hæc vel illa movet *symptomata*, vomitiones v. g. *diarrhœas*, *dysenterias*, *hæmorrhagias*, *deliria*, *lethargos*, quæ singula singulares in hoc vel illo viscere *stases* arguunt; deviationis adhuc gravioris argumentum erit *tendinum subsultus*, ad nervorum enim arcanos aditus deviasse *variolarum* succum indicium est. Hæc omnia ut prævertat medicus pericula, hinc a *fluidis* tumultum arcebit, illinc in *solidis eutoniam* stabiliet; quæ ut obtineat, eluxuriantium arborum exemplo quas putari convenit, exundare periclitantem sanguinem resecari oportet, ut sic facto sanguini majori loco; pleniùs circulet & liberiùs, suoque alveo contineatur, & ad sua *secretionis* loca recta tendat, quod sanguinis missionis beneficium erit. Id autem opus adjuvabit perficietvè medicus enitendo ut ad suum a quo *solida* descivere *tonum* se recipiant, quod locorum pronitates, & humorum *tendentias* reparare est: porrò *toni* partium vitia emendat nihil tam citò, tam jucundè, tam tuto quam *anodynorum* inprimis *papaverinorum* usus, unde fracta fibrarum *elateris* morbida nimietate, rigere cessant, a *spasmo* liberantur, sicque ad suas se recipiunt *directiones*. Reipsa norunt qui artifices sunt, quam stupendos simul & felices dent *papaverina* succus sub *variolarum* curatione, quibus quod febribus præstat *cortex Peruvianus*, hoc ipsum afferre *papaverina* fermè assereres; licet enim *variolas* tam celeriter non expediant, tam faustus esse solet, quo *variolas* ducunt exitus, ut *specifici* titulo fermè glo-

riarentur, ut pote cum quæ graviora sunt *variolarum* symptomata sanent singulariter. Enimverò si tumultum sanguinis compescendum, si comprimendam alvum, si stomachum placandum, si sedandum delirium, si *spasmos* tendinum sanandos habes, singula hæc exsequuntur *papaverina*. Si *hæmorrhagia* urget, si deest *ptyalismus*, aut maturiùs declinat, decumente maturiùs facie, nec succedente manuum pedumvè tumore, his quoque *papaverina* remedio erunt horum enim opera fit, ut aut prodeat *ptyalismus*, aut solito longiùs protrahatur; sin minùs declinanti *ptyalismo* succedit primo manuum, tum pedum tumor quod inducierum genus est, nam interea dum sic redundantibus succis fit hospitium, pure albent pustulæ, defervet sanguis, vincitur tandem morbus & natura vincit. Cæterum *papaverina cortici Peruviano* comparasse, injuriæ non tantùm habet aut iniquitatis, in eo enim ambo conveniunt, quod iterato exhiberi postulent, ut succedant constantius, adeò ut medenti minùs erit *papaverinorum* usu prima præoccupasse *variolarum* erumpentium tempora, ni illorum doses exiguas plus minùs frequentiores pro morbi *malignitate* iterare noverit, ea interdùm audentia, ut etiam quinta quaque hora juberes eas non vereatur. Revera a *narcoticis* metuet minùs, qui noverit nihil esse, unde tantùm juvetur *diaphoresis & diaphoreticorum* virtus, undè intelligere promptum est de *cardiacorum* genere *narcotica* esse, eorum proinde de familia remediorum quæ in curandis *variolis specifica* fermè audiunt; idoneaque maximè quæ *cardiacis mixturis* admisceantur, *volatilibus* enim, actuosis & *aromaticis* particulis turgent, id est, *oleoso volatili spiritu*, quarum opera suis a *stasibus* sanguis sese expediet. Fortè metues ne accessione sanguis incandescat, undè facto febris augmento, non mediocre variolis fieret periculum, sed huic incommodo anteibis, *acidulando narcotica*, quod *papaverinis acida* admiscere est, quæ ex *citreis*, limoniis malis mutuaberis, ex his enim parati *syrupi*, præterquam quod cardiaci habentur, suis ab *acidis* habent, unde *narcoticorum volatilia* infringant & moderentur, dum ab iisdem *volatilibus* accipiunt, unde a figendo sanguine se contineant: felices copulæ sunt & amica rerum connubia, quæ suas sociando vires sanguinis alunt motum, non exasperant, circulationem promovent non dimovent, hocque *diaphoresin* movere est, quam adjuvabis additis iis *absorbentibus* quæ mulcendo sedant, quæque non vitiaverit sanguis. Hanc *diapnoicam diathesin* sanguini plenam asserit *diluentium* liberalis usus, facta nempè potus alicujus idonei copia, unde suus *ptyalismo* tenor & cursus comparatur, sanguinique tepor qui ad *transpirationem* invitatio est; aliud tamen adhuc a potu calente liberali venit *variolis* beneficium, maximè intervenerit *narcoticorum* usus, sub hoc enim morbo, ubi ab imo corporis centro ad ultimum corporis habitum ducendi sunt humores, immense ductilem esse sanginem oportet; sed id a potulentis facilè expectabis, quæ sanguinem diluendo pandunt, dilatant, protendunt, & ad remotiores corporis limites producunt.

CAPUT XVIII.

De instituenda medendi ratione pro vario, quod morbi ab ætatibus, sexu, vitæ genere, partium situ, natura sibi fecerint ingenio.

FUerit infans aut senex, vir aut femina, nupta innuptave, quos teneat febris; hoc vel illud sit viscus quod obsidet inflammatio, servus aut princeps quem affligit morbus, ejusdem tituli morbus erit, diversi autem ingenii; vultus exemplo, cujus eadem lineamenta eadem repræsentando partes, diversas exprimunt similitudines; non ideò tamen quod causæ *conjunctæ* variæ sint, ubique enim *stases* erunt, *spasmi*, perversæ *oscillationes*, *fluidorum* tarditates, moræ, spissitudines, *solidorum ataxiæ*, *crispationes*, *anomaliæ*; at ut modus est in rebus, horum etiam omnium multiplices modi sunt, ad quos suam modulabitur medicus curandi rationem. Nihilominùs tamen innui hic putaverit nemo singulares *idiosyncrasias*, de quibus prodigia observantur, ut ut enim frequentes se prodant maximè in feminis, quarum morbi *prothei* sæpè sunt, ideòque medenti non aspernabiles, infrequentiæ erunt præ quotidiano & communi dissimilitudinum numero, quas in dies medico offerunt vulgares quique morbi. Infans namque & senex eodem genere morbi laborent, tantùm in utroque differre morbum illum necesse est, quantùm videlicet sanguis infantis a sanguine senis; insuper quantùm partes quas alit recens sanguis a partibus quas fovet sanguis exsuccus. Sed hinc secum conferet medicus, quàm diversus erit morbus quem committit sanguis recens ab eo quem facit sanguis edentulus, augurabitur enim alium esse in hoc quàm in illo *elaterem*, tum diversas esse in utroque partium *fluidarum* simul & *solidarum* energias, quibuscum illi in medendo res erit. Itaque si in infante sanguinem mittendum habeat, intelliget mustulentum esse succum, tantum *elateribus* fetum, quantum est quod pandendo se replere potest spatium, hoc autem immensum est, comparando eas quas occupat in infante capacitates, cum iis quas in sene repleturus erit; palam ergò fiet quantus sit virium fundus vel in ipso nascente sanguine, in quo conditum habes quidquid insumetur virtutis ampliandæ corporis moli. Sed quod naturæ prodigium est, tantæ cum sit capax energiæ hic succus, non turbulentus, non æstuans, non tumultuarius, sed mitis, benignus, lacteus & mollis, tantùm potentiæ lento & viscoso tegmine condit, sequaci tamen, eam nempè sensim suisque temporibus enixurus. Itaque quidquid *elateris*, molis, & corporaturæ sumunt augescendo *solidæ* partes, succi illius fructus aut feturæ sunt, unde suspicaberis quæ hinc in infante *solidis* partibus fiet indoles aut conditio, quas teneras maximè & flexibiles futuras intelliges & *elasticas*. At inquies quò hæc omnia ad medendi rationem? eò primùm, ut in apertum veniat ratio propter quam infantibus necessaria esse potest sanguinis missio, toti enim turgent succo spiritibus & *elateribus* pleno, qui ut œconomiæ corporis incommodare potis est, corporis quoque viribus sustentandis abundè par est; secundo causam hic habes ob quam infantes *catarsin* (a) facilè ferunt, habet enim ille succus lentus ut est & viscosus, unde a *colliquati-*

(a) *Vid. Harris, de Infant. morbis.*

va cathartici virtute ſe tueatur, tum & quæ hinc aleſcunt *ſolidæ* partes ut molles ſunt, *cathartici* ſpicula minùs ſentiunt, & *erethiſmo* obſurdeſcunt magis. Inſuper obſcurum hinc non eſt, quare *abſorbentium* vires tam patienter ferant infantes, hument enim undique, proindè habentes, unde ingenitum illorum ſorbendi appetitum expleant: imò poſtulant non infrequenter partium infantis mollities & flexibilitas eorum medicaminum uſum quæ ſiccitatis habent non parùm, ut tonum ſuum illæ forment, firment & tueantur. Igitur qua ratione tam utiliter ſerviunt infantium morbis *rhabarbarina*, quæ illis veluti ſpecifica habentur, ſiccantia licet ſint & aſtringentia, altera non abſimili *abſorbentia* iis proficiunt, roboris enim & firmitudinis tantùm inducendo fibris quantùm illis addunt ponderis & gravitatis, illas ab *atonia* præſervant, *atoniæ* aut laxitati patere infantium fibras oſtendit ſpuria illa *hydropis* ſpecies, qua tam fæpe, dum febre ardent, tumet univerſum infantium corpus, id enim *ſymptoma* non aliunde venit, quàm hinc ab aucto ultrà modum fibræ ſanguinis *elatere*, illinc dilatatis nimium vaſorum *diametris*, ſic enim a pandentis ſe ſanguinis vi depulſis a *tono* fibris laxantur partes, æſtuantiſque *lymphæ* impulſui cedentes locum tumere coguntur. Hanc in infantium fibris laxandi ſe propenſionem ſuaderet non aſpernabilis a *narcoticis* metus (quem ſub infantium morbis medentium animis incuſſerunt medendi magiſtri) ſi revera comperta erat de *narcoticorum* frigiditate vulgata opinio, ſed hanc exuit nec immeritò medicina recens, quæ infantibus *narcotica* quoque novit exhibere, non incomitata tamen, ſed iis ſociata, conditavè quæ aliunde *cardiaca* audiunt, quæque roborantibus, aromaticis & aſtringentibus ſociata ſunt & adunata. ut fibrarum tonum firmando, *oſcillationes* earum a ſegnitie ſervent, ad quam inclinant in infantibus partes tardigrada *lympha* imbutæ ſemper; iſtiuſmodi eſt *theriaca*, cujus unicum granum infantulorum enormes *diarrhœas* compeſcit. Adhuc alterum eſt, unde fermè erueres iſtam in nervis laxandi ſe facultatem, *rachitis* nempè, incomperta illa medicinæ patribus infantium lues, ſub qua diſtortas videndo plures illorum partes, laxitati fibrarum imputares id morbi genus; ſed ſi obſervaveris pelliceum & *pleuriticum* ſanguinem mitti ſub hoc morbo; laſſitudinis & dolorum multiplices eſſe ſenſus quibus torquentur miſelli illi infantes? in his ut plurimùm ætatem præoccupare judicium (*rachitidis* enim comes non infrequens eſt maturitas judicii aut mentis ſagacitas) ſi addas quanto illis levamini eſſe ſoleat miſſio ſanguinis, quanto emolumento *narcotica*, *nitrata*, *opii*que ipſius uſus, quantovè damno *cathartica*; denique ſi attenderis ut pulſus in *rachiticis* celer, durus & *phlegmonodes* ſæpè eſt, ut ſemper illorum arcuantur oſſa, in illorum ſanguine ſpiritus & ardoris ſubeſſe multùm, in fibriſque eorum multùm ſicci, duri & *ſpaſtici*, hincque in curando illo morbo peccari quantùm poſſit facilè intelliges; neque poſthàc concedes difficiliùs, vix ullum dari morbi genus quod non committat aut alat *ſpaſtica diatheſis*, quandoquidem hæc faciat foveatvè morbos infantium, in quibus ſanguinis temperies & corporis conditio in humido & molli totæ poſitæ ſunt.

E contrà in ſicco poſita ſunt ſenum corpora, unde liquet ſenem totum eſſe ſua a natura morbum, ut potè qui totus in *ſpaſtica diatheſi* conſiſtat. Indicio forent aut argumento ætati illi familiares rugæ, quæ fibrarum corrugationes ſunt, aut *criſpaturæ*, hæ autem continui *ſpaſmi* effectus, unde ſequitur jugem eſſe morbum ſenis vitam, ni dicere malis aſſiduam morbi cauſam, quæ omnia infert ſenectutis incommoda, quæ ad rei veritatem expenſa ſtringentium ſe fibrarum, *ſecretoriorum* proindè fructus ſunt. Itaque a frigeſcentibus, humeſcentibuſvè partibus aut frigerato ſanguine deducere ſeniles morbos allucina-

cinatio est, sed quod rebus malleolo tusis diutiùs evenit quæ sensim densantur, tandemque durescunt, hoc ipsum corporis humani partibus accidit, cum enim statim ab utero oscillare incipiunt, tunduntur assiduè, longioriſque vitæ tractu densantur, deperditaque fibrarum suarum nativa mollitie in oscillando segnescunt; inde *fluxionum*, *catarrhorum*, *rheumatismorum* origines. Verùm cum nullibi tam frequentia sint quàm in cute *secretoria*, illic quoque stagnatorum succorum frequentiora se stant indicia, multiplices nempe expressi seri, vel tardatæ *lymphæ* sudationes, unde senum pruritus importuni, scabies ferina, serpens *herpes*, quæ omnia si *topicis* comprimere tentes, in *asthmata*, *apoplexias*, similesvè truces affectus, senes præcipitant. Sed silentio prætereundum non est suffocationis in senibus genus insolens, quod nec *spasmum* referes, nec ad humorum vitium aut cumulum, sed ad eduram, *ossiformemque* arteriarum *diathesin*, inductam nempè harum fibris siccitatem, unde labefactata *systaltica* aut pressoria vi cessat illarum *elater* aut languet admodum, hincque sanguis urgeri cessans in arteriis, in circulando moratur in pulmonibus. Hujusmodi suffocationi *bechica*, *diaphoretica*, *cardiaca* periculose adhibebis aut frustrà, sanguini enim in pulmones ingurgitanti se stimulos addere erit, cassumque fluidis ad *solida* impetum facere, quæ ut potè nativi *elateris* sui maxima parte defraudata oscillare recusant, fluidorumque impulsibus & invitamentis obsurdescunt: igitur cum ejusmodi sanguinis *stasin* medicaminibus ullis resolvere nequeat medentis industria, *fluidorum* copiam minuere superest, quæ ad pulmones minori mole appellendo, illos ab ingurgitatione tueatur; missi autem sanguinis opera hæc erat, qua exinanitis centri corporis maximis vasis, illuc a pulmonibus refluere sanguinem necesse est.

Sed hinc se prodit ratio ob quam senibus sanguinem mitti decet & profi cuum observatur, senescendo enim partes *elatere* minuuntur, quæ ne sanguinis moli circumagendæ impares sint, labori illarum sic parcere oportebit. Intereà nec sola, nec optima ratio hæc est senibus sanguinis mittendi, alteram suggerit sanguinis quem necessariò cumulant senes exuberantia; in his enim evidentes sunt *vasorum consistentiæ*, seu minutæ a siccitate & coarctatione capacitates vasorum non solùm, sed & membranarum quæ *secretoriorum* oscilla comprimendo, *secretiones* minuunt, insensilem *transpirationem* inprimis, quæ cum omnium uberrima esse consuevit, enormem si comprimatur succorum copiam intra vasa cumulabit. Hic autem est senii status, sub quo minutam adeò vides *transpirationem*, ut (quod de impedita *transpiratione* vulgare est) parcimoniæ illius pœnas luere soleat *vesica*, unde non secus ac ab impedita *transpiratione* crescere solet urinæ fluxus, a minuta illa in senibus succedere vides urinarum aut vesicæ vitia, *dysurias*, *strangurias*, *calculum*, *ischurias*, ingrata sed propria senectutis pignota. Nec aliunde derivandi fontes mucorum illorum, seri & humorum quibus sordent ex senibus non pauci, exuberantium enim succorum eliquamina sunt, quæ siccescendo, constringendoque se eructant *secretoriorum* oscilla; unde patet quàm gravis sit error in quo versatur non rara medentium gens, qui circà senum mucos, *lymphas* & cruditates occupati, eliciendis senum humoribus studeant unicè, siccandis proindè partibus quarum omne vitium in sicco est, unde senilium morborum augendo causas, insanabilibus morbis addicunt senes. Simile peccatum eorum est qui obviis quibuslibet senum morbis vinum obtrudunt, præclaro senum lactis titulo quo vinum decorant, dum interim totum urit & siccitate pollet: hinc vulgaris medicinæ senum error triplex, in mittendo sanguine parca est, in siccando audax, in purgando præceps. In castigandis his medendi intentionibus laborabit, qui in curandis senum morbis laudis plus & felicitatis assequi voluerit: faciet

primùm

primùm ut emendetur inſtituta vulgò ex calidis, ſiccantibus, aromaticis, vinoſiſque ſenum diæta, ea illis temperando alimenta, quæ ab ea longiùs non ſint indole, quam corporibus noſtris inſevit Creator, quam cum in molli, humido & flexibili omnem poni voluerit, non diſſimilis eſſe conditionis & ingenii curabit quæ concedet ſenibus eſculenta. Hæc inter ea prohibebit quæ plùs habent ſpiritus & ſaporis quàm ſucci, ut potè cum talia macra ſæpe ſint aut ſicca, ideòque aliena a flexibilitate illa quæ partium elateri ceu *ſyſtalticæ* vi alendæ vel reparandæ apta creata ſunt. De alimentorum qualitate illa monita ſint, hæc autem de quantitate, quæ parva erit; ſic anteeundo inutilibus alimentorum reliquiis, quæ cum per *traſpirationem*, quæ in ſenibus perit in dies foràs excerni non poſſint, in inutiles ſuccos, & morborum ſeminia faceſſunt; revera hinc fit ſanguini pondus, illiuſque circulationi naſcuntur *reſiſtentiæ*, quæ innumeras dant *ſtaſes*, unde ſenum invaletudines tam multæ, ſed eò plures, quòd ſub his *ſtagnationibus* lenteſcentem ſanguinem in aciditates & ſalſedines mille verti contingat, quæ ſenilium morborum altrices & pabula ſunt. Hæc tam multa mala antevertit victus parcimonia, quæ ſufficiendo alimentorum, non quantum terere poteſt aut concoquere ſtomachus, ſed ſolummodò quantùm diſtribui debet per univerſum corpus, quantùmque ſingulis partibus apponi indigetur, efficit ut a reſidibus ſuccis liberæ partes ſatis adhuc ſuperſtitis ſibi ſervent *elateris*, quo & ſanguinis circulationem abſolvant, & a ſupervacaneis humorum ſuperamentis ſe præſervent.

His omnibus non obſtantibus ſi in morbum incidat ſenex, illius vires non ætatem explorabit medicus, ea adhibiturus remedia quæ neceſſitas morbi poſtulabit, aut ſymptomatum gravitas. Cavebit inprimis ne ſit in ſanguine mittendo puſillanimis, in purgando temerarius, utrinque providendo ne malè parcat ſenum ſanguini, nevè ſuccorum neceſſarium fundum profundat, maximè cum quanto hic ſiccefcendo decreſcat tantò ille creſcat ſeneſcendo, quod ut ut ſuperare fidem videretur, effutitum temerè ſolus putaverit corporis œconomiæ ineruditus. Tabis enim ſpeciem eſſe ſenectutem oſtendit partium ſeneſcentium ſiccitas, quam infert vaſorum conſidentia, ſeu tubulorum quibus conſtant carnes preſſus aut coarctatio; ſed pleni illi tubuli ſuccis, qui horum comprimentibus ſe parietibus expreſſi, eò versùs aufugient, ubi reſiſtentiæ ſentient minùs; versusnè erit cutis effugia? at hæc ſub ſenectute comprimi modò oſtenſum eſt, unicum ergò iis ad cor & majora vaſa ſupereſt per circulationis ſemitas iter, quò confluendo ſanguinis denſabunt fluentum. Poſthàc providæ tenes naturæ conſilia, in denſa pingui & ſuccoſa partium textura & habitudine, quam ad illarum decorem compoſitam unicè credunt, interim quæ in illis intueris veſiculæ & utriculi, conditoria ſunt, apothecæ & loculamenta in quibus recondi voluit ſuccos, qui futuras ſanguinis jacturas ſarcirent, quos ſi vaſculis ſummè longis contineri memineris, quorum ductu ad ſanguinem circulando remeant, typum tenes aut ſpeciem ſuſi vitæ fomitibus aſſiduis imprægnati, qui tremula & molli partium oſcillatione ad majora vaſa devolvuntur. Itaque virium theſauros ſolo in ſanguine poni cogitare ceſſabis, hoc enim vitæ avulſo non deficit alter, ſuccus nempè ille ſubſidiarius, carnium tubulis conditus, qui ſanguinis elapſi locum occupat & officium. Poſthàc anxium te nimiùm non tenebit factum aliquando ad libras aliquot ſanguinis diſpendium, illam enim levabit ſollicitudinem ſanguinis majorum vaſorum ad ſuccos minimorum inſtituta comparatio, quæ cum oſtendat triplo & ampliùs majorem eſſe horum quàm ſanguinis copiam, evincitur in minimis carnium vaſis recondi eam ſuccorum annonam, cujus una tertia pars vel reſtituendæ toti (ſi unquam periret) ſanguinis maſſæ ſufficeret.

Ex

Ex hac eadem computatione sequitur, quantò major fiat inter senescendum sanguinis copia, quantò nempe decrescat transpiratio, cujus defectu factus ad sanguinem succorum a cute repulsorum confluxus, auctarii in sanguine facti mensura est, unde ferè concluderes, sanguinis fluentum in sene, qui lautè epulabitur, crescere magis quàm in juvene, ea de causa, quòd dum æqualiter cum sene repletur; depleatur inæqualiter. Huic asserto fidem facit medendi usus, quo comperta est tanta missi in senibus sanguinis utilitas, ut prosper illius præsidii adhibiti eventus, argumento sit ab illo omisso manare tam crebra medicinæ senum infortunia.

Hæc cum vera sint, *mechanismi* effectus est senectus, seu mechanica corporis necessitas, quemadmodùm enim corpus adolescit, dum prima illius stamina evolvendo se sensim & exporrigendo ad debitum sibi extensionis gradum pervenerint, in quo consistit naturalis partium *tonus* & vitæ tenor, eo temporis puncto senescit, quo ab illo gradu desciscendo tensæ partes retendi incipiunt, *elateris* exemplo qui ad suum gradum protensus sponte remittitur. Igitur in curandis senum morbis, ad *solidorum* conditionem singulariter medenti attendendum erit; cavendone *solidorum* remissionis nomine, *atoniam* interpretetur, a qua seniles morbos induci concluderet; hic enim remittendo se *solida* se contrahant, unde pressus & coarctatio, quæ angustando vasorum capacitates, sanguinis circuitum tardant & cursum, sub quibus angustiis gemendo senum sanguis, hàc illàc catarrhos sudat, in varios exprimitur succos, colliquaturque multipliciter.

Indenè inferes purgationi debere exterminandos tam multos humores? ab hac discipula se tuebitur qui observaverit, quanto humidi & mollis dispendio fiat *solidorum* illa laxatio, in se enim redeundo fibræ, textumque densando, quo humere amant roscidum succum a se excludunt, hinc stipatio, siccitas, rigiditas; isthæcnè cum *purgantium* stimulis benè conveniunt? vellicarinè *spasmodicè* sustinebunt imperturbatæ quæ sic affectæ sunt partes? insuper sub hac stipatione partium & siccitate suis a *secretoriis* abalienantur humores, qui a densatis partibus intrà vasa expressi, ad alias quàm ad purgationis vias inclinantur, nam unà cum sanguine remixti, hujus sortiuntur evacuandi rationes & vias: & revera eliminandis iis utiliorem præ venæsectione nullam probavit aut invenit usus. Non ideò tamen quasi purgationi repudium dicat senum medicina, sed ut laudem, locum quoque illi dabit, aliena tantùm ab illorum instituto quos tenet purgandi pruritus aut ritus, qui seniles affectus in crudis vel frigeratis humoribus fundatos existimantes, insanabiles illos pronuntiant, quos exasperavit non expedivit saltem purgationis incessabilis usus.

CAPUT XIX.

In iisdem pergitur.

A Senili ætate mutuaberis rationem textus partium, ad quam medicus suas dirigendas habet indicationes, cum enim summa sit morborum moderatrix *solidorum* vis aut *systaltica* virtus, singularis conditionis erit partium textura, quæ pro vario flexibilitatis gradu vividiùs oscillant aut remissiùs, unde sanguinis circuitus tarditas aut facilitas, æqualitas aut perversio, *secretionum* libertas, *excretionum* redintegratio, *coctionum*, *depurationum* & *judicationum* complementum. Sic in morbis senum, ubi a fibrarum flexibilita-

re

te deflexerunt partes, tardantes ſunt humorum *coctiones*, hacque de cauſa in medicaminum uſurpatione lentè feſtinandum eſſe ſibi intelliget medicus, maximè cum minùs ſequacem habeat naturam, ſeu partium *ſyſtalticam* vim, quæ rigentes fibras agitando difficiliùs, in terendo ſegneſcit, digerit lentè, tardè *ſecernit*. At ſenilium morborum exemplo judicabis de morborum quorumlibet ingenio, qui nervoſas & *membraneas* partes occupant, ſic enim ſe habent ſub ſenili ætate corporis reſiccatæ partes, ut textus ratione membranas aut nervos non malè referant; porrò hinc ſe produnt rationes propter quas in curando difficiles ii morbi ſint, longi & ancipitis eventus, iis enim inſident partibus, quas ut pote *ſpermaticas* (ſic enim has vocitabant) pro frigidis habebant veteris medicinæ antiſtites, hac ratione, quòd partes illas alluere videatur ſanguinis copia minor. Reipſa autem morbi illarum partium difficilis ſunt curationis, quòd textus ſicci ſint, durioris & exſucci, cujus ratione *rigiditatis* nimiùm habent, flexibilitatis parum; unde dum quos imbiberunt ſuccos obſtinatiùs retinent, ea *ſyſtalticæ* vis copia defectæ ſunt, qua promptè terendo ab iis ſeſe expedirent. Itaque iſtiuſmodi ſunt illæ partes, quæ morbidas *ſtaſes* tolerant diutiùs, tardiùs autem digerunt, reſolvunt aut concoquunt; hiſce cum rationibus ſi conferas *veſicæ* & *cutis* morborum, *arthritidis*, *rheumatiſmorum*, *affectionum ſpaſmodicarum* &c. cauſas & eventus, vel ictu oculi animadvertes curationum illarum moleſtias, pericula, tarditates. Hujus tardantis medicinæ medicina erit medentis ſagacitas, ponenda tota in laxanda illa affectarum partium *rigiditate* nimia, ut illarum fibræ a *ſpaſmo* reſipiſcentes oſcillent expeditiùs, Id boni expectabis a *topicorum*, *reſolventium*, *anodynorum* uſu? & quidem hæc non omittenda erunt, ſed faciendum maximè ut remoto, averſovè eo unde turgent, rigent atque partes, frangatur partis affectæ *ſpaſmus*, ſanguine ſcilicet, cujus miſſio deplendo vaſa, circumſitarum & ſanguinalium partium *tonum* debilitat, hincque detumentes nervoſæ partes, defraudatæ ſcilicet roſcidi quem a ſanguine ſorbet copia ſucci, molleſcunt & ad oſcillandum terendumque ſe accingunt, quod humorem mitificare, digerere, concoquere eſt!.

Ejuſdem induſtriæ erit majora deplere vaſa ſub viſcerum morbis, in quorum minimis vaſis ſtagnat, hæretque ſanguis, tunc enim alicubi partium æquilibrium molliri juvat, ut illic facto exitu, eò versùs ſuam ſanguis hærens vertat circulationem, hæcque ratio eſt repetitæ multoties venæſectionis in quibuſdam morbis, ſub quibus non admodùm vitiari ſanguis videtur, ſed imo in viſcere hæret, undè amoveri recuſabit, uſque dum dilatatis alicubi vaſorum ſpatiis, eò versùs neceſſaria partium conſecutione, aut inclinatione locorum efferri cogatur, unde evenit ut qui crebrò iteratis ſanguinis miſſionibus obſurduerat morbus, ſanguinis miſſioni ultimò repetitæ cedat tandem, vincique ſe patiatur. Tanti eſt medico frangendi opportunè æquilibrii ſcientia! qua profuſo, ut videtur vivifico ſucco, vitæ cauſis revera parcitur.

Alterum inde tibi ſumes documentum ad morbos quibus pro cauſa eſt ſanguinis *albæ partis*, vel *ſucci nervoſi ſtaſis*, id eſt in *glandulis* aut nervis *lymphæ* lentor, cum enim ex harum partium medullis hærentes ſuccos educi immediatè non poſſibile ſit, illos ſuis in fontibus, ipſo ſcilicet in ſanguine expedit continere, tùm ut arceantur a glandularum & nervorum ingreſſu, tum ut intra majora vaſa coerciti remediorum operationi propiùs objiciantur, & ad debita ferantur *ſecretoria*, tandem unà cum ſanguine queant eliminari. Moniti hujus veritatem oſtendit adhibita ſanguinis miſſio ad curandos *glandularum* tumores, ſive ſimplices fuerint, ſive *ſtrumarum* aut *carcinomatis* minaces, quibus reſolvendis in tantùm medicamina proſunt, in quantùm ſanguine miſſo reſecta primùm

mùm fuerit & intra ſanguinem revocata morbida materies, quæ in tumorum augmentum ceſſura erat, dum intereà ab appellente a tergo nova materie libera facta tumida pars, ab illa qua ſtagnat ſeſe expedit. Nec diſparis ſucceſſus erit venæſectio ad *ſpaſmodicos* & *hyſtericos* affectus, quæ hoſtilem auram a ſanguine ad nervos intra vaſa comprimendo, a *ſpaſtica ditaheſi* tuetur aut liberat nervos.

Has ſuadet artis aſtutias mutabilis & varia partium textura, quam cum immutet adhuc neceſſariò victus ratio, ad hanc quoque ſua medicus modulabitur conſilia. Quidquid enim ardoris, intemperiei & acredinis ſanguini ab alimentis olim reformidare moris erat, id omne *ſolidis* metuere ab alimentis hodie ſapientia eſt, ab his enim venit illis quidquid habent *elateris*, virtutis aut potentiæ, quæ omnia elevant plùs minùs aut deprimunt varia eſculentorum potulentorumvè genera. Itaque de victus genere ſedulus interrogabit medicus, ut ad *ſolidorum* rigiditatem mollitiemvè ſuas temperet indicationes, ubi potiſſimùm de illis medicaminibus res erit, quorum ſucceſſus aut operatio pendet a debito partium *tono*; cujus ſortis ſunt *purgantia*, *diaphoretica*, *aperientia*, quæ ſi fibras rigidas nimiùm aut plùs æquo renitentes offendant, caſſa evadent non tantùm (quod hic infelicitatis pars minima eſt) at inſuper turbas movent, vertunt oſcillationes, & directiones mutant, miſcent *ſecretiones*, perdunt, adulterant.

Nec minori cura inter medendum explorabitur ægrotantis vitæ genus, ſtatus aut conditio, ut enim ignavia hebetat corpus quod labor firmat, ita quoque diverſum *ſolidis* tonum, hincque variam *fluidis craſim* faciet vitæ ſtatus; ſi igitur ſtataria vita ſit aut cellularia, ſi in ruris aut negotiorum laboribus occupata fuerit & exercita, diverſæ erunt in utriſque hominibus nervorum habitudines; in his enim nervorum faſciculi majores in artuum muſculis inſumpti, firmiores erunt & vegetiores, idonei proinde qui oſcillationum *directionc* a declinatione præſervent, eò efficacius quod iſtiuſmodi hominibus laſſatæ minùs in meditando cerebri molles *fibrillæ*, oſcillationum *ataxiis* non ſubjiciantur; in illis autem quos poſſidet ſollicitudo mentis, aut diſcendi cupido, debilitatum cogitabis fibrarum cerebri *elaterem*, unàque ſegnitie langueſcentem *nervorum* qui ad artus pertinent *tonum*; unde dum in iis qui laboribus deditam agunt vitam firma habebis viſcera, in aliis qui ſtudiis aut meditationi vacant *nervorum* teneritudinem eam inter medendum experieris, quæ poſtquam ſanitatem eorum oſcillationum titubantiis mille objecit, eorum quoque morbos nullis non medicaminibus (maximè quæ de *ſtimulantium* familia fuerint) reddit intractabiles; inde enim *hyſtericarum*, *melancholicarum & hypochondriacarum affectionum* origines, quæ illorum hominum vitas non numerabilibus infeſtant dolorum ſuppliciis, medentiumque labores & artem crucibus affligant, dedecorantvè opprobriis. Pohſtàc non erit unde ſtupeas ad protheiformes morborum vultus, qui muliebrium, litteratorum & *melancholicorum* morborum curationes incertant, omnes enim *nervoſi generis* turbarum & *erethiſmi* ſoboles ſunt, in quibus ſubeſt *ſpaſmi* plus aut irritationis quàm humoris aut ſucci, ideòque in quibus in alterando, mulcendo & *concentrando*, ſtimulando aut purgando. De his morbis iterum obſervatur, curam illorum temporis frequentiùs aut induſtriæ filiam eſſe quàm multiplicis aut operoſæ medicationis, in illis enim de ordine rerum, ſerie & tranquillo ſarciendis maximè agitur, in quibus conſilio magis quàm opere, mente potiùs quàm manu opus eſt.

Hæc quidem benè multa ſunt artis offendicula, pauca tamen cum illis comparata quæ ſexus objicit, muliebris potiſſimùm quandoquidem ſexcento-

rum morborum author ſit uterus. Uterus enim ut ut minimum viſcus videatur ſi molem ſpectes, magnum eſt ſi potentiam, maximum ſi deſtinationem; generis enim humani conditorium eſt, unde depromendi quotquot futuri ſunt hominum ſinguli; ſed quantis eheu & quàm multiplicibus feminarum incommodis, laboribus, periculis! quæ inter verſantur vel ipſæ virgines, quæ malè ſani quem inconſciæ ſortitæ ſunt uteri peccaminum pœnas immeritæ luunt; ſupplicii enim genus eſt infelix illa quam puellæ experiuntur invaletudo, ſi naturæ conſiliis malè parendo cæca uteri vaſcula menſium evacuationi ſeſe recuſant. Ut ut ſit totum illud committit malum ſtrictior fibrarum *tonus*, a quo negato ſibi meatu ſanguis aliò rapitur inſaniens in hoc vel illud viſcus inſiliendo. Tunc medicus qui naturæ propoſiti memor fuerit meliùs quàm conſilii, in *emmenagoga* tuet ſe præceps & incautus, ſcilicet ad impervia loca ſanguinem temerè adigens, quæ eum laxitatis gradum explicando ſe nondùm attigerunt, quo ſanguinis impulſibus morem gerant. Ut ergò in juvenculis facit non rarò præcox corporis vel animi ſenſus, ut ad uterum præmaturè accelerentur oſcillationes, procacis aut ſtimulatæ diligentiùs quàm languentis naturæ argumentum erit in multis menſium defectus; ſaltem feſtinantis ſe nimium naturæ & ad inconceſſa properantis frequens ſignum eſt, quæ regi a medente continerique magis opus habet, quam ſtimulari. Inde rationem intelliges ob quam utilitatis tantæ aut neceſſitatis ſint *anodyna* in feminarum morbis, quæ cum lædi vel affici faciles ſint, teneræquè ad animi *pathemata*, vel ad ea proclives, iis indigent maximè auxiliis quæ *fluidorum* impetus coerceant, *ſolidorum* regant oſcillationes, harumque directiones reſtituant.

Nuptui dantur, tumet uterus, altera cura. A conceptu infeſtant *vomitiones*, *nauſeæ*, *pica*, *malacia*, *faſtidia* ciborum, tota morborum cohors quos humorum cumulo imputari vulgare eſt, interim qui hos alit morbos cumulus, ſanguinis eſt, qui ab utero quem ſtrinxit conceptus, ad majora vaſa redundans, hic illic *ſtaſes* in viſceribus facit, quas ſolvit ſanguinis miſſio; hunc enim a ſui circuitus orbita evagantem revocando a ſtagnatione liberat, potiſſimùm in gravidis, ut potè quarum morbis cum anſam præbeat & materiem ſanguinis evacuatio deliteſcens, illis remedio eſt ſuppleta ſanguinis evacuatio, qua de cauſa gravidarum ſanitatem adeò juvat venæſectio, ut omiſſa arcendæ tibiarum intumeſcentiæ ſub ultimis menſibus contribuat non ſolùm, at illam quoque natam diſſipet. Inde patet quale ſit oportet in curandis feminarum morbis medentis propoſitum, tuendi nempe uterum inter & corpus feminæ illud æquilibrium quo unanimis ſervetur reciprocus inter utrumque ſanguinis circuitus; ſed hanc unanimitatem lædi neceſſe eſt, quoties in alterutro reſiſtentia ſurget; igitur a conceptu illam ſuſpicari convenit, quo tempore in continendo ſe occupatus eſt unicè uterus; at eo in caſu de frangenda reſiſtentia cogitare periculum eſt; unicum ergò in minuendo ſanguine ſupererit remedium, quo quæ a certa nimis in reliquo corpore ſanguinis mole venirent tubæ prævertantur.

Interim præcavendæ huic ſanguinis redundantiæ providet quoque natura pandendo dilatandovè vaſculoſam uteri fundi ſubſtantiam, ubi velut in promptuario coacervat ſenſim ſanguinis ſuperamenta; ſed ſenſim & ſucceſſivè fit iſthæc congeſtio; ſanguinem ergò mitti oportet, ne creſcat citiùs intra corporis quam intra uteri vaſa ſanguinis moles. Cæterùm tibi erit illa membranarum uteri dilatatio, *elateris antagoniſtæ* tenſionis inſtar, quî ideò pandi ſe patitur, ut in corporis libramentum evadat; fibrarum ergo uteri *toni* veluti modulatio eſt, qua alterutrinque ab utero ad corpus & viciſſim reciprocatur ſanguinis circuitus; ſed antequam ad congruum æquilibrii gradum pervenerit uterus, feminæ metuendum magnoperè foret a pullulante in dies ſanguinis copia,

pia, quæ proinde diligenter & in anteceſſum venæſectione reſecanda eſt.

Urget eò magis ſub illo tenſionis ſtatu venæſectionis neceſſitas, quod illius opera ſit quæ arcere poteſt maxima quæ ex illius elateris remiſſione futura ſunt pericula, partus nempe tempore, quo retendi elaterem illum tam neceſſe eſt, quam uterum in ſe contrahi ut detumeat; intereſt enim non mediocriter, ut modulatè, hoc eſt nec ſegniùs, nec præcipitantiùs retendatur uterus, ne ab elateris impotentia fatiſcens uterus, quem congeſtum in ſe condit ſanguinem retineat, unde *lochiorum* defectus; aut ne actuoſo nimis animatus elatere vividiùs detumeſcat aut præcipitantiùs, unde hæmorrhagiæ illæ enormes & ſubitaneæ, quibus interdùm puerperæ ſtatim a partu fundunt cum ſanguine vitam: a preſſoria quoque & feſtinata nimis oſcillatione ſæva illa tormina, quæ frequentius illas cruciant miſerabiliter. Tam diris aut periculoſis incommodis occurrit venæſectio, quæ ſub graviditate identidem repetita, ab exſuperantia illa ſanguinem præſervat qua in uteri dilatabilia vaſa ſe ingurgitando, fibrarum illius elateri objiceret eam quam vincere non poſſet reſiſtentiam; qua ratione factus imbecillior uterus ad expellendum congeſtum ſanguinem ſegneſceret. Similiter ad prævertendos puerperarum dolores & hæmorrhagias utilitatis eſt in gravidis venæſectio, quæ *fluidorum* molem & energiam minuendo, *ſolidorum* quoque *vim ſyſtalticam* temperat, unde molliores factæ partium oſcillationes, *ſpaſticis* preſſionibus & *erethiſmo*, unde dolores & *hæmorrhagiæ* minùs patent & infrequentiùs.

Ex illa morborum puerperarum ætiologia, imprimis ex uteri illarum *diatheſi* concipies remediorum diſcrimina, quæ puerperarum morbis adhibenda ſunt; partùs enim vi ruptis humorum cataractis qui ad uterum confluxerunt, cataclyſmi impendet periculum, ſuccorum nempe impetus vel præcipitantiæ eam in partem irruentium, quæ jam ſatura ſuccis fluxa undique & pertuſa eſt. Iſte namque uteri puerperarum ſtatus eſt, qui poſtquam toto novem menſium ſpatio ſanguine fartus eſt, facto partus tempore, mille ſui locis dehiſcit; rimarum enim aut hiatuum genera ſunt illa omnia quæ a diſſolutione *placentæ* aperta ſtillant ab utero oſcilla, *ſecretoriorum* nempe innumerabiles exitus, quibus perpluit totus interior uteri ſpecus. De venæſectione dubitatio præcipua eſt, illam puerperii temporibus è pede inſtituendam eſſe uno ore clamat medentium vulgus, interim non conſentitur ab iis qui ad partem affectam, turgentemque ſuccis humorum confluxum reformidare didicerunt, aliunde eruditi *colliquationis* impendere minas parti quæ forata undique fluxionibus humorum aut effluviis undique obvia & pervia erit. Ut ut ergo lochia reſtitent, quantumvis turgeat torminum lævities, norunt illi veteris medendi uſus magiſtri, *ſpaſmo, phlogoſi, & erethiſmo* laborare uterum, malis quæ omnia cumulabit è tuſa pedis vena ſanguinis illapſus; nihilominus tamen ſi in ſanitatis rebus hominum moroſitati ſervire licet, ſi præjudicio fas eſſet litare, curabitur larga ſit & liberalis è pede venæſectio quæ huic quod committit malo utcumque medeatur, quem ad uterum præcipitat ſanguinem una & eadem opera evacuando.

Oſtendit adhuc ille turgentis ſanguine uteri ſtatus, quantùm a legitima medendi ratione abhorreat damnabilis illa conſuetudo pulmentis, vino, *panatellis*, ovis & carnibus recentes a partu mulieres paſcendi, quid enim mali non portendit aut affert ſuccorum alibilium fartura, ubi vaſa tota ſub humorum *ſtaſi* aut pondere gemunt; ſanguini igniculos, *phlogoſi* fomites, & lentitudini ſuccorum repagula addere eſt, quo tempore dilui, temperari & tenuari indiget ſanguis; ſervarique ab iis quæ circulationis illius obici forent autoneri. Aliundenè fluunt *dolores, febres, diarrhœæ*, abdominis tenſiones, *meteoriſmi, inflammationes*, quæ omnia infert aut auget ſuccorum ingluvies, qua,

cum luctando iracundè ſtimulata *ſolidorum ſyſtaltica* vis angores mille parit *ſpaſmos & colliquationes*. Indulgeretur, ſi naturali conditionis ſuæ officio addicendo ſe matres, ad lactationem infantium ſuorum hac diætæ culpa ſe accingerent, ſaltem enim effugii genus eſſet, quod pararent ad mammas, quæ eluxuriantibus alibilibus ſuccis exitus aut *ſecretoria* commodarent; at dum ad pauperculas, ruſticanas, mercede vili conductas mulieres id muneris ablegant, id ſiccandis mammis occupantur. Illarum erga infantes impietatis venia qualiſcunque fuegint, intereà delicti illius ſe dant ultrices ægritudines tam multæ quæ puerperii appendices aut infauſtæ ſunt aut periculoſæ; cauſa eſt alibilis ſucci quem in alienos uſus, infantium ſcilicet, inſumendum matribus natura dederat, in proprios illarum uſus converſio, attamen damno illarum vertitur, naturali enim quem per mammas inveniſſet, defraudatus exitu, ad ſanguinem remeat, in quo quantitatem illius aut menſuram augendo ſuperpondii potentiam æmulatur, qua ratione functionum aut œconomiæ corporis harmoniam, ordinem aut æquilibrium vertit. Hinc ab omiſſo nempe lactationis officio, morborum *chronicorum* ſemina qui puerperia ſæpiùs excipiunt, *phthiſis* inprimis ſimiliumque pulmonis affectuum, tum *carcinomatum & glandularum* quæ in mulierum mammas incidunt, quæ omnia a ſuperante ſucco alibili ad pectus refluo naſcuntur. Inde quoque puerperii frequens nimiùm & ſingularis morbus ille *acutus*, lactis diſperſus nomine, qui exundantis ſucci alibilis per partes interluvies aut reſtagnatio eſt. Nullis parcit partibus, interim brachia, ſed femora maximè invadere ſolet, quæ in tumorem horrendum attolit *eryſipelatodem* plùs minùs aut *phlegmonodem*, comitibus febre, horroribus, gravioribuſque febris continuæ *ſymptomatis*, quæ omnia diſjuncto lacti ſic imputari conſueverunt, ut *catharticis* præcipuam committant illius morbi curam, ſed perperam ideoque infeliciter, ultimis enim vaſorum capillamentis adactus morbidus humor purgantium ictus eludit, dum illius reſtagnatione & mora, laceſſitæ partes ſpaſmum contrahunt, ſeque ſtringendo ſanguinem ſuffocant; hinc arcanæ ſuppurationes quæ cuniculatim depaſcendo carnes funerea tandem promunt ſymptomata. Cedit feliciùs venæſectio, quæ humorem vel altioribus & remotiſſimis vaſorum alveis coercitum ſanguinis circumeuntis fluento reſtituit; ſuccum ergo lacteum extremis hærentem vaſis ſanguinis circuitui ſubigendum reddendo comminuit, accedentibus poſtliminio *cortice peruviano & catharticis*, quæ ſi quid feculenti aut malè ſubacti ſuperaverit ejicient foras.

Denique morborum qui a lactatione fiunt ingenium ſic recognoſces, ſub hac enim ab utero ad mammas peregrinatur ſanguis, qui in illo ſecerni ſolitus, in his tunc temporis alteram operatur *ſecretionem*, qua ex alternatione, certam formari morbis indolem conſectarium eſt. Præterquam quod enim ab illorum humorum trajectu multi committi poſſunt *ſecretionum* errores aut allucinationes ſuccorum (teſte ea quæ a lacteſcentibus puerperarum mammis fit febre) abalienatus ſemper eſt ſanguinis circuitus, ab utero nempe ad mammas; revera viduatum ſub lactatione propria ſibi circuitus ratione uterum non incommodari obſervatur, at ex illius ad partes ſuperiores trajectu, nihilnè pulmonibus & mammis reformidandum affirmares? reſtagnationem fieri ad illas partes neceſſum eſt, ſed inde nihilnè minarum aut diſcriminis impendebit delicatulo & *veſiculato* pulmonum texto, *glanduloſæque* mammarum compoſituræ? hinc intelliget medicus quales aut cujus ingenii erunt lactantium morbi, ut ad illorum rationes dirigat ſuas accommodetvè medendi intentiones, hinc plenè eruditus illis producendis contribuere non mediocriter ſanguinis circuitus errorem, qui aliò quam ad uterum ſuas transferendo quiſquilias, morborum illùc tranſmittit materies.

CA-

CAPUT XX.

De Recidivis, Epigeneſi, Metaſtaſi & earum curationibus.

ET morbi ſoboleſcunt! nam *& nato morbo nati ſunt, & qui naſcentur ab illis*; artiſnè medendi fuerit vel artificis culpa? edocet genuina morborum hiſtoria, quos inter numerabis alios qui natura ſua *primarii* ſunt, alios qui natura ſua ſunt *ſecundarii*. Illius cenſus unicus fortè erit, *febris* ſcilicet, quæ nullius non morbi caput eſt, ſi (quod a vero non admodùm abhortet) febris nomine intelligis ſolitum naturæ conamen, a quo primùm hæc materiæ morbificæ exterminationem orditur; unde qui hinc alicubi ſe dabit effectus, aut quod caput exeret, hic vel illic *ſymptomata* princeps, morbus *ſecundarius* fuerit. Verùm quorum palato ſapiet minus iſthæc morborum *ſecundariorum* acceptio, ad vulgi mentem *ſecundarios* morbos vocabunt, qui priores ſemper a tergo ſequuntur; quique ſi ejuſdem nominis, naturæ aut loci ſint, ad *recidivas* pertinebunt, ſi autem alterius tituli ſint aut ingenii morborum *ſucceſſiones* erunt. Obſervabis adhuc ſuamnè mutet vel retineat ſedem morbus, ſi prius, *metaſtaſim* dices, ſi poſterius, *epigeneſin*.

Omnia hæc & ſingula oculis quaſi ſubjiciet febris; hæc enim *cortice Peruviano* pulſa regreditur? recidiva eſt; de repente tumultuando in pectus præcipites fundit ſuccos? hinc *catarrhus* qui febri adnaſcens *epigeneſin* faciet, quo ſpectant adhuc *hæmorrhagiæ & alvi fluxus*, qui materiæ febrilis propagines ſunt, ſed febre ſuperſtite, hæc enim ſi ſubducat ſe aut alterius morbi ſpeciem induendo deliteſcat; *metaſtaſis* erit; ad quem nonnè pertineret illiud *variolarum* benignarum genus, ſub quo ſtatim ab eruptione peracta, ceſſat febris; niſi malueris *metaſtaſis* exemplum ab *arthritide* mutuari, in quam non rarò videas febrem deſinere. Hic *morborum ſucceſſiones* non malè exponi videbuntur, quas tamen meliùs exprimunt morborum illæ appendices & infelices reliquiæ, quæ anteactos morbos recipere conſueverunt, cujuſmodi ſunt *cachexiæ* tam variæ ſpecies, in quas tam plures morbi terminantur. Placebunt fortè magis horum omnium diſſoluta per varios morbos exempla; *recidivæ* ergò ſunt morborum quorumvis nuper curatorum regreſſus, cujus ſortis ſunt *diarrhœæ, catarrhi, apoplexiæ, rheumatiſmi, hæmorrhagiæ, hyſtericæ, hypochondriacæ & ſcorbuticæ affectiones*; quibus *hydropem aſcitem* addes, ut enim hic non paucis a *paracentcſi* ſeptimanis recrudeſcere ſuevit, illis omnibus ut videbatur percuratis redire brevi non inſolitum eſt. *Epigeneſin* exhibent *ſanguinis ſputo puris ſputum, puris ſputo tabes, peripneumonia pleuritidi, anginæ catarrhus* in pulmones, *diarrhœæ dyſenteria, aſthmati hydrops, morbillis hæmoptyſis, variolis petechiæ* adnaſcentes. *Metaſtaſin* recognoſces in *paralyſi* quæ *apoplexiam*, in *pareſi* quæ *colicam, hyſtericos & ſcorbuticos* dolores, in *phthiſi* quæ tuſſim, ſputum ſanguinis aut *peripneumoniam*, in *tuſſi, aſthmate* quæ *hæmorrhoides*, in *chloroſi* quæ ſuppreſſos menſes excipiunt. Singula hæc pro privatis aut ſingularibus ſingulorum *morborum ſucceſſionibus* haberi poſſunt, at publica quoque datur aut generalis *ſucceſſio morborum*, quæ privata nulli, omnibus morbis communis eſt. Hinc morborum vix ullus eſt, habito nullo ſexus, ætatis, temperamenti; aut conditionis diſcrimine, qui tandem in *hydropem* deſinere non poſſit; cui ſi adjicias *tabem & diarrhœam*, generales omnes habebis *morborum ſuc-*

ceſ-

cessiones; sic graves capitis morbi in *apoplexiam* desinunt, pectoris in *phthisim*, abdominis in *hydropem*, *scirrhos* aut *obstructiones*, stomachi in *diarrhœas*, uteri in *chlorosin & hystericos* affectus, vesicæ in *ischuriam*.

Sed quod nec omittendum, sui sunt & ætatum morbi *succedendi* ritus, infantium invaletudo in *glandularum* infarctus aut in *rachitidem* sæpè desinunt; adultorum febres in viscerum *apostases*; senum ægritudines in cutis & membranarum affectus. Inde *strumæ*, aut *gladularum* tumores infantibus, aduitis viscerum *phlegmone*, senibus pruritus & *ischuria* familiares sunt. Interea (quod medenti monitum erit) non damnabiles omnes, ut pote quæ non omnes damnosæ illæ morborum mutationes, ex iis enim sunt quæ juvant. Sic in morbos qui præposterè curati sunt, relabi profuit; unde *arthritidem*, *hæmorrhoides*, *herpetem*, *erysipelas*, quæ intempestivè retrocesserint rursus evocare artis industria est. Nec inlaudadile illud *epigenesis* genus, quo sub *variolis* a facie ad manus & hinc ad pedes *intumescentia* propagatur, tanto ægrotantis juvamini, ut si suis temporibus defuerit, non incertæ mortis tessera sit. Observabilis non minùs *ptyalismus* in adultis, tum alvi fluxus in infantibus qui sub *variolis* adhuc tanti ad salutem momenti sunt, ut si suum non contribuant vacandæ putris *lymphæ* demensum, præsens vitæ periculum impendeat. Ejusdem fortis adhuc est sub illis *perirrhœa*, quæ prædictæ *intumescentiæ & ptyalismi*, si defuerint, bona supplet nonnunquam & officia. Denique bono est *diarrhœa febribus malignis* superveniens, aut morbis qui cerebrum petunt, serum enim acre quo sub illis madere periclitatur aut infestari *nervosum genus* ad intestina derivando, tendinum *spasmos*, *subsultus*, *tremores*, amplius *lethargum*, *coma*, hisque affines *soporosos* affectus prævertit.

Neque ex omni parte mala est *metastasis*, quæ interdùm fit bonis ægroti rebus. Hujus conditionis est omnis a nobili parte ad ignobiliorem causæ morbidæ trajectus, si potissimum plenus adeò aut integer fuerit, ut illam liberet penitùs & expediat. Talis est *paralysis* illabens in artus quæ *apoplexiam* solvit; neque infelix qui sub *asthmate* & simili pulmonum suffocante affectus ad pedes fit tumor, pulmonibus tam proprius & singularis ut in hoc casu pedibus *pulmoneorum* nomen faciat; revera quæ in pulmonibus latebat humorum stagnatio ad pedes non tantùm sic transmittitur, sed & hinc fit vasculorum hiatus, unde serum sudat, quod cutem sustollens in vesicas pandit aut *hydatides*, quæ *lymphæ* rivulos innumerabiles aperiendo, morbi causam simul siccant & *symptomata* sanant. Exitiales habentur ex rubro liventes *scorbuticorum* maculæ, & reipsa infelicis sæpè omnis sunt & exitus; ditat tamen ratio quam confirmat usus, his quoque subesse *metastasis* rationem, qua sanguis ad extremas corporis partes eructat acre *serum*; *depurationis* enim modus erit & salutis, si ad operantis naturæ mores, suam noverit medicus artem accommodare. Quod sic enim nigrore hac illac dispersa cutis albor deturpetur, in causa est conamen naturæ quæ succum a circuitus ordine dejectum extrudere nititur, qui succus alius non est ab ipsa sanguinis rubra parte, quæ a sanguinalibus *arteriis*, quarum ductum & tramittem sequi debuisset, ad *lymphaticas arterias* deliravit; hæc autem natura sua sanguinalibus debita vasculis, illis adacta quæ ad cutem vehunt alebam sanguinis partem, cutem suo quo rubet maculat colore, quandiù in ea terenda extrudendaque natura laboret, *systaltica* virtutis energia, quæ succi illius rubedinem vincendo in flavum mutat; id autem cum *lymphæ* suas ad arterias regressùs signum prodromum sit, vaporantis illius succi præsens argumentum est, sanitatisque proximè futuræ testimonium. Ætiologiæ non dissimilis est, similiique rationis illud *gangrenæ* genus quod sub *acutis* febribus maximè malignis, in lumborum, adjacentiumque partium carnes cadit, putredinem

nem fermè diceres a preſſu partium unicè contractam, dum revera ſanguinis rubræ partis eò versùs adactus eſt, maximè intra *lymphaticas* cutis arterias, ad quas a ſanguinalibus expreſſa deflexit; in quo enitentis expedientiſque ſe naturæ labores obſervabis, quibus quidquid hoſtile ſentit quaquaverſum amolitur. Sua quoque eſt *chronicorum* morborum *gangræna*, *ſphacelus* nempe ille *ſiccus*, qui veteraſcentes, (præſertim in ſenibus) morbos nonnunquam excipit; ſed hujus *gangrænæ* aliuſmodi cauſa eſt, partis enim albæ ſanguinis, lymphæ ſcilicet *nervorum*, ſeu *ſucci nervoſi* vitio dabitur, qui cum ſanguinis exemplo ſuas in circulando experitur tarditates, ſuas quoque patitur *ſtaſes* inprimis ſub hominum aut morborum ſenio, ubi ſicceſcentibus *ſolidis* partibus, *fluidæ* infimul ſicceſcendo ſpiſſeſcunt; cumque morando ſanguis, illa quæ incolit ſtagnatque vaſa, ſimiliter tardando nervorum *lympha* oppilat nervos, horumque ſiſtit oſcillationes, quaque ratione mollem facit humentemque *gangrænam* ſtagnata in carnibus ſanguinis rubra pars, quæ ſanguinis circuitui injicit moram, altera non diſſimili *gangrænam* facit *ſiccam* ſtagnata in nervis ſanguinis pars alba, unde *ſucci nervoſi* circulationi *ſtaſi* fit & impedimentum.

Facilem obtinebit veniam materiæ affinitas, ſi *gangrænarum* occaſione *paronychiæ* ſeu *paronychiæ ætiologia* hùc adducatur, nervoſarum enim partium veluti ſideratio eſt, quam humoris aura magis aut umbra committit quam humoris corpus aut ſubſtantia; *ichoroſus* quippe abſceſſus eſt, vel tenuis ſalini & depaſcentis ſeri a ſanguine diſceſſus, excretio & *metaſtaſis*; quod malè morati ſucci expreſſio eſt. Sub hoc autem conceptu animo venit naturæ conaminis idea, *ſyſtalticæ* nempe vis energiæ, peregrinum aut hoſtile aliquid a ſe amoliri nitentis, cujus laboris author eſt laticis nervoſi *ſtaſis*; quæ dum ſui ipſius circulationi obicem facit, *ſolidis ſpaſticam*, *fluidis* verò exundationem infert, ſudationem nempè humoris circumquaque preſſi ſimul & expreſſi.

Ad morbos ſpectant quæ hactenùs memoratæ ſunt tranſmutationes, ſed & ſuæ ſunt *ſymptomatum* variantiæ, quæ medenti obſervabiles ſunt non minùs. Qui vanuerat lateris dolor revireſcit? quæ ceſſaverat denuò erumpit *hæmorhagia*? qui ſiccatus fuerat redit alvi fluor? particulares ſunt & *ſymptomatum*, recidivæ. Hinc illinc aliquo adrepit morbi cauſa? *epigeneſin* habes quæ novi *ſymptomatis* propago erit. Sic quid cerebrum gravabat *catarrhus* ſerpit ad *pulmones*? ſuccedent tuſſis, ſpirandi difficultas, ſuffocatio: ad *ſtomachum* propagatur ſeroſi laticis liquamen? anxietates ſe dabunt, *cardialgiæ*, *vomitiones*: ad inteſtina deſcendit? alvi fluxus, tormina & dyſenteriæ prorumpunt. Hac illac aufugere neſcius morbidus humor, ſanguini confuſus intra vaſa coercetur? tunc itineris anceps hùc vel illùc rapitur impetus præda factus; cæcoque *ſolidorum* elateri obnoxius, molimine hujus vel impulſu arteriarum ſanguinalium tramites & pomæria linquendo ad *lymphaticas* repit, harumque ductu ad nervorum in quas definunt origines transfertur; hinc omnia quæ ad nervos ſpectant *ſymptomata*, tendinum ſubſultus, tremores, rigores, partium tenſiones, quidquidque *ſpaſmum* ſapit. Alias hoc defraudatus effugio morbidus humor, vaſorum quibus incarceratur *ſpaſtico* preſſu undique pulſus, hùc aut illùc ejicitur exul; unde in *ſymptomatis metaſtaſes*, *eclipſes* nimirùm, deliquia, obſcurationes, *deliteſcentiæ*, pro quibus alicubi nova renaſci vides aut inexpectant *ſymptomata*. Sic *phrenitidi lethargum* ſuccedere obſervatur, *punctorio* lateris dolori ſuffocationem, *icterum* febri, *menſibus* ſuppreſſis *hæmoptyſes*, vomitiones cruentas, vel ſimiles præpoſteros ſanguinis fluores; *hæmorrhoidum* eclipſi *vertigines*, nauſeas, *aſthmata*, *palpitationes*; *renum* vitiis *veſicæ* affectiones; ſic ab arenulis expediendo ſe *renes*, *calculo*, *dyſuriæ* & ſimilibus ſævis urinarum difficultatibus veſicam objicient; has *diureticorum* ſimul & *narcoticorum*

uſur-

uſurpatione mulcere contendunt, ſed inauſpicatò, hinc enim ſuus perit veſicæ fibrarum *tonus*, quarum labefactatus *elater atoniæ* locum dat aut immedicabili veſicæ ſtupori.

Quæ relinquuntur poſt febres recidivas facere conſueverunt: (a) *Hippocratis* effatum eſt, unde ut *recidivarum* cauſas, ita iis medendi artes intelligere datur, hinc enim palam fit ideò fieri *recidivas*, quod quædam in corpore a morbo ſuperſint, horum autem naturas qui ad obſervandi normam explorare voluerit, illas ab illo ſummo obſervationum doctore vel magiſtro ſic accipiet. *Febricitantem*, inquit, *niſi diebus paribus febris reliquerit recidivare ſolet*, id eſt, *niſi judicatoriis* diebus deſierit. (b) *Febris enim ſi alio die quam judicatorio deſierit, recidivam metuere oportet.* (c) Porrò *judicatorios* dies nuncupabis in quibus ſe produnt ſigna *ſolutionis*, quæ coctionis ſigna ſunt, cum coctiones judicii celeritatem oſtendit. (d) *Quibus febres ceſſant non apparentibus ſolutionis ſignis, his recidiva expectanda.* (e) Itaque a morbis in corpore fiunt reliquiæ cum iis diebus deſinunt qui *judicatorii* non ſunt, id eſt, in quibus ſuas natura coctiones expedire non aſſuevit, adeo ut ceſſare morbum; intutum quoque ſit, ſi vel invita, vel inconſulta natura curatio ſuccedere videatur: revera ejuſmodi curas conſequuntur *citra febrem vehementem vigiliæ, aut turbulenti, aut corporis robur reſolvitur aut ſingulorum membronum adſunt dolores*, (f) quæ omnia recidivas prænuntiant, hac de cauſa, quod medicationum, vi cura præcoci aut temeritate inabſolutæ ſint coctiones; hoc eſt quod neque quod artem decebat, tono ſuo *ſolida*, neque ſedibus ſuis & *directionibus fluida* redditta ſint; enimverò quod campanis quæ diutiùs pulſatæ ſunt convenit, quæ cum vel a ſono ſilent; longo poſt tempore fremunt adhuc, vel tacitè tinniunt, ſimiliter agitata fortiùs febrilium oſcillationum vibrationibus *ſolida*, diù nutant adhuc cum ab agitatione ceſſare videntur, & clam tremere pergunt. Non diſſimilis eſt *fluidorum* ſors, quæ ſi ſtimulantium vi ad nativa a quibus defleſſerunt *ſecretoria* propulſa fuerint, ad illas quas contraxerant deliriationes morbidas redire propendent ſemper aut affectant, quoties iis naturæ veſtigia aut tramites proprios relegendi tempus inconceſſum fuerit. Sed cum hæ ſint morborum reliquiæ quæ recidivas faciunt, hæ quoque fuerint circà quas in recidivis curandis medicus occupetur.

Sunt quorum mentes de facto in viſceribus humorum cumulo invaſit error, quibus ſi ex hoc cumulo vel una mica ſuperſtes a morbo eſſe videatur, recidivis inde originem fieri aſſertum eſt; ſed horum de numero cavene fueris, purgantibus enim partes a febre teneras fodicandoque (quæ illorum medicatio eſt) tantùm malorum exſuſcitabis quantùm *ſpaſmi* inferes aut *eretiſmi*. Recidivas ergò curaturus maximè cogitabis de reſtituendo (quod iterùm ſolutum eſt) partium æquilibrio; hinc *fluidorum* ordinationes dirigendo meliùs, illinc *ſolidorum* oſcillationes meliùs ordinando, illiſque præſidiorum generibus quæ ſanguinis circuitus æquamento ſerviunt. Unde memineris vix unquam auſpicatò inchoari a purgantibus recidivæ curam; ut ut enim ante *recidiva* in eo fuerit morbus temporis puncto, cui conveniſſet purgatio, docet recidivæ ratio, illud jam præteriiſſe punctum, proindeque inopportunam eſſe & ceſſuram infeliciter tunc temporis purgationem. Itaque medendi lex ſit, nullibi tam inopportunam eſſe quam recentibus *recidivis* purgationem. Argumento erit febris *a cortice Peruviano* regreſſus, hanc enim provocat non tantùm purgatio abſentem,

(a) *Aph. ſect.II.2.* (b) *Sect.IV. Aph.61.* (c) *Coac.80.*
(d) *Epid.lib.1.p.960.* (e) *Coac.146.* (f) *Lib.de judicat. p.69.*

tem, sed & præsentem firmat: & reipsa revalescentium a morbo delictum in cibis, vino, exercitationibus vulgare est, quibus nimiùm aut præcipitantiùs indulgent, verùm hæcnè sunt quæ humores illicò pariant cumulentvè? quin imò ejus sunt virtutis, quæ sanguinis copiam auget & *elateris* potentias, quibus minuendis tam idonea videtur purgatio, quam igni restinguendo admotus ignis. A ciborum quidem ingluvie (unde chyli luxuries, succorum uberias) facta sanguinis *stagnatione*, vel *stasi*, humorum fiet egurgitatio, quæ *catharsin* requirit & indigitat, at progressi non incipientis morbi id opus est. Hanc ob rem tanti esse observatur sanguinis missio ad enascentes *recidivas*, a tumultuantis enim sanguinis exsuperantia veniunt ut ab illius aucto *elatere*; illud ergò primum in curatione postulant remedium quod adversabitur illi causæ quæ medenti prima se sistit, aut primùm objicitur, sanguinis nempe copiæ, *elasticitati* & æstuationi, non autem illi qui nondùm comparet nec editus est morbi partui futuro, nascituræ nimirum humorum colluviei.

Inde patet opinionis vulgi iniquitas, cui vel morborum ad nervos aut sanguinem singulariter pertinentium *recidivas*, purgationi neglectæ vel omissæ imputare moris est, inde fit enim ut ex *inflammatoriis & spasmodicis* affectibus plurimi ipsa etiam medicatione exacerbentur non rarò, hac de causa quod in unis purgantibus illa consistat, sanguinem enim *depurandum* aggrediendo, qui vacuandus erat, hacque ratione a *stasi* solvendus, sicque non causam pro causa habendo, *pro Junone nubem* amplectuntur, frustraneasque sectantur curationes aut spurias obtinent. Inde tam multæ ægritudines additæ, quæ *recidivis* ordinariè succedunt, quasi *recidiva* foret labefactatæ sanitatis argumentum, nec incerta futuræ invaletudinis tessera. Sic *asthmate*, *catarrhis*, *arthritide* semel & iterùm lacessitus, *asthmaticus*, *arthriticus*, *causarius* vivit, horum enim morborum *recidivas* humoribus attribuendo, purgantibus torquent, quæ sanguinem eliquando vitiant, corrumpunt, inquinant, futuri sque languoribus semina sufficiunt aut materies.

Idque præconcepti semel erroris consectarium est, postquam enim a *catharsi* morbos illos expeditos animadverterunt, ab illo remedii genere inchoari posse illorum sanationem credidere, a quo illam absolvi observarunt, malè memores vix aliquando sub nascente *recidiva* in illo esse statu animalis œconomiæ res, in qua sub anteacti morbi declinatione versabantur. Igitur, quod in *dierum criticorum* computatione fieri solet, quæ facta *recidiva* a prima morbi origine repetitur, similiter recidivi morbi curatio, ad primarii normam aut ingenium instituetur, *recidivam* non ut exspirantis morbi exitum habendo, sed ut, si non nascentis, renascentis saltem, sibique similis semper morbi initium; non ideò tamen, quasi in adhibendis remediis ejusdem audientiæ esse queat medicus, sed non dissimilis consilii, quod illius *indicationes* finget; reget & animabit.

Rem elucidat curationis ratio, quæ *epigenesi*, & *metastasi* convenit. Harum alterutra superveniente, novum enasci morbum non cogitabis, at eidem morbo accessionem fieri aut appendicem *symptomatis* novi; proindeque non novos putabis succrescere humores, sed ejusdem fieri humoris modificationes novas, situs & motus novos, quibus *indicationes* aptare, magna medentis solertia est, non mutare sapientia major. Ergonè iisdem hærendum remediis, quæ sub morborum curationibus iterari tantùm licitum erit, mutari nefas? quin imò, sed quantùm medentis opera mutari juvat, tantùm operum consilia mutari nocet. Enimverò suus est cuique morbo caracter ad cujus ingenium sua medicus attemperabit opera; *spastica* fuerit aut *inflammatoria diathesis* a qua sibi fecerit morbus initia, alterutram aut utramque animo intuebitur medicus ut suas formet aut attemperet *indicationes*, ita ut cujuscunque coloris aut tituli fuerit *sym-*

ptomatis aut morbi transmutatio, *spastica* aut *inflammatoria* illius *diathesis* meminerit semper in adhibendis remediis quæ illis conveniant, quandoquidem in quamcumque partem insilierit *metastasis*, primigeniæ morbi causæ indolem eò tulerit, hancque mutato vultu, situ, motuvè retineat semper. *Scorbutus* est, *melancholia*, vel *hysterica passio*, unde cepit *morbus*? quolibet modo hinc pullulaverit, *diarrhœas*, *dysenterias*, *hæmorrhagias*, *dolores*, *spasmos*, *febres* progenerando, in his omnibus *scorbutici*, *melancholici* aut *hysterici* quid subesse memento, ad cujus ingenium si tuam contemsperis modulari medicinam, ægri damno vertetur, & artis opprobrio. Quam latè autem posteros inficiat morbos prima origo morbi, manifestat *venereæ luis* contagio; stupendum enim quantum influat in omnes quæ hinc aut aliundè nascentur ægritudines, incondita illius aut manca curatio; tetra enim *mephitis* est nihil non in microcosmo infestans. Illis de causis, artis sapientibus solitum est multis in morbis *antiscorbutici* modo, modò *narcotici* (ut loquuntur) *specifici* cujusdam aliquid suis remediis admiscere ut una & eadem (ut ajunt) *fidelia duos dealbent parietes*, præcipuam nempe & adjunctam simul morbi causam oppugnando.

Observabis adhuc morborum genus duplex, in quibus ejecta in *glandulas* morbi causa emortua videretur, cujusmodi *strumæ* sunt, *carcinomata* & *scirrhi*, sub quibus induratæ partes totam in se imbibisse morbidam causam significarent, nihilominus tamen *miasmatis* aliquid hinc affricatur sanguini, quod sub illis corporis constitutionibus contumaciores morbos facit aut difficiliores; melius, non hinc a *glandulis* sorpta aut exhausta penitùs *diathesi* morbida, de hac intra sanguinem adhuc supereſt satis, ut suum quoque in morborum *genesi* conferat symbolum. Inde *topicorum* medicaminum infelicitas aut inefficacia, quæ partibus exteriùs applicita ferventes, salinos, vel aliter malè moratos humores illùc evocant, talibus enim succis imbuta adhuc sanguinis massa, in fontem malorum perennem facessit, qui præsentem morbum alit accersitquè novos. Simile est quod incurritur delictum, cum *operatio* chirurgica suscipitur quo tempore adhuc eo gravidus est sanguis humore, qui *tumorem*, *apostasin* aut *metastasin* facit, hinc enim febres, puris tarditas aut malitia, quod artifici inhonorificum est & ægrotanti luctuosum. Verùm his omnibus occurret malis, qui ad horum originem sedulus attendet, sanctè enim affirmaveris communem esse & obviam non tantùm *epigenesis*, & *metastasis*, sed & recidivæ cujuslibet causam, mancam nempe & inabsolutam sub anteacti morbi curatione stagnati sanguinis aut humorum *stasi* resolutionem; medicaminum enim præcoci, inopportuno & præpostero usu illinc pulsi, stimulati & fugati humores, hinc una cum sanguine (cui parcitum nimis fuerit) intra vasa coerciti illi cumulativè, impetu sibi & mole factis aliqua erumpunt, in viscus aliquod, ubi vasorum diametros dilatando sedem sibi figunt & medico crucem. Itaque vel imperitiæ medici, adulationis aut ignaviæ, vel ægroti morositatis aut pervicaciæ, denique vel erroris vulgi testis aut argumentum sæpe erit *apostasis* a morbis relecta; eos interea excipies, qui natura sua sic *judicari* amant; quis enim sanæ mentis medico inde movebit litem, quod febrium species sint quæ in pustulas *variolas*, *miliares*, vel *vesiculares*, aliæ quæ in maculas *morbillosas*, *petechiales*, vel *scarlatinas* erumpant? indignabiturnè aliquis medentis operibus, quæ obtinebunt nunquam, ut *carbunculi* & *bubones* absint ab ejusmodi pestifera lue quæ illorum satellitio uti solet? *malignas* quoque *febres* observabis, quæ in *parotides* natura sua desinunt, *asthmata* quæ in pedum tumores, *apoplexias* quæ in *hemiphlegias*, *colicas* quæ in *paralyses*; sed hi omnes succedanei affectus, non secùs ac a parentibus nepotes, fetus necessarii sunt; tum & *epigenesis*, *metastasis*, aut *apostasis* genera, quibus curandis non arcendis medicina præficitur:

citur : nam quod de prævertenda *variolarum* eruptione plebi fidenter promiſſum eſt, infidæ medicaſtrorum artis ars eſt, cui dediſſe fidem, morti vitam dedidiſſe fuit. Cæterùm ſive neceſſitate cauſæ, ſive medici culpa morbis fiant reliquiæ aut naſcantur ſucceſſores, medentis tutela indigent aut curæ quam ex illa quæ *morborum ſucceſſionibus* debetur medicina diſcere juvat.

CAPUT XXI.

De Morborum ſucceſſionibus.

MEDENDI ſcientiam navigandi arti aſſimilabis, in quâ interdum lucro vertitur jactura; ut enim armamenta navis, ſi ſæviat immaniter procella propriis nautarum manibus medios in fluctus projici magna naucleri laus aut peritia eſt, qua ſupellectilis damno navis corpus emergit, ſic ubi ab *acuto* aut gravi morbo periculum præſens vitæ imminet, de ſanitate aliquid minui medicus annuit, ut ipſa vita ponatur in tuto. Hujus ſcientiæ genus eſt, quam permittit vel adjuvat tranſmutatio morbi, illius nempe qui lethalis & urgens in alterum qui dabit inducias, vel qui laboris plus habebit quàm periculi. Id autem naturæ medicatricis exemplo, quæ cum morbi cauſam a nobili parte ad ignobilem amandando ſoleat ſe ſublevare, ſic medicus ipſi naturæ auxiliatur, morbum qui ad mortem feſtinat in alterum qui tolerabilis vitæ erit convertendo. Inabſoluta quidem iſthæc curatio, verùm ut perituram modò navem arenis alliſiſſe ſalutis genus eſt, ita vitam morti vicinam in ancipitem tranſire ſanitatem, conſaneſcere erit. Morbi impetum frangere illud erat veteribus artis antiſtibus, idque conſilii medenti capeſſendum ſuadebant, ubi præceps aut vehemens nimiùm morbus contineri ſtatim indigebat aut cicurari, ne qua in ægrotantis perniciem currebat præcipitantia vel præſentiſſima artis præſidia anteverteret. Hanc ad mentem eruditus medicus *apoplexiæ paralyſin* ſuccedere concedit, quin imò ſimile quid promovere curabit, ſi *frictionum*, *ſinapiſmorum*, *epiſpaſticorumvè* ſtimulis, vellicationibus & puncturis obtineat, ut loco nobili decedens humor ignobiliorem occupet: arte pari huic *hæmorrhoides*, *diarrhœas* alteri invocabit, modoque *herpetem*, *arthritidem* modò optabit aliis, hæc enim tolerabiliora indulgendo mala, *cerebrum*, *pulmones* ſimiliſquo momenti viſcera a periculoſioribus expedit vel tuebitur. Tanta eſt medendi ſapientiæ dexteritas! quæ vel nocendo juvat, ipſamet quæ permittit mala ægrotantium, ſaluti vertendo; ſic enim facto ut in ignobiliori parte hoſpitetur humor, tempus conceditur, ſub quo viſcerum tutelæ provideatur.

Hic ſi ſua bona noverit medicus, ubi ſe produnt opera naturæ, utiles illic agnoſcet morborum *ſucceſſiones*, ut pote alienas ab illis quæ a morbis labefactatam relinquunt ſanitatem. Harum ſi numerum & nomina ſpectes, curationes exponere immenſi operis fuerit; verùm ut omnes ſingulatim perſequi nobis non animus eſt, generales illarum notiones tradendas ſuſcipimus, idoneas tamen regendis medentium operibus.

Quilibet fuerit corporis affectus ab aliquo morbo ſuperſtes, a *catopragia* viſcerum venit aut partium *eachexia*, ita ut quamlibet ſedem occupet iſthæc invaletudo, *cachexiæ* genus ſit, hoc eſt inverſa partium habitudo, quâ a ſua *ſymmetria*, textu, ſitu, ordinatione, proportione disjectæ ſunt, unde mutatis directionibus nativis & pronitatibus, pervertuntur oſcillationes, coctiones vitiantur, alienantur *ſecretiones*, a ſequè mutatur œconomiæ animalis harmonia. Harum turbarum cauſam habes in labefactato *tono* partium, aut æquili-

brio, cujus indaginem ulteriùs inveſtigando, illam in arcana *ſtaſi* quadam poni reperies. Ergonè ad *fluida* pertinebunt *morborum ſucceſſiones*? has quidem mora ſua aut *ſtagnatione* alunt *fluida*, atqui inde veniunt *morborum ſucceſſiones* unde *ſtagnationum* cauſæ, quæ cum a *ſolidorum ſpaſmo*, preſſu & aſtrictione fiant, exinde quoque repetere convenit *ſucceſſionum* morborum cauſas. Itaque hic *cachexia* nomine intelliges partium textus mutationem, quam *ſpaſmus* induxit, ſic enim a ſitu nativo deſciſcentes fibræ, ſuam mutant ordinationem & *tonum*; inde alter oſcillandi rhythmum, aliaque *undulationum* directio; porrò his vibrationum anomaliis ſubjecta jugiter, quæ illic hærent ſtagnantúrque *fluida*, diverſam ſimul indolem induere coguntur, peregrinoſque premere calles, alienis denique ſervire determinationibus. Aliundè ne melius exponitur *cachexia* conceptus? qui humorum aut ſangninis ſaporum motuſque concipitur ſegnities vel abalienatio.

At unde ille *ſpaſmus* qui ſub finem morborum *ſolidis* advenit? quodnam illud *fluidorum* genus quod contrahit *ſtaſin*? utrumque aperit ſolitum naturæ ſub morbis conamen; totum contendit in exterminationem morbidæ materiæ, quam ad *ſecretoria* amoliri nititur; *ſecretoria* autem illa ad *lymphaticas* arterias pertinent, morbidaque materies ad *lympham*, unde concludere promptum eſt *lympham* eſſe, ſeu ſanguinis albam partem non rubram quæ declinante morbo *ſtaſin* concipit, *lymphaticaſque* eſſe *arterias* quæ *ſpaſmum* contrahunt; his rationibus *lymphæ* genus eſt a cujus ſubactu auſpicatur ſub morbis naturæ ſucta, ſuccus nempe nutritius præ exuberantia vacans aut ſuperfluus, quem ineunte morbo ſubigendum ſuſcipit oſcillatio febrilis, enitendo ut enim tenuatum ſatis & debitè comminutum lymphaticarum arteriarum diametris aptet, accommodetque *ſecretoriorum* oſciliis. Intereà ſi committat *ſolidorum* vividior & incompoſitus *elater*, hincque factæ oſcillationum turbæ, ut crudus vel imperfectè comminutus ille ſuccus ad *lymphaticas arterias* pellatur, nata hinc ingluvies *ſtaſin* inchoabit & ſuccedaneorum morborum nidamenta; hinc aliundè ſanguinis circuitui fit reſiſtentia, in quem vincendum *ſolida* vel colluctando *ſpaſmodicè* oſcillabunt, vel ſucci illius tardati adactione impedita *tonicè* ſe ingurgitabunt. Indè latentes aut cæcæ per viſcera diſſeminatæ *ſtagnationes* ſuccorum, quæ *obſtructionum*, *tumorum*, *ſcirrhorum*, ſimiliumque morborum ſucceſſionum ſunt initiamenta.

Hæc ſi ad ſingulas corporis regiones adhibeas, palam fiet ratio propter quam in his vel illis viſceribus morborum fiunt ſucceſſiones; enimvero viſcera quælibet ſingulares vaſorum compacturæ ſunt, quorum ut ut mirabilis *ſymmetria* videatur, interim non æqualis *toni* ſunt aut *elateris*; in humano enim corpore, non ſecus ac in eleganti quolibet ædificio cujus partes ut ut perbellè ordinatæ inæqualis ſunt firmitudinis, *inæquale* quoque eſt *partium robur*, ratione cujus ſub morbis diſparilis fiunt virtutis ad reddendam *cordi* tantam ſuccorum menſuram, quantam ab aucto ſanguinis circuitu receperunt, unde in cæcis viſcerum receſſibus feculentæ ſubſidunt, cumulanturque ſuccorùm reliquiæ, quæ præſenti morbo ſuccedaneum parant: hoc autem ſub caſu ſi vaſa illa in quæ ruet & ſubſidebit morbidus humor, & intrà quæ germinabit *apoſtaſis*, aperta habeant effugia, hæc in *excretoria* evadent, quibus aufugiet morbidus humor; ſicque qui ſuccedet morbus ad *catarrhales* aut *colliquativos* pertinebit: verùm ſi propriis effugiis careant, aut ea ſui parte illa ſtagnentur quæ ab exitus loco longiùs abſunt, ad *inflammationes*, abſcendentia, *ſcirrhos*, *tubercula*, *apoſtaſes* ſpectabit qui ſuccedet morbus.

Quotquot enim ſunt *ſucceſſiones* morborum, ad horum alterutrum omnes

refe-

referuntur, ad tumores nempe vel ad *colliquationes*, tabes enim aut *atrophia* in quam tam multi exeunt morbi, *colliquationis* quoque effectio est & *tuberculorum* comes, adeò ut qui in medendo ab utroque ægrotantem tueri noverit, stirpitus resecare didicerit futuras morborum *successiones*. Prima ergò medici cura sit, sanguinem suo in alveo ita continendi, ne debitis vasis ad alia exsiliat priusquam sua ad *secretoria* pervenerit; quod ut obtineat sanguinis ita diriget cursum & moderabitur, ut nullibi inter eundum tardescat, ne morantis illius circulationis causa, dissociati sanguinis inquilini sucei hinc illinc dissiliant, quo sub tumultu, præterquam quod stagnatæ partes *obstructiones* incurrunt, suis a *secretoriis* proprii disjiciuntur succi, vel alieni ad *secretoria* pelluntur. Præterea cum a transmutatis *secretionibus*, vitiatisque, permixtis vel confusis succis enascantur secundarii morbi, his occasiones præscindet medicus, sanguinis enim circuitui æquabilitatem conciliabit, qua servato suo sanguinis cursui tenore, ad propria currunt *secretoria* qui purgandi, seu, ut ajunt, *depurandi* sunt succi, defecatoque ut decet, sub primario morbo sanguine, sicque depulsis omnibus morborum reliquiis, secundarii præoccupatur materies aut rescinditur.

Hanc asserit curandi felicitatem sanguinis aut *fluidorum* molis facta mediocritas, semel enim ineunte morbo permissa sanguini tota qua tumet mole, futuris stagnationibus præludere est, & morborum *successionibus* dare primordia, observantibus melioris notæ medentibus, non aliundè nec frequentiùs pullulascere morbos aut regerminare, quàm ex neglectis iis quæ sub morborum initiis sanguinis moli minuendæ serviunt. Morbus enim pressionis status est, sub quo sanguinis moles tubulo conico coercita, a capacioribus locis ad angustiora jugiter urgetur; tunc ergò tubulorum illorum capacitates rainui non mediocriter concipitur, sed quanto periculo manifestat corporis humani tubulorum conditio, hi enim omnes sub sanitate pleni sunt, in ingluviem proinde illico proclives, statim atque *fluidis* quæ continent fiet accessio molis; hoc autem nascente morbo crescit periculum, ubi tubulorum illorum capacitates, quæ certæ solùm fluidorum mensuræ continendæ pares erant arctantur, eòque magis quòd a supervacaneorum succorum redundantia oriri soleat morborum pars non minima. Itaque hinc creta sanguinis mole, minutis illinc tubulorum capacitatibus, quantùm ineuntibus morbis sanguinis circuitui cumulabitur impedimenti! quod si amovere confestim omiserit medicus, socius & consors erit futuræ omnis morborum difficultatis, malitiæ & periculi, ut pote supinitate sua, vel ignorantia factus author *stasis* & *inflammationum*, quas currente morbo inducet visceribus; sanguinis spissitudo, tum & infelicium omnium quæ illi succedent mali appendicum.

Stupendum insuper, quàm densa *catarrhorum*, fluxionum, *colliquationumvè* omnis generis, coloris aut naturæ invadat cohors, ab illo medentis delicto! hinc enim a tumente intrà majora vasa sanguinis mole obice facto refluæ *a lymphaticis lymphæ*, hujus hùc illinc eluviem fieri necesse est, juxtà hanc sanguinis circuitus legem: dum per venas sanguinales ad cor remeat assiduè pars rubra sanguinis, per *lymphaticas* ad sanguinem regreditur illius alba pars; at huic regressui obicem ponet cumulata isthæc intra venas sanguinis moles, unde aliorsùm reflecti *lympham* necessum erit, ad hæc nempe vel illa *secretoria*, imprimis ad *glandulosum* omne genus, unde maximè constant viscerum & carnium compacturæ. An alicundè deduces felicius *serosæ colluviei* fontes, qui declinantibus morbis has vel illas mergunt partes? hucque spectant multiplicia seri ejectamenta, succorum fluores, *diarrhœæ*, *catarrhi*, *hydropes*, in quæ exire tot morbis consuetum est. Hic *acida* quæ *lympham* a sanguine *præcipi-*

tant,

tant, diſſociantvè accuſare amant ubi ſolas *determinationum directionumvè* mutationes accuſandas oſtendit *ſecretionum* lex, juxtà quam impeditus alicubi ſuccus aliò refluit, illàc *excerni* præceps ubi paratos inventurus erit exitus.

Sed hinc æſtimabitur quàm iniqua ſit & immerita vulgi exprobatio, qua in ſanguinis miſſionem *hydropis* cauſam refundunt, dum evincit animalis œconomiæ ratio ab illa omiſſa manare *ſeroſæ colluviei* originem. Fateatur enim neceſſe eſt penès quem fuerit partium corporis vera cognitio medium inter aquas, & aquarum periculis ſubjectum hominem vivere, qui cogitabit quantò *ſolidorum* pondus ſuperat *fluidorum* quantitas, tantò uberiorem eſſe & locupletiorem *ſeri* aut *lymphæ* fundum quem ſi adhuc cum ſanguinis rubra parte collatum, hanc triplo & ampliùs ſuperare agnoveris, ultrò concludes nihil eſſe in univerſo corpore, quod præ *ſero* & *lympha* exuberet magis. Cæterorum loco ſufficit unum ex *ſolidorum* conflatura ductum argumentum; ex vaſculis *ſolida* conſtant, quæ vaſcula cum omnia *fluido* quodam plena ſint, conſequitur maxima parte *fluidum* eſſe, unde exſurgit carnium moles & habitudo.

Igitur ſi hæc moles fuerit 100. librarum, 50. fortè erunt *fluidi* libræ, quas in ſe habebit: atqui ſingularum partium ſtamina *ſpermatica* ſunt, id eſt, ex vaſculis *lymphaticis* coalita: *fluidi* ergò quo *ſolida* turgent pars maxima *lymphatica* eſt. Prætereà memineris non otiari hanc *lympham*, neque inutilem in illis partium latebris hoſpitari, quin imò ſubſidiarium eſſe ſuccum qui circuitu perenni ad ſanguinem venit reditque, ut illum diluat, ditet, renovetque omnia bona, quæ manente ſucci illius appulſu expectabis; ſi autem adeò tumeat intra vaſa ſanguinis exuberans moles, ut quæ venturæ illi *lymphæ* debita erant præoccupet loca, tunc repulſam hæc paſſa, quaſi indignata aliò reflectitur, eluviones commiſſura.

Quæ cum ita ſint, librationis genus erit ſanguinis maſſam inter quæ intra majora vaſa circumfertur, & ſuccorum molem quæ intra carnium tubulos circumeundo repit. Hic enim reptatus ad ſanguinem vergens, eò verſus niſus aut conamen juge eſt, quod facto alicubi repagulo recedens irritum, lymphæ rivulos aliò reportat, qui in fluxionum flumina, omne nempe *catarrhorum* genus faceſſunt. In curandis ergò morbis cautus attendet medicus, ne ſua vel morbi culpa illam cadere ſinat librationem, ſua diligentia faciendo, ut ad ſanguinis vaſa facilis ſemper & liber *lymphæ* appellenti pareat aditus, idque vaſa levando a ſanguinis nimia mole, a qua memoratum modò naſceretur *lymphæ* repagulum, morbiſque infelices ſucceſſiones.

Sunt ſanguinis cultores avari, qui ſpretis illis quas malè norunt æquilibrii rationibus, diligentis & generoſæ purgationis opera *ſeroſæ colluviei* proventum omnem præſcindi volentes, venæſectionis locum purgationi concedunt, ſicque morborum quaslibet *ſucceſſiones* præverti docent, quo ſucceſſu, meliùs quà curationis infelicitate, aperit ipſiſſima purgantium operatio, quæ (ſi inprimis, ut hodie moris eſt, *ſtibiata* ſint) ad ſtimulantium genus pertinentia, tota in vellicando erunt, vellicando autem ultimas *ſecretoriorum* extremitates, a quibus extorquendo aliquantam illo reflexæ *lymphæ* portionem, effectum morbi intacta cauſa reſcindunt quidem, intereà dum ſiccando omne ſerum, omnis *lymphæ* ficcant fontes; quod tabeſcere eſt, & revera *atrophiæ* nulla tam fecunda parens, quàm immanis purgatio, cujus pericula docet *cholera morbus*, quo vel athleticum corporis habitum paucis horis colliqueſcere vides.

Hinc obſervare licet a ſanguinis miſſionis neglectu manare non ſolùm infauſtas *morborum ſucceſſiones*, ſed & *apoſtaſis* omne genus, quod currente morbo ſe profert, tot enim conſectaria ſunt *ſtagnationum* ſanguinis, quas hujus circuitus mora ſub morborum initiis inchoat, cumulat autem ſectio venæ neglectæ

glecta, ut pote quæ sola sit quæ efficaciùs nascentes sanguinis *stases* resolvit. Rationem qui investigabit, illam inveniet in illo jugi *lympharum* ad sanguinem circuitu, a quo cum sanguini redeat perennis succorum proventus, exuberantem jam sanguinis molem, & impedimenta illius crescere statim necessum est; aliundènè enim veniret pellicea illa superficies qua obductus videtur sanguis sub *pleuritide* & *inflammatoriis* affectibus, quibus singulare fit notaculum? certè gluten illud *lymphaticum* proximè accedit ad *lymphaticum* illum succum qui a partium omnium *lymphaticis* ad sanguinem refluit, hærensque & viscosa isthæc materies: idonea maximè est ad impediendas, obstruendasque partes, tum formandos quaslibet *tumorum*, *glandularum*, *inflammationum* & *abscessuum* species, quæ graves comitantur morbos aut consequuntur. In hoc rerum statu sanguinis missionem præteriisse, ad pessima quæque morborum symptomata, & infelices illorum *successiones* pandere iter est, aut horum congerere materiaturas.

Quo ergò in pretio habenda sit venæsectio ad *morborum successiones* intelligitur eo meliùs, quò videtur accommodatio ad prævertendas illarum causas; quod enim futurarum illarum fomites præscindat, valoris illius pars non maxima est, nam aliunde præcavet adhuc *secretionum* turbas & succorum confusiones, a quibus morborum & curationum difficultates, *indicationum* dubitationes & pericula remediorum: sed quod medenti observabile magis est, sæpe nullum in curandis morborum factis *successionibus*, tam præsens quàm in venæsectione experietur auxilium; enimverò cujuslibet sortis aut formæ sit succedaneus morbus medentis animo non representat aliud, quàm lentescentis alicubi, hærentisque & impediti sanguinis factam *stasin*; quo sub conceptu, cum succi alicujus expedire se nitentis irritum conamen intelligitur, quod naturæ molimen est minùs, quæ incudi suæ morbidum succum subjectum teneret & obnoxium, quàm *spasticæ* partis impeditæ oscillationis inquies adversùs hostilis succi ictus malè se tuentis, erit medici cura princeps in cavendo ne præ succi eluctantis renixu inflata rumpantur aut dehiscant vasa; quemadmodùm enim a coorto camini incendio periculi nihil vicinæ domui est, modò sibi constet caminus ardens, hujusque firma sit structura, similiter quantumvis gravis sit succedaneus morbus, qualibet ratione sæviat hærens humor, spe non cadet medicus, quandiù manebit spes fore ut arietantis humoris vi & copiæ firma obsistant stagnatorum vasorum latera. Ad hæc autem quid tam idoneum quàm missio sanguinis, quæ insimul a *stasi* absolvit vasa aut ab ingluvie liberat; quæ hærentem succum a sanguinisque circulo alienatum circuitus fluento reddit, restituit tandem proprium vasis *tonum*, nativamque oscillandi facultatem. Sanguineæ enim molis minoratione ampliora facta in vasis sanguinalibus spatia, refluenti ab ultimis partibus *lymphæ* liberiorem reditum concedunt, eademque opera a *spasmo* solutæ partium fibræ faciliùs oscillant; alterutrum ergo emergere bonum necessum est, vel enim hærens in vasorum extremitatibus humor, apertum sibi sentiens ad inanita sanguinalia vasa aditum, eò confluet, vel versùs *secretoria* longiùs ille adactus, ad illud quod contiugit propiùs *secretorium* emittetur, ex *judicatoriis* eam producturus evacuationem quæ morbi aut naturæ ingenio congruet magis: id autem procurante omne bonum reddita sua vasis oscillandi libertate, quæ huc aut illùc pro suis pronitatibus, facilitatibus, & distantiis suos distribuunt succos. Reipsa enim *criticæ* solutionis genus est illa stagnatorum succorum resolutio, qua vel communi sanguinis fluento redditus morbidus succus incudi naturæ elaborandus redditur, vel ad congrua amandatus *secretoria* utiliter evacuatur.

Sunt & alia auxilia quæ in curandis morborum *successionibus* venæsectionis

nis operam adjuvant non mediocriter, *diluentia* nempe ex aperientium decoctis, *apozemata* vocant, quæ ſtipata *martialibus*, *fluida* maſſulis armant, quarum munita mole, in ſtagnata vaſa impetum faciendo arietant, horumque dilatando capacitates aperiunt; ſicque omnes ſuccorum *ſtaſes* diſſipant, reſerant *obſtructiones*, circuituſque ſanguinis ordinem reſtituunt & æquabilitatem.

Quidquid enim energiæ ſpondeant quæ in abſolvendis morbis dilaudantur præſidia, in tantùm cedunt feliciter, in quantùm partibus ab æquilibrio diſjectis *momenta* adjiciunt, ſic *momenti* genus erit *ferri* ſeu *Martis* molecularum factum cum ſanguinis fibra connubium, hujus enim mutatis pondere & maſſa, adversùs *ſolidorum* ictus *reſiſtentias* illius mutari conſequitur, hinc alius oſcillationum *rhytmus* exſurgit, hicque ad æquilibritatem inclinans, ſanguinem enim ſolvendo ad circuitum facit parabiliorem.

Alium æſtimabis purgantium effectum, etenim qua pollent ſtimulandi virtute, pacem in qua conquieſceret declinante morbo *ſyſtaltica* vis aſſiduè diſturbant, unde liquet quàm parùm habeant ſecuritatis ad curandas morborum *ſucceſſiones*, partes enim ab æquilibrio jam alienatas importunè pungendo alienant ampliùs, morboſaſque oſcillationes alendo morbum perennant. Hinc non deſunt eos inter medendi artifices quos docuit uſus, qui in curandis *chronicis* & ſuccedaneis morbis, *purgationi* miſſionem ſanguinis ſuſtituere nonnunquam didicerunt. Ratio ducitur ex intellecta malè (ut jam anteà monitum eſt) aut perperàm expoſita *cachexiæ* ejuſmodi morborum altricis idea, quam a ſordeſcentibus primis viis mutuando non pauci, purgationum vi & frequentia exhauriendam autumant, quam è contrà in alta arcanaque ſanguinis ipſius in interioribus vaſis *ſtaſi* alii ponendo, ſanguinis miſſione ſolvendam edocent. Hinc ſæpe *hydropicorum* infelicitas, qui tam rarò convaleſcunt medicantium non infrequenti culpa, qua illum morbum *purgatibus* laceſſunt aſſiduis, qui ſæpiſſimè *catharſi* indiget minùs, ne quidem *aſcite* dempto, ſub quo viſcera ſubmerſa aquis ab *hydragogis* horrent, a quibus tam dirè lædumtur, ut ab illorum potentiis colliqueſcendo, immedicabilem contrahant labem.

Revera ſupra fidem eſt circà *hydropis* cauſam vulgi portentoſus error; *menſibus* defecta mulier, *hæmorrhoidibus* defraudatus vir, a malè *judicata* febre convaleſcens homo quilibet, hi omnes a morbo ſuo perperàm ſuffocato in *hydropem* labuntur? hunc a pituita, ſerovè oriri pronuntiant, in hiſque ſiccandis aut exhauriendis humoribus anxiè ſudando, morbum reddunt inſanabilem; interim evidens hæc allucinatio eſt, a qua facili, obvio & ſimplici hoc cogitatu declinare promptum erat, ſanguinis enim *ſtaſis* inſolubilis fuit quæ priorem morbum fecit, ſanguinis ergò ſtaſis inſoluta eſt, quæ ſecundarium morbum alit; maximè cum inſolutam eſſe prioris morbi cauſam tam evidens ſit quàm manifeſtum nec ſuos mulieri *menſes*, nec viro *hæmorrhoides* rediiſſe, inſuper nec ſolutam ut docebat febris cauſam.

Supereſſe ergò a morbo obſtinatam ſanguinis *ſtaſin* in arteriis ſanguinalibus palam eſt; at hærente in arteriis ſanguinalibus ſanguine, ad *lymphaticas* (quæ ſanguinalium propagines ſunt) reſtagnare *lympham* conſequentia eſt, medentis ergò officii erit ad ſanguinis *ſtaſin* reſolvendam attendere ſimul & ad ſiccandam *lymphæ* eluviem; bene memoris cedere nuſquam feliciter, ut ut feliciter inſtitutam ſtagnantis ſeri exſiccationem, quandiù durat ſanguinis *ſtaſis* in ſanguinalibus vaſis, iſthæc enim cæca illa eſt viſcerum labes, qua præſente infauſtam pronuntiarunt artis ſapientes immanem quamvis factam ſub *hydrope* ſeri evacuationem, ut pote quæ ægrotum ab effectu morbi non

a cau-

a cauſa levat. Hæc interim non omittenda, juvabit enim tum expediendo viſcera ab humorum pondere, a quo compreſſis vaſis periculum fit, ne illorum *tonus* fatiſcat, tum paratos tuendo ultimos *ſecretoriorum* exitus, ut dùm *aperientium*, *amarorum*, *martialium* (fortaſſis & *venæ ſectionis*) opera reſolvetur in majoribus vaſis facta ſuccorum *ſtaſis*, in vaſis minoribus libera inveniant & aperta effugia reſoluti ſucci.

Intereà hinc diſcat medicus perpendendum eſſe ſibi in curandis morborum *ſucceſſionibus*, qualis ſit ſanguinis albæ partis circuitus ratio, conditio nempe, ſitus, mutatio; a *lympha* enim naſcitur ſuccedaneorum morborum pars maxima, & a *lymphæ* qualitate, loco, habitu, motu, veniunt morbi *ſucceſſionum* diſcrimina. *Lympha* eſt a qua fiunt omnes non tantùm *hydropis*, *œdematis*, fluxionumque & *catarrhorum* ſpecies, ſed & viſcerum *obſtructiones*, *ſcirrhi*, tubercula tumores, & *glandularum* duramina, tot enim vaſis adactæ *lymphæ* fructus ſunt, ubi vaſculorum anguſtiis preſſa compactaque in ejuſmodi tubera emergit; ſi adhuc obſerves arteriaca eſſe illa vaſcula intra quorum parietes denſata iſthæc *lympha* coercetur, intelligere erit *arterias* eſſe obſtructionum ſedes, adeò ut in *arteriis* ſanguinalibus fiat partis rubræ ſanguinis *ſtaſis* & in *lymphaticis* partis albæ ſanguinis mora, utrobique enim arteriales tubi ſunt ad ingluviem proclives, quoties ſuperiores illorum uberiùs præoccupaverit humor, tunc enim irruentis humoris progreſſui obſiſtendo ipſius moles, illum moratur, denſat, induratque; indurat, inquam, preſſa enim lympha (quæ cogi facilis eſt, indèque denſari prompta) forti, jugique arteriarum *elatere*, lanæ ritu quæ preſſu concreſcit, in coagmentum arctè denſatur, dureſcit, corporatur: Hæc forte curiosè magis quàm utiliter inveſtigata viderentur: verùm qui cogitabit ſub illa ſanguinis alba parte latere ſanguinis fibram, quæ de *ſolidorum* familia eſt ſeu de villorum numero qui *contractiles* natura ſua ſunt aut *elaſtici*; inſuper qui meminerit, quanti *elateris* ſint *arteriarum* tunicæ, docebitur qua cautione indigeat *ſcirrhorum*, *glandularumque* dureſcentium cura, ſeu morborum ejuſmodi quos fatui aut emortui ſucci fovere videntur; revera enim a ſucco pendent qui in radice *elater* eſt, eoque intrà *elaterem* coercito: unde ratio ſe prodit propter quam audentiùs aut temerè tractati ejuſmodi tumores, dolorem ſæpe contrahunt, & interdùm *carcinomatis* induunt naturam.

Inſuper, quod coronidis loco hic erit, in *lymphæ* preſſu, attrituvè habes non infinceram illius morbi cauſam, quam aliis bene multis ſuccedere non inſuetum eſt, partium nempe maciei, *tabis* aut *atrophiæ*; cum enim hi affectus alibilis ſucci vitio enaſcantur, num aliquando delinquit graviùs alibilis ſuccus; quàm cum a nativa *diatheſi* deſciſcit? tale autem eſt ſucci nutritii qui actiùs premitur delictum, ſic enim canalitiæ (unde conſtat) particulæ depreſſæ nimiùm ſolideſcunt, ſuiſquè defectæ cavitatibus nutricationi ineptæ fiunt, impares nempe farciendis detritarum partium, quæ canaliculorum compacturæ ſunt, canalitiis particulis. Neque hæc eſt animi in commini ſcendo laſcivientis inutilis idea, quam aſtruit tabidis medendi ratio ſolemnis, uſus enim oſtendit nihil conferre magis ad illorum medicinam, quàm ea in quibus integræ magis ſunt, quas inſevit creator, canalitiæ particulæ, qualia ſunt ex avena, oryza, hordeo pulmenta; enimverò ſi ex iis quæ ad animalia ſpectant non nulla ſunt, quæ ad has curationes laude aliqua digna ſunt, lactaria erunt vel animalium lactes, ceu lactariæ partes, exſangues ſaltem, ut ſunt vulpini pulmones & vitulini, pullorumque juniorum carnes, quibus addes *limaces*, *ranas*, *teſtudines*, *oſtrea*, *cancros fluviatiles*, ex piſcibuſque non paucos, edulia omnia, in quibus *lympha* quaſi pro ſucco eſt, proindeque a carnibus in tantùm alienis,

& canalitiis primordialibus particulis in tantùm adhuc turgentibus, in quantùm partem ſanguinis rubram participant minùs.

CAPUT XXII,

ET ULTIMUM.

De morborum incurabilium curationibus, ubi de medicina negativa, ſeu de non agendis in medicina.

UT ut miſerabile malum, ſevius ſit patientia; quæ ideò extremis rebus aut extremè arduis pro præſenti remedio habetur; igitur incurabilibus morbis patientiæ inveniſſe remedia aut tolerantiæ inſtrumenta ſuppeditaſſe, illis medicinam adhibuiſſe eſt: ut enim indeclinabili morti ſolatio eſt *euthanaſia*, ſic in curabili morbo remedio eſt ferendi illius facta facilitas. Id boni ut ægrotanti commodet medicus, in curando attendet ad inſanabiles morbi cauſas, ut quas ſuperare non novit, cicurare diſcat; eaſnè laceſſendo remediis? *crabrones* ſæpe *irritare* erit, illius enim non rarò ingenii ſunt aut hoſpitii, quò uſque aut nullatenùs aut periculosè remedia pertingunt, adeò diſtantes, teneræque ſunt vel faciles lædi quas incolunt ſedes! tam moroſus impatienſque tangi qui illas alit humor! de incurabilium enim morborum cauſis obſervabile eſt, eas ut plurimum aut occupare nervos, aut in *lympha* poni, quod idem illis eſt ac penitiores ſuccos & ſedes occupare; ſed ſi hinc proferat ſe minùs adhuc curationis difficultas aut periculum, memineris nulla eſſe tam inemendabilia quàm *nervorum* & *lymphæ* vitia. Verùm quæ aperto marte aggredi intutum fuerit, clàm & ſenſim illa debilitari fuerit conſultum, iis nempe pabula reſecando.

Diætæ munus hoc erit atque poteſtas, quæ vel ſubtrahendo ſuccos, mineram minuet mali, vel huic adverſantes ſuppeditando caſtigabit ſenſim & ad meliorem adducet frugèm. Quantumvis enim altè infideat *lympha*, imo etiam *glandularum* & nervorum meditullio, vel ipſis oſſium medullis, a ſanguine uno pendet ut aleſcat; ſanguinem ergò immutari, *lympham* emendari erit, eò tutiùs & feliciùs, quòd cum circulationis conditioni ſubjecta ſit, *depurationis* quoque, aut *tranſpiratinis* ſerviat neceſſitati, ſic ut intereadùm ſuccorum alibilium benignitate morbida *lympha* demulcebitur in dies, *tranſpirando* in dies renovabitur. Quoſvis ergò receſſus arcanos illa præoccupaverit, *ſpaſmo* quantumvis rigeant nervoſæ partes, innocuum fit in alimento medicamentum, vel alimentum ſimplex, nativa ſua benignitate creatoris digito medicatum.

Et reipſa ſub ejuſmodi curationum ambagibus, ubi rerum obſcuritate obnubilata cæcutit humana mens aliquidnè medico conſultius erit, quàm eò confugère, ubi durant adhuc ad vitæ tutelam inſtitutæ creatoris leges, hoc eſt ad inemptas dapes, ſimplices cibos aut inartificiales, medicamentoſos eò magis, quò medicati minùs ſunt, leves enim ſunt, tenues, inſaporati, ſicque exquiſitis ſaporibus defecti, neutri ſunt, *adiaphori*, ad naturæ nutum, ad hunc vel illum effectum parati; verbo remediorum matrices, naturaleſquè medicaminum moduli, qui a medente eò tutiùs uſurpabuntur, quòd in futuras vitæ neceſſitates a ſummo conditore tam veridico, quàm vero proviſi fuerint. Hæc ſua per nomina aut titulos definire, peritiæ medentis erit aut ſapientiæ, intereà monuiſſe juvabit, congruentia magis futura eſſe ea quæ de diluentium claſſe

erunt

erunt, quæ tum aquarum more vaſculorum permeent receſſus, tum affinitate ſubſtantiæ cum *lympha* coeant aut corporentur.

Sic eliqueſcens fluxavè morbida *lympha* ad circulandum paratior fit, fruſtrà tamen adhuc, ni aliunde ad id etiam determinetur, ut enim illam in vaſorum capillamentis hærentem ad centrum corporis aut majora vaſa evocari neceſſum eſt, ut publico ſanguinis fluento reddita, ad *ſecretoria* feratur, ad illa majora vaſa pandendum illi hoc iter eſt. Venæſectionis officium illud erit, quam qui ad incurabilium curationes modulari ſcitè noverit, ultrà fidem eſt, quot mala, quot pericula, quot labores antevertet, quàm diùque nec moroſus cauſariam tolerabit ægrotus vitam; enimverò cavet ſub incurabilibus identidem ſecta vena, ne ad ſtagnatum *lymphâ* locum tantùm humoris confluat, facitque ut ſanguis depleta ſentiendo vaſa, prementiaque minùs diffletur meliùs, tandemque cum *ſolidis* contranitendo minùs, minùs laborum ægroto pariat: attendendum quoque ſub incurabilibus morbis latere ſæpe contagium aliquod, ſexui modò, modò familiæ, regioni interdùm proprium, unde ſuas in curando medicus mutabit aut mutuabitur *indicationes*, ſic ægrè invenias in feminis difficiles morbos, quibus admixtum non obſerves aliquid *hyſtericæ paſſionis*; quapropter morborum ejuſmodi remediis *caſtorei* aliquid admiſceri ſapientis apud *italos* magiſtri conſilium eſt. (a)

Iiſdem familiaris eſt *menſium* alicujuſmodi vitiatio, ſive quantitate, ſive qualitate delinquant, ſive aſſeclam, comitem, aut vicarium habeant *album fluorem*; quæ ſcrutari medicus interrogando ſi omiſerit, officio artis & ægrotæ deerit ſolatio. Similiter familiæ ſunt quas aut *arthritis*, *phthiſis*, *nephritis*, *hæmorrhoides* aut *melancholia* infeſtat, quod ſi ſciſcitando recognoveris, pro comperto habeas, ex his affectibus alterutrum venire in partem incurabilium morborum, qui cadunt in illius familiæ nepotes. Denique *endemii* morbi ſunt, & terrarum aut regionum peccamina, quæ ad morbos incolarum incurabiles facere non mediocriter, obſervabis: hinc quid *ſcorbutici* ſubeſſe incurabilibus littoralium morbis confeſſa res eſt; nec infrequentia exempla aliorum ſunt, qui *colicæ* obnoxii ſunt quia terras incolunt ex quibus alba proveniunt aut maſcula vina; aliorum qui *dyſuriæ*, quia illas incolunt terras quibus pro potu ordinario *cereviſia* eſt: porrò in his omnibus morbidam *diatheſin* latere intelliges, unde malitiæ non parum incurabilibus morbis affricabitur, hincque ſe dant non infrequenter morborum aut morbi cauſarum circumſtantiæ, quæ ſanguinem mitti poſtulant, ut qui inſanabilis eſt morbus tolerandus veniat; id autem obtinetur ab ægrotante arcendo *phlogoſes*, dolores, ſimiliaque graviora *ſymptomata*, imprimis humorum *colliquationes*, quæ difficilium morborum peſtes ſunt, ut pote quos, ſiccando vitæ fontes, aut incurabiles reddunt, aut lethales; ſed humorum *deliquia* vel eluvies præcavet nihil tam efficaciter, quàm venæſectio, quæ ſuccorum ut copiam, ſic & preſſiones minuendo, *ſolidorum elaterem* mollit, *fluidorum* frangit impulſus, proindeque humorum *præcipitationes* antevertit.

Nihilominùs tamen ut ut nullum tam præſens eſt remedium quàm venæſectio, ubi præcipitis alicujus eliquationis præſentia urgent, ſic ubi (veluti ſub incurabilibus) tempus aut otium conceditur, alterum præſto eſt tutumque auxilium, ope cujus humorum exſuperantiæ & *præcipitationibus* certò occurritur, victus nempe ſobrietas aut parcitas alimentorum, qua ut utilius nihil & potentius ad ſanitatis tutelam, animi vim & corporis longævitatem, ita

(a) *Baglivi.*

accommodatius ea nihil & tutius ad infelicem insanabilium morborum curationem. Semper enim plenum est corpus humanum, ut pote compactum ex vasis seu tubulis qui semper pleni sunt; sed nusquam illud tam plenum est quàm cum morbo laborat, quo tempore humoribus stagnatur; igitur sub morbido corporis statu (potissimùm in adultis) succis satiatæ sunt corporis partes, sic autem satiatæ, ut quibus turgent succi eam longè superent quantitatem, quæ perennandæ sanguinis circulationi, proindeque servandæ vitæ sufficeret; nam pulpæ unde tument in sanis partes, pinguedines quibus insuccantur carnes, ventres quibus prominent *musculi*, tot nata sunt subsidiariis succis promptuaria, qui congesti illic in sanis ad partium nitorem & venustatem, ad farciendas in futurum humorum jacturas reservantur. Vacantium autem aut vicariorum illorum succorum quanta sit mensura concipitur ex innumerabilibus membranarum punctis undè scaturiunt illa vasa, *lymphatica* scilicet, quæ succos illos undequàque sorbent ad majores venas eos revectura: tanta est copia succorum qui jugiter ab habitu corporis ad centrum, seu a capillaribus vasis ad majora vasa remeant! sed ea ipsa est quæ coorto morbo intra habitus corporis capillaria intercipitur ab interrupto ab habitu ad centrum circulationis commercio; porrò in illa habetur succorum fundus insignis, qui cum de nutritiorum genere sint, sobrietatis jura, necessitatem, commodaque stabiliunt, ut pote sufficientes corporis viribus sustentantis, quandiù lentescentes & impediti, hinc a circuitu ad majora vasa, illinc a *transpiratione* per minima cohibentur.

Posthàc non aliunde quàm ex illo succorum fundo mutuaberis origines omnis generis alluvionum quæ sub morbis hinc & inde prorumpunt, *diarrhœarum*, *catarrhorum*, *coryzæ*, sputaminum, *fluoris albi* forma, quibus in uno majorum vasorum sanguine inutiles quæsieris fontes; maximè cum paucas illius sanguinis libras brevi siccarent enormes illæ colliquationes, dum è contrà non ferè minùs quàm totius corporis succorum pondus exhauriendum offerunt illa vasa quæ ad majora vasa *lympham* revehunt: in eodem fundo invenies adhuc cruentarum *excretionum*, nominatim *hæmorragiarum* causas & materies, postquam enim diù sudatum est in definiendo, undenam materiæ satis veniret, quæ tam profusis evacuationibus alendis sufficeret, ecce illam abundè suppeditat una *lymphaticorum* egeries, omnia enim illa ejectamina, *lymphæ* sunt aut ex *lympha* latices, quæ cum hoc vel illo humore facto sibi connubio, hoc vel illud fecit sibi nomen, hunc vel illum saporem induit aut calorem.

Sed, quod rei caput est, inde cesset oportet iniqua adversùs venæsectionem querimonia; nonnquid enim erit unde tantùm a venæsectione metuas corporis viribus? has enim ex una majorum vasorum sanguinis quantitate metiendo, venæsectione brevi exhaustum iri clamabant, sed ut succus nutritius *lympha* est, facto hujus ad sanguinem jugi appulsu, ipsius sanguinis augmentum vel proventus est, quæ cum venæsectionis effectio sit, qua resecti sanguinis locum occupat *lympha*, aut corradetur aliundè adversùs venæsectionem exprobrationis materies, aut honori suo illam restitui vult justitiæ lex.

Hæc quidem bona affert venæsectio in curandis incurabilibus morbis, sed neque contemnenda ea quæ contribuet sapienter adhibita purgatio; quidquid enim languoris & pauperiei succorum opponere videatur de morbis illis præjudicata opinio vulgi, sub illis suspicari medicum decet, lentescentium suis in vasis succorum luxuriem, quos identidem suffurari convenit, ne vel mora acescendo *spasticam* inferant, aut augeant *diathesin*, vel ne multitudine sua aut pondere *solidorum elaterem* vincant, partiumvè perdant *æquilibrium*. Hæc autem arcet mala facta laxitas alvi, illis præsertim præsidiis quæ intestina

vel-

vellicando magis, quam ſtimulando, *ſecretoriorum* (quæ hic innúmera ſunt) oſcilla officii admoneant; *epicraſin* illud dixere majores qua volebant molliri partes non pungi, ſuo artis uſu eruditi, quantùm ab *erethiſmo* metuendum ſit iis ſub morbis, ubi expeditas & liberas ſemper eſſe opus eſt partium oſcillationes, ut indeſinenter ſanguinis *depurationi* allaborent.

At infelix erit naturæ & artis omnis ille labor, omiſſa *digeſtionum* aut *coctionum* cura, quæ cruditates prævertat, hinc enim *ſtaſis* omnis principium, ſeu lenteſcentis ſanguinis cauſa. Coctionis nomine vulgò intelligunt ſtomachi operationem: vitio cujus cruditates in corpore cumulari docent, hujus axiomatis authoritate veneranda fulti; (a) *ventris torpor omnium conturbationem & vaſorum impuritatem affert*, attamen licet concedendum certè ſit conferre non mediocriter ad morbos ſtomachi delictum, inconſenquentia eſt a crudo ſtomacho magnam enaſci morborum partem, aut ab illius cruditatibus deducendas eſſe morborum cauſas, hinc enim prætermiſſa quæ antea tradita fuit cruditatis vera notione. *Hippocratis* ſtamus decreto, *ventris torpor ..... impuritatem affert*, agnoſcentes cum illo a *ventriculi* torpore fieri vaſorum impuritates; hoc eſt *ſtaſin* aut lentorem ſuccorum in vaſis fieri, cum ea ratione laborat ſtomachus, qua tritus illius vividior factus, chylum agit eo impetu; qui dum a ſuo recedit principio remittitur; inde enim fit, ut chylus ſtomacho alacer & levis exſiliens, tardus incedat in vaſis, in hiſque ſtagnando pariat cruditates; nihil enim in uſu medico frequens magis, quam, una cum ſtomachi errore adeſſe ſimul fervidam viſcerum *diatheſin*, quod calidum hepar ſtomacho frigido adjunctum nominabunt, quaſi a frigiditate veniret quilibet ſtomachi error; illius autem ſtomachi erroris effectus eſt, ex delinquente *anadoſi* vitiata *diadoſis*, quæ iniqua eſt, aut inæqualis ſucci nutritii per minima vaſa diſtributio, unde *ſtaſis*, ſanguinis circuitus inæqualitas & *ſecretionum* confuſio, quæ omnia valent tam ſingulariter ad inſanabiles morbos faciendos, fovendoſvè.

Hinc autem rationem habes medendi veteris uſus, ad ſtomachum nempe attendendi maximè in curandis difficilioribus morbis; cujus obſervationis malefidi æmulatores non pauci, pro remediis ſtomachum juvantibus unicè habent ea quæ calida ſunt, & *aromatica*, ſed a talium energia fortiori citatior facta, ſtomachi *oſcillatio*, hoſtilem chylo, quia fortiorem, facit impetum; unde tutius erit ea adhibere, quæ ſtomachi firmando *tonum*, ſimul moderantur, ut quem ſemel a ſtomacho chylus acceperit motum, æqualem illum & conſtantem ad vaſa progrediendo conſervet; quod cum a *toni ſolidarum* moderamine pendeat, in quo *anodynorum* virtus & prærogativa eſt, artis arcanum tibi erit in curandis inſanabilibus morbis, ejuſmodi uſurpare *ſtomachica*, quæ inſimul anodyna erunt; hæc autem inter, laudabilia experieris & innocua *diaſcordium* & *theriacam*, vel ſpreto caliditatis periculo, hoc enim nomine perperam damnabuntur, ſi mediocri doſi; fortè etiam *acidis* modò; modò *nitratis* ſociata adhibeantur.

Hactenùs de iis quæ agenda ſunt ad morborum inſanabilium curationes, ſed minoris non ſunt momenti, nec prætereunda ſunt quæ non agenda; rem enim ad obſervationis trutinam inveſtiganti palam erit, ex inſanabilibus morbis eſſe piures, quos inſanabiles fecit alicujus rei quæ omittenda erat uſurpatio. Medicina namque *negativa* eſt, ſeu a remediis continentia laudabilis, medentibus nimiùm inobſervata, qua vel nihil agendo proficerent, dum agendo aliud aut malè agunt, idque quod protelandum erat accelerando. vel adhibendo

(a) Hippoc. *Epid. lib. vj.* ſect. III.

do quod erat prætermittendum. Sic delinquunt quos non capit medentis verè idea vera, qua conſtituitur ſpeculator naturæ, cujus officium non in operando, ſed meditando conſiſtit. Reipſa ab opere ferè dehortaretur provida illa ſapientia, quæ in humano corpore omnia moderatur ordine eo, eaque conſtantia & certitudine, ut nullus motus ſit cujus tramites, veſtigia & fines, juſſa non ſint aut ordinata; unde non ineptè putaveris ſui ipſius medicum eſſe natum humanum corpus, cujus motuum ſub ſanitate leges, ut admirabilis œconomiæ leges ſunt, ſic in illas leges ſub morbis motuum illorum *tendentiæ*, veræ ſunt medicinæ leges, quas in medendo non æmulari, in medendi artem prævaricari eſt.

Itaque prima ſit medicinæ *negativæ* regula, audere nihil quod ſcopo naturæ, moribus aut conſiliis adverſabitur; quod admonuiſſe eſt propriam medici ſcientiam eſſe morborum hiſtoriæ cognitionem, qua genuinorum morbi *ſymptomatum* eruditus, ad eorum nullum incautus ſtupeat, vel hæreat ignarus. Igitur ut providentiæ eſt per periculoſa loca itinerantis, de inſidiantium latebris præmoneri, ut ab illis ſe tueatur, & de viarum tutaminibus edoceri, ut illorum effugiis evadat, ſapientiæ medentis eſt de morborum *ſymptomatis*, diſcriminibus & inſidiis erudiri, ut ſciat quibus poſſit habere fidem aut recuſare.

Hinc altera ſequitur regula, prudentis eſſe medici ab omnibus abſtinere remediis, quandò anceps adhuc & ambigua eſt cognitio morbi, in illis intereà unicè conquieſcentis, quæ præſens aut futurum morbi impetum frangere poſſunt aut prævertere. Hæc autem cautio adverſus eos erit, qui futuræ *malignitatis* formidine tacti in *ſtibiata & cardiaca* medicamina illico ſe ruunt, peſſimo errore & infelici, ut pote quo non venturam *malignitatem* non infrequenter accerſunt.

Negativæ mædicinæ præceptum adhuc eſt, non invertere ſeriem aut ordinem remediorum; ſic venæſectioni *catharſin* præmittere, ubi utraque neceſſaria ſunt præſidia, in confeſſam medendi peccare eſt. Hæc eadem medicina vetat è pede mitti ſanguinem prætermiſſo brachio, aut è jugulo, pede & brachio præteritis. Interciditur non minùs inverſio remediorum qua ea adhibentur ineuntibus morbis, quæ his progredientibus aut abſolutis ſuccedere ſolent; cujuſmodi delictum eſt *catharſin* naſcente morbo jubere quæ illi declinanti debetur; cum *orgaſmi* caſus, præterquam quod rarus ſit, regulæ hujus ſit exceptio: tandem docuit obſervatio nefas eſſe exhiberi ineunte *dyſenteria*, vel ſanguinis fluxu radicem *Braſilienſem*, quæ veteraſcentibus illis morbis feliciter adhibetur interdicitur præcocior uſus *bechicorum*, *incidentium & expectorantium* ſub *tuſſis* & pectoris morborum primis temporibus, tunc enim partes affectas inopportunè ſtimulando fruſtrà provocant, humoremque crudum aut imperfectè ſubactum perperam laceſſendo non obtinent, tantumque abeſt ut cicurent eum, quem acuunt & eliquant magis. Pari patet periculo *aperientium* & *martialium* uſus, qui naſcentibus viſcerum obſtructionibus prohibetur, profuturus tamen inſigniter iis ipſis progredientibus. Supereſt remediorum genus duplex, in quorum uſu ſanctè ſervanda ſimilis interdicti lex; alterum eſt *cortex Peruvianus*, qui a febrium initiis arcendus eſt, tutior enim & felicior eſſe ſolet poſtquam febres proprio marte deflagraverint; alterum *aſtringentia*, quæ a fluxionum principiis prorsùs removenda ſunt, maturiùs enim uſurpata periculoſi ſunt eventus, *hæmorrhagiarum* exemplo, quæ *aſtringentibus* maturiùs compreſſæ mille mortis inducunt cauſas: proſunt enim *aſtringentia* minùs coercendo *fluidorum* excurſiones, quam firmando, reſtituendoque *ſolidorum tonum*. Negat adhuc medicina ſub paroxyſmorum temporibus auxilia, quæ illi tranſactis

factis neceſſaria ſunt aut proficua; hujus ſortis eſt *cortex Peruvianus*, cujus uſum durante paroxyſmo intermitti neceſſe eſt; hùc & ſpectant ex carnibus juſcula, quorum locum tempore paroxyſmi utilius occupabunt ex *hordeo*, *oryza* aut *avena* decocta, ſorbitiones aut pulmenta, *emulſioneſvè* ex amygdalis dulcibus aut ex ſeminibus frigidis parat. Juſculorum autem mentione facta recordaberis neganda ægris illa eſſe quæ ſuccoſa nimiùm ſunt, nimirùm ex multa & multiplici carne coalita, hinc enim fomites, unde longiores morbi fiunt aut difficioleres.

Quod enim ad medendi uſum obſervabile maximè eſt, non aliunde plura quam ex diæta proveniunt medicinæ *negativæ* dogmata; his de cauſis, quod cum a laudabilibus alimentis ſanitati veniat id omne quod habet boni, ab inopportuna alimonia oriuntur perplura morborum incommoda, unde diætam ut decet caſtigaſſe, morborum radices & fructus præcidi putaveris. Optima enim ut medicina eſt negatus opportunè cibus, præſentiſſimum morbis ſit remedium apta diæta; ſed hac aptior judicabitur nulla, quam ea quæ creatoris inſtituto & naturæ votis congruit magis, ut pote quæ illa naturalis unicè ſit, vitæ ſimul & ſanitaris in ſe ſemina condens, proindeque non carnaria, cum a primorum hominum alimentis exulaverint carnariæ dapes, qua de cauſa ab ægrotantium victu has quoque exulare jubebit, qui *Hippocratis* cibandi ritus in morbis non ignarus, noverit non ſolùm, quot nauſeas, vomitiones, *diarrhœas* ſimileſque humorum *colliquationes* amoveat ab ægris diæta ex *oryzæ*, *hordei*, *avenæ cremoribus* aut pulmentis ordinata, ſed inſuper quantùm ægrotantium ſanguini & humoribus parceretur, hoc eſt quam parcior foret venæſectionis & purgantium uſus, ſi ab ægrotantium victu abeſſent ex animalium carnibus elixa, ſaporatata, inſuccatave edulia. At quia felicitatis tantum ſperare vetat carnium uſus ad morborum curationes facta conſuetudo, hic valebit ſolùm medicina negans ad minuendum quod reſecari voluiſſet malum nimirùm carnes quas ab ægrotantium victu arceri præoptaſſet ſic temperando, ut nec ex unius, nec ex ſuccoſis nimiùm carnibus ſint juſcula ægrotantium, ſed partim ex junioribus, ferè adhùc lacteſcentibus, partim ex *oryza*, *hordeo*, *avena* ſimul admixtis, vel quod adhuc optabilius erit, quia efficacius, diæta erit tum ex ejuſmodi juſculis, tum ex *oryzæ* aut *hordei* cremoribus ſecunda quaque hora intercalatis, ſic ut ſingulis poſt juſculum ſecundis horis, alteruter ejuſmodi cremor interponatur. Ars hæc erit ad ægrotantium uſus cicurandi carnes, ſic enim carnium quæ ad hominis victum ſuppoſititiæ ſunt viribus æquipollentes factæ alimentorum naturalium magis potentiæ, illarum ni mutant, alterant ſaltem aut æquiparant ingenia.

Hæc ut in univerſum de omnibus morbis vera ſunt medicinæ negantis præcepta, ad nonnullorum curationes nominatim neceſſaria ſunt, ut potè cum ab illorum contemptu proficiſcantur graviſſima quæ poſt ſe trahere ſolent ſymptomata. Morbi illi aut affectus *convaleſcentium* ſunt, *puerperarum* & *infantium*, quibus ſuccoſa aut validiora edulia negare, a diuturnis incommodis tueri illos aut expedire eſt. De convaleſcentibus confeſſa res eſt, ex his permultos recidivis, ideò objici, quod de cibis quibuslibet aut nimiùm illis indulgeatur, aut de ſuccoſis concedantur valentiores; hinc inſidiæ, imparibus enim adhuc *ſolidorum* oſcillationibus vincendæ illi ſuccorum moli, ſubigendiſque vel ordinandis vividioribus illorum *elateribus*, indomitæ ſuperant materierum teliquiæ, quæ *reſiſtentias* hac illac per viſcera diſſeminando, *ſtaſibus*, impedimentis & *obſtructionibus* ponunt initia, hoc autem aut ad *chronicos* affectus iter aperire eſt, aut prægreſſos morbos, *acutiſſimos* fortè reinvitare. Igitur poſtquam a ſolita *Hippocrati* diæta recedere moris eſt, valeſcit hoc medendi dogma, in-

ciban-

cibandis convaleſcentibus levius eſſe delictum in paulò parciori, quàm pleniori paulò victu, hocque ſimplici magis aut ſaporato minus, quam exquiſito nimis aut ſuccoſo magis, dum enim pauca ſunt & toleranda quæ convaleſcentibus affert incommoda ciborum eſuries, frequentia ſunt & infenſa quæ dat illorum ſatietatis. Exinde intelligitur adhuc quantum a vino & ſimilis energiæ potulentis periculi impendeat convaleſcentibus, cum enim ut oſcillationum, ſic febricitationum ſuſcitabulum vinum ſit; ab illius feſtinatiore indulgentia repetes non infrequentes convaleſcentium labores.

De puerperis res non comperta minùs, quarum dolores, tormina, febres, diarrhœas, mammarumque affectus qui radicitùs inveſtigaverit, horum omnium origines in pleniori aut valentiore cibatu inveniet, videlicet in jurulentarum offarum, ovorum & vinorum licentia, quibus præmaturè, primis nempe puerperii diebus ſuperobruta ſanguinis moles, laceſſitave *ſyſtaltica* vis, ſpaſmos *ſolidis* inducunt, & multiformia *fluidis* turbamenta; his autem carere conſueverunt quæ parcioribus pacatioribuſque eduliis cibatæ fuerint puerperæ, talia ergo illis negare alimenta, artis ſapientia eſt, ægrotæ ſalus, medentis honos.

A cruditatibus enaſci infantium morbos una omnium vox aut opinio eſt, dum morbi nulli ſunt, quibus plura indulgeantur ex iis quæ cruditates dant aut alunt; enimverò ſuis in embryonibus latent adhuc aut languent in infantibus partium *elateres*; adeò ut totus muſtulentus ſit ſanguis, inevolutæque oſcillandi potentiæ; hoc ſub ſtatu nihil non arcendum foret negandumve ex iis quæ molles illas & enaſcentes potentias aut obruere ſtatim valerent, aut maturiùs exſuſcitare: interea is ipſe fructus aut effectus eſt vulgaris infantium diætæ, qua tenella iſthæc & lacteſcentia corpuſcula, carnium, bubularum etiam & ovillarum juſculis & vino inſuccant, malo ſanè conſilio, ſic enim denſiores ſanguini materies ſufficiendo aut craſſiores fomites, valentioribus ſuccis vaſa cumulant, unde veniente *fluidis* pondere nimio, momentum exſurgit potentiùs; *ſolidorum* vi *ſyſtalticæ* inſuperabile eò magis, quod vini ſaporibus imbuta ebriave tota nervorum ſubſtantia, molleſcant minùs, ſegniùſque oſcillent; certè non aliundè elicies meliùs cruditatum, *cachexiarumque* cauſas, a quibus initia ſibi faciunt aut incrementa infantium morbi, quorum ergò labores finiret aut præverteret negata illis carnium & vini licentia.

Hinc diſcant quibus cordi ſunt artis felicitas, hominumque vitæ tutela a vino & valentioribus ſuccis abſtinere in tuenda infantium valetudine; quæ ſi morbis offenſa curam medentis poſtulaverit, ea amabit tractari diæta, quæ conſiſtet in juſculis ex juniorum animalium carnibus, quæ ut pote diluta leniaque, tenellis infantis partibus lacteſcentibuſque illius ſuccis affinia ſunt, unde utrorumque junctis viribus alacriùs accingit ſe natura ad humoris delinquentius tritum, emendationem, concoctionem, quæ ut artis felicitas, ſic & artificis victoria eſt.

Supra numerum ſunt quæ ſimilia ille ſenſit, ſentietvè medicinæ negantis dogmata, quem erudierit obſervatio rerum; hic enim compererit verbis unis duobus contineri poſſe totam medendi ſapientiam; *timere & abſtinere*; inſignia proin quæ ſcuto medicinæ inſcribenda erunt aut gentilitia verba; *timere* ab agendis, a non agendis *abſtinere*: hancque ad mentem medici propria laus erit ad agendum tarditas quæ ad non agendum diligentia erit.

Porrò nec indecorum, nec intutum habebitur iſtuc ignaviæ genus, fultum enim eſt indefinenti medicinæ interioris labori, quæ cum ſub ſanitate corporis ſaluti jugiter allaboret, in ſanitatis reditum ſub morbo tendit aſſiduè, & ſedula conatur. Hæc medicina eſt, medicantis naturæ regimen, ſeu naturalis œconomiæ

miæ legum disciplina, jugiter enitens in protegendas sanitatis causas dum integræ sunt, redintegrandas verò cum labefactantur; cum autem ex creatoris instituto eò unicè tendant illæ leges, in servandas *fluidorum directiones*, oscillationesque *solidorum*, certum in illis medicus habet præsidium, cui tutus suas & ægroti credet sæpè fortunas, ea confidentia, ut rebus in arduis sanationis rarò spes una illi supersit in inviolatis istis legibus, in quas nempe peccatum non fuerit (quod abstinentis aut *negativæ* medicinæ opus & beneficium est) hoc enim sub statu ægrotanti sæpe redit insperata salus, cum tandem aliquando alicunde evacuatio prorumpens, vel subortus naturæ similis eventus, vel clanculùm facta concoctio, hincque ordini suo restitutæ *secretiones* præter omnem medentis expectationem, insuperabilem arti morbum solvunt. Ideòne ergò medicus naturæ auditor tantùm, & ab ore illius pendens tam obnoxius ut agendo reponere sit illi interdictum? a medicina certè abest longissimè tam illiberale obsequium, at noverit se medicus suæ non dominum artis sed discipulum, naturæ nempe candidatum, qui illi assidendo motus illius explorat, auscultat vestigia, nutus interrogat, ut naturæ fiat non infidelis echo, illi enim sic accinere fuescens agere discit, discit & abstinere.

FINIS.

INDEX
CAPITUM PARTIS SECUNDÆ, *quæ Pathologica eſt.*

CAPUT I. TOtius animalis œconomiæ conſpectus naturalis: ceu Naturæ typus, ad cujus intuitum ut naturæ diſciplinam, ſic artis ſuæ partes intelliget medicus & officia diſcet. *Pag.* 1.
Cap. II. Expoſita pergit earumdem rerum ſeries. 8
Cap. III. De morborum cauſis. 16
Cap. IV. De febre morborum omnium radice aut cauſa univerſali. 23
Cap. V. Quæ notio ſit, aut idea morbi. 30
Cap. VI. Origines morborum & occaſiones. 36
Cap. VII. Ab ætatum, temporumque mutationibus natæ morborum origines. 44
Cap. VIII. Ubi ex datis breviatæ hominum vitæ cauſis, deducuntur eſculentorum & aeris in ſanitatem inſidiarum rationes, quæque inde fiunt origines morborum. 50
Cap. IX. De ſymptomatum cauſis, ubi ex ſecretionum erratis & allucinationibus deducuntur evacuationum turbamenta, miſcellanea ſuccorum & humorum adulteria. 58
Cap. X. De morborum ſolutionibus, criſi, judicationibus, ſucceſſionibus. Ubi de apoſtaſibus phlegmonodibus, ereſipelaceis, lymphaticis, &c. Tum de exanthematis, vibicibus, variolis, purpura, morbillis, ſimilibuſque ſanguinis a ſua circulatione malignè delirantis aſperginibus. 66
Cap. XI. De ſanitatis ſervandæ modis, aut arcendis morborum occaſionibus; ubi de cibo, potu, exercitationibus & aliis pabulis vitæ ad longævitatem facientibus. 74
Cap. XII. De curandi intentionibus, ubi morborum motus a moliminibus naturæ diſcernendo, audere diſcet medicus aut abſtinere. 83
Cap. XIII. De remediorum neceſſitate, uſu, opportunitate, alterantium, evacuantiumve temporibus, abſorbentium, amarorum, martialium & narcoticorum utilitatibus aut infortuniis, omnium & ſingulorum agendi rationibus. 92
Cap. XIV. Ubi pergendo in remediorum opportunitatibus, de evacuationis eligendo genere, purgationiſque definiendis temporibus differitur. 99
Cap. XV. De morborum Chronicorum remediis, martialibus, aperientibus, narcoticis, mercurialibus, diureticis, volatilibus, diaphoreticis, cardiacis &c. tum de horum ſingulorum energiis, diſcriminibus, commodis & conditionibus. 108
Cap. XVI. De lacte, acidulis, thermis & balneo. 116
Cap. XVII. De ſymptomatum curationibus. 123
Cap. XVIII. De inſtituenda medendi ratione pro vario, quod morbi ab ætatibus, ſexu, vitæ genere, partium ſitu, natura, ſibi fecerint ingenio. 131
Cap. XIX. In iiſdem pergitur. 135
Cap. XX. De Recidivis, Epigeneſi, Metaſtaſi, & earum curationibus. 141
Cap. XXI. De morborum ſucceſſionibus. 147
Cap. XXII. De morborum incurabilium rationibus, ubi de medicina negativa, ſeu de non agendis in medicina. 154

IN-

INDEX RERUM

In novi Medicinæ Conſpectûs parte ſecunda, quæ Pathologica eſt contentarum.

A

Abſtinentia a condimentis. 79
Acidularum & thermalium aquarum virtutes. 121
——— in chronicis utilitas. 113
Acutorum morborum idea. 20
Ægri quomodo cibandi. 199
Ægritudinum familiarium intuta ſanatio. 32
Ægrotantis vitæ generis, ſtatus aut conditionis habenda ratio. 137
Æquilibrium corporis in quo conſiſtit. 15
Aer & alimenta morborum fere omnium origines. 50
Albicans & coriacea ſanguinis ſuperficies unde. 40. 84. 191
Alimenta vera hominis. 75
——— a medicamentis in quo differunt. 103
Alimenti laudabilis ſigna. 75
Alterantia remedia in ſolida agunt. 97
——— quomodo agunt. 97
Alterantium energia in ſtomachum. 98
Alvi ſiccitas ſub lactis uſu, ſtomachi imbecillitati non debetur. 119
Amara, quomodo agunt. 112
——— ineuntibus morbis intuta. 88
Anaſarca, unde. 68
Animi pathematum effectus. 39
Anodynis ſociari debent remedia chronicis morbis dicata. 110
Aperientium in chronicis morbis ſucceſſus infelix unde. 110
——— agendi modus. 111
Apoſtaſes cujus indolis. 70
Apoſtaſis a morbis relicta unde ſæpiſſime pendet. 146
Apoſtaſium variæ ſpecies. 70
Arteriarum ſectio optima derivandi ratio. 96
Atrophiæ cauſa limphæ preſſus & attritus. 193
——— medendi ratio. 193
Atrophiam inducit immaginis purgatio. 191

B

Balneorum uſus. 123
Bubonum cauſa. 73

C

Cachexia, quid. 148
Cacochymia, quid. 20
Canalis unicus in corpore primùm. 7
Carbunculorum cauſa. 43
Carnes unde minùs alendo corpori conveniunt. 55
Carnoſarum partium mechaniſmus. 49
Cauſa morbi, quid. 42
——— morbotum omnium communis ſuccorum lentor. 43
Cauſæ morborum. 37
Cautiones in uſurpandis aquis. 122
Chronici morbi in quo ab acutis differunt. 108
——— in quo cum acutis conveniunt. 108
Chronicorum morborum idea. 108
Ciborum ſimplicitas utilis. 78
Coctio humorum, quid. 31
Colliquationes, quid. 87. 124
Colliquationum maxima pars a lympha. 86

—— curandarum ratio. 125
Colluvei seroſæ fontes declinantibus morbis. 149
Convaleſcentes quare recidivis obnoxii. 195
Corporum fluxilitas ad purgationem requiritur. 104.107
Corpus humanum totum elater eſt. 1
—— virtutem ſuam aut potentiam creatione habet. 4
—— totum vaſis aut canaliculis conſtat. 6
—— a fluidis quibus turget pondus ſuum mutuatur. 57
Cortex Peruvianus in ipſo febris paroxiſmo non exhibendus. 115
—— ſynochis non convenit. Ibidem.
—— intermittentibus malignis quando convenit. Ibidem.
—— maturis variolarum puſtulis ſupervenienti febri utilis. Ibidem.
—— purgantibus utiliter admiſcetur. 107
Criſes & judicationes, unde. 26
Criſium inconſtantia, unde. 35
Crudum, quid. 65
Cucurbitæ & fricliones, quomodo agunt. 94

D

Derivationi anteire debet revulſio. 93
Derivationum variæ ſpecies. 95
Diæta qualis ad vitæ tutelam. 82
—— ſub amarorum & aperientium uſu. 112
Diætetica epocha medicinæ. 74
Diarrhœa a lactis uſu ſtomachi imbecillitati non debetur. 119
Diluentia, quando utilia. 90
—— qualia. 90
Diluentium liberalis uſus eſſe debet in variolis. 130
—— utilitas in curandis morborum ſucceſſionibus. 195
Diſſociatio corporis rerum, quid. 17
Diſſociationis varia exempla. 17
Diuretica, quomodo agunt. 113
—— acida acutis conveniunt. 113
—— maturiùs non uſurpanda. 113
Dolor, quid. 120
Dolori mulcendo quando narcotica adhibenda. 126

E

Emeticorum ratio. 104
—— a purgantium actione differt. 104
—— delicta narcoticis facilè emendantur. 105
Epigeneſis variæ ſpecies. 141
—— Methaſtaſis & recidivæ cujuslibet cauſa. 146
—— curatio. 145
Erethiſmus datur in omni morbo. 64
Excretiones ſymptomaticæ unde. 86
Exercitatio corporis confert ad ſanitatem. 82

F

Febris, quid. 24. 144
—— omnium morborum cauſa. 24
—— ſolidis propria. 25
—— in quolibet morbo curationis illius inſtrumentum. 27
Febres adultorum in viſcerum apoſtaſes vulgò deſinunt. 142
Febriles affectus ad fluida pertinent. 101
Feminæ ſub febribus menſibus deſectæ non ſtatim è ſaphena ſecandæ. 94
Flatuum cauſæ. 65
Fluida ipſa canalitia ſunt. 6
—— in edendis morbis patiendo multùm valent. 40
Fluidorum alterationes ab uſu remediorum, ſolidorum novis oſcillationibus debentur. 97
Fructuum eſus ſub lactis uſu an concedendus. 117
—— acida ab aliis acidis differunt. Ibidem.

G

Angrænæ ætiologia. 142
Glandularum morbi unde. 43

—— morbis non ſemper convenit per chirurgicum. 146
Gravidarum ſanitatem aſſerit venæſectio. 138
Gulæ intemperies morborum plurium cauſa, 154

H

Hæmorragia narium morbos quos inchoat periculoſos oſtendit. 87
—— non ſemper a vaſorum ruptione. 125
Hæmorrhoiæ variæ ſpecies viris familiares ubi ſuppreſſæ quid agendum. 103
Hæmorrhoidum variæ ſpecies. 96
—— pericula. 68
Hydrops ſucceſſio omnibus morbis communis, privata nulli. 141
—— etiam aſcites purgationem non admittit. 192
Hydropem non accerſit venæſectio. 170
Hydropis humidi & ſicci cauſæ. 67
Humorales morbi quales. 42
Humores varii qui bilis &c. ſpecies ſecernuntur ſunt ſeri varia nomina. 10

I

Impuritas ſanguinis, quid. 41
Incurabilium morboum cauſæ in nervis aut lympha ponuntur. 194
—— —— fontes. 194
—— —— medicina in alimento. Ibidem.
Incurabilibus morbis venæſectio opitulatur. 195
—— —— victus ſobrietas aut parcitas alimentorum prodeſt. 195
—— —— conveniunt diluentia. 194
—— —— purgatio per epicraſin quando convenit. 196
—— —— ſtomachica ſimul & anodyna adhibenda. 197
Infantes catharſin facilius ferunt. 131
Infantibus convenit aliquando venæſectio. Ibidem
—— abſorbentia non nocent. Ibidem
—— narcotica quandoque exhibenda cardiacis admixta. 131
Infantilium morborum ætiologia. 76
Infantium morbos committit aut alit ſpaſtica diatheſis. 131
—— morbi in glandularum tumores aut in rachitidem deſinunt. 141
—— —— plurimi a diæta. 200
Juſcula ægris non concedantur nimium ſuccoſa. 199

L

Lac unde ſub chronicorum finem adhibetur. 112
—— balſamum audit. 116
—— qua ratione prodit. 117
—— —— —— —— nocet. Ibidem
—— aſininum quibus convenit. 119
—— caprillum quibus convenit. 119
—— aſinium & caprillum ſolidorum vitia emendant. Ibidem
—— vaccinum fluidorum dyſcraſias corrigit. Ibidem
—— —— authoritas prodeſt. 119
Lactantium morbi. 140
Lacteæ diætæ leges. 120
Lactis, ovorum & butyri novæ. 79
Lactis coagulatio ſub ipſius uſu non tam metuenda, quam æſtuatio. 118
—— uſum hodiernorum hominum ſtomachus ægrè fert, quare. 80
—— —— quæ ſequitur diarrhœa ut pote noxia, quibus curatur. 119.
—— —— nulla interturbare debet aut ſequi purgatio. 119
—— differentiæ. 119
—— diſperſum à puerperio ſanat venæſectio, purgatio infelicem reddit. 140.
Loucophlegmatia unde. 68.
Lympha quoque nervorum ſtagnat & hæret. 22
—— declinante morbo ſtaſin concipit, unde morborum ſucceſſiones. 148
Lympha nervorum ſtagnatio plurimos & difficiles morbos patit. 22
—— motum & craſin in morbis redintegrare oportet diluentibus. 82

M.

Martialium virtus unde. 195
Mechanismus medicinæ typus est. 84
Medicina sincera notio. 5
—— *munus & Medici officium in quo ponuntur.* 17.48.91
Mel hodie vix impunè stomachus admittit. 81
Membranarum vitii incommoda. 42
Mensium eruptio sub variolis periculosa. 87
Metastasis in quo ab Epigenesi differt. 141.
—— *exempla.* 141
—— *non semper mala.* 142
Mictio cruenta sub variolis mortem portendit. 87
Mœroris effectus. 42
Morbi solutio aut judicatio, quid. 66
—— *puerperia excipientes unde.* 140
—— *dantur primarii.* 142
—— —— *secundarii.* Ibidem
—— *secundarii quinam.* Ibidem
Morbo cuilibet sua datur febris. 27
Morborum omnium publica aut universalis causa. 17
—— —— *causæ, decedentes à suis secretoriis succi.* 23
—— *origines & occasiones sunt elateris augmentum aut immutatio.* 37
—— *successiones, unde.* 67
—— —— —— —— *à solidis.* 147
—— —— *omnes ad tumores vel colliquationes referuntur.* 133
—— —— —— —— —— *à neglecta venæsectione nascuntur.* 148
Morbus quid. 17.24.25.32.44
—— *primarius unicus febris.* 141
—— *modus est non ens.* 37
Motus unicus in corpore orbicus ceu circularis. 11
—— *fluidi cum orbico coit.* 11
—— *in morbo duplex.* 84
Mulierum morbi unde. 138
—— *in morbis quid Medico agendum.* 138.
Mutationes morborum quandoque utiles. 142.

N

Narcotica ipso purgationis die adhibenda, quare. 107
—— *quo tempore exhibenda.* 115
—— *unde in variolarum curatione felicia.* Ibidem
—— *de genere cardiacorum.* 126
—— *acidis quando miscenda.* 126
Natura undè nunc obscuriùs, nunc apertiùs in morbis adversùs eos insurgit. 34.
—— *non semper evacuationem aliquam in morbis molitur.* Ibidem
—— *sæpè in ordine restituendo versatur.* Ibidem
Negativa medicinæ prima regula, nihil audere quod naturæ adversetur. 200.
—— —— —— *altera regula, nondùm cognito morbo ab omnibus abstinere remediis.* 200
—— —— —— —— *præceptum, non invertere seriem aut ordinem remediorum.* Ibidem.

O

Occasio morbi, quid. 37
Occasiones morborum in fluidis. 46
Oeconomia animalis in quo posita. 16
Oedematis causa. 46
Origo morbi, quid. 68
Origines morborum in solidis. 37
Oscillatorius motus solus functiones omnes absolvit. 15
Otium morbos producit. 57

P.

Panaritii seu Paronychiæ ætiologia. 143.
Parcimonia in victu euchymiam facit. 78.
Pars unica unde cæteræ coaluerunt. 15.
Pathemata animi moderari oportet. 83
Polyposarum concretionum causa. 71
Ptyalismus in variolis promovendus. 129.
*Puerperarum in morbis saphena sectionis

nis pericula. 139
—— varii affectus à pleniore aut valentiore cibo. 200
—— tenuior esse debet diæta. 139
—— Morbos præcavet venæsectio gravidationis tempore identidem celebrata. 200
Pulsus durus sanguinis conditionem indicat. 84.88
—— —— inflammationis signum. 84
—— —— membranaceus appellandus. Ibidem.
Pulsuum varietatis unde. 26
Punctum saliens, quid operatur. 6
Purgantia colliquativa regularibus morbis conveniunt. 106
—— —— stimulantibus juncta quibus morbis conveniunt. 106
—— stimulantia malignis. Ibidem
Purgantium effectus duplex. 103
Purgatio infantibus utilis. 101
Purgationis tarditas securitatem ipsius asserit. 105
—— opportunitas. 126

R

Recidivæ, quid. 141
—— dantur non morborum solùm, sed & symptomatum. 143
—— cura à purgantibus non inchoanda. 144
—— —— à venæsectione incipienda. Ibidem.
—— purgationi neglectæ aut omissæ non debentur. Ibidem
Recidivas & successiones inter discrimen. 141
—— —— non facit superstes aliquis humor in visceribus. 144
Recidivis obnoxii morbi. Ibidem
Remedia æstuosa, aromatica, calefacientia, cardiaca, resiccantia & amara sub initiis morborum non conveniunt. 88
Remediorum effectiones febrem morborum curationis instrumentum esse suadent. 27
—— infelix usus quem sequitur incerta tranquillitas. 88
—— deglutitorum vires quomodò ad fluida transmittuntur. 96
Revulsionis idea. 94
Rhabarbarina infantium morbis specifica. 131

S

Saburra humorum non datur in primis viis. 64
Sanguinis nomine quid intelligendum. 6
—— circuitus duplex. 12
—— massa viginti librarum est, fluidorum multò major. 48
—— lentor non glutinum cumulus veræ morborum causa. 65
—— missionis utilitas. 93.126.
—— —— —— in glandularum tumoribus. 136
—— —— —— in spasmodicis & hystericis affectibus. 137
Sanguifer canalis cur non unius posituræ aut declivitatis. 15
Sanguis mittendus ex eo loco quò versùs fertur minus ipsius impetus. 91
Sanitas, quid. 17.36
Saphenæ sectio in pulmonum morbis periculosa. 93
—— —— quibus morbis convenit. 95
Senescere, quid. 44
Senectutis vitium. Ibidem
Seniles morbi unde. 44.133
Senum morbis convenit venæsectio. 133
—— medicinæ error triplex. 133
—— ægritudines in cutis & membranarum affectus desinunt. 141
Spasmodici affectus ad solida pertinent. 131.
—— —— —— —— chronici in spastica nervorum diathesi ponuntur. 101
—— —— —— —— acuti à sanguine fortiùs ad nervos evibrato pendent. Ibidem.
Specifica chronicorum remedia quare sæpe infelicia. 115
Specificorum chronicis dicatorum pericula. 115
Stibiatorum opportunitas. 107.
Stimulantia ineuntibus morbis non adhibenda. 88
Stimulantium maturiùs usurpatorum pericula. 88

Stomacho frigido non debentur ructus, flatus &c. 56
Stomachus quarumlibet ferè ægritudinum origo. 56
Succedanei duntur affectus necessarii. 146.
——— *utiles.* 147
Succus unicus in corpore. 11
Sudor ineunte morbo quibus remediis sanandus. 127
Sudorifera infida narcoticis non sociata. 101.
Sudoriferorum adhibendorum opportunitas. 101
——— *variolis ineuntibus pericula.* 127
Symptomata morborum, quid. 58
——— *sunt conamina partium.* 58
——— *secundaria quæ.* 64
Symptomatum causæ sunt solida. 64
——— *sedes fluida.* Ibidem
——— *variæ species.* 124

T

TEndentiæ, quid. 16
Teneritudo stomachi, quid. 79
Timendum ab agendis, à non agendis abstinendum. 201
Topicorum unde infelicitas in morbis glandularum. 146

V

VArices quando secandæ. 69
Variolæ, morbilli, scarlatina febres succi sunt ad indebitas sedes translati. 103
Variolarum eruptio remediis non prævertitur. 146
Variolis imminentibus an saphenæ sectio, & tartarum stibiatum. 127
Vas omne corporis humani sanguine plenum. 6
——— *illud unicum est.* 10
Venæsectionis præstantia ad morborum successiones. 191
Ventriculo benè se habente, viscera nonnunquam succis crudis impediuntur. 46.
Vesicatoria duplici ratione derivationi accommoda. 46
——— *quando adhibenda.* Ibidem
Victus ratio præscribenda in morbis. 137
Vini usus ad sanitatem non necessarius. 56.
——— *multorum morborum causa.* 56.77
——— *senibus parùm utilis.* 133
——— *sanguinis circuitum non promovet.* 82
Vis unica, elastica nempè succorum circulationem absolvit. 13
——— *eadem quæ sub sanitate functiones tuetur, sub morbis eas restituit.* 36
Vitæ breviatæ causæ. 51.80
Ulceris causa. 70
Volatilia ipso paroxysmi tempore adhibenda. 114
——— *spasmodicis affectibus conveniunt.* 114.
——— *inflammatoriis affectibus nocent.* Ibidem.

PROLOQUIUM
DE
TOLERANDIS MEDICINÆ
NOVIS LIBRIS,
UBI
De illorum utilitate aut damno, de censuræ illorum aut judicio.

MEDICINAM agro comparaveris, quem infestaverint noxiæ aut inutiles herbæ, adeo frumentum superat zizania! Id incommodi pessimo *hominis mali* consilio commissum fuisse nemo crediderit; ecquis enim in genus humanum gratis & malignè sic animatus fuerit, ut etiam sæviendo mortuus, hominum strages & homicidia patrare voluisset? Isthæc enim sors est medicinalium librorum, si pravi fuerint, ut hominum vitis insidientur. Verùm malè feriatorum, otiosorum, imperitorum, invidorum & iracundorum culpâ, id admissum fuisse comperiet, qui sedulus, studiosus veri & iracundiæ purus, rem perspexerit. Hæc illi confessa fiet, qui secum periculo facto, ex scriptis medicinalibus ea sejunxerit, quæ circà dissidia aut lites authorum occupantur, aut quæ inutilia, merè theoretica & *interminabilia* tractant, quæque ad nauseam usque repetita sunt; stupendum enim quot mala veluti genimina, quot frutices cassi, quot spurii fructus, verbo quot superfluæ plantæ terram inutiliter occupabunt, quæ runcandæ venient & exherbandæ. Interim indè fit, ut vitæ, quæ brevis est, pars melior, juventus nimirùm in studendo frustrà sæpè deteratur; qua de causa fit non rarò ut postquam libris medicinalibus impallueris, novitius in arte medendi consenescas. Hinc quoque videas non paucos naturalis historiæ rebus insuccatos, vel medicinam totos eructantes, nihil tamen minùs quàm medicos; medendi enim peritiâ vacui sunt, utpotè qui artis amœnitates venando, utilitates omisêre. Errandi occasio fuit de medicina præconcepta opinio, illam eruditionis titulo habuerunt, quæ multa scire debet, cùm sapientia sit quâ multùm scire convenit. Concedendum intereà, medicum non dedecere *polymathiam*, at illum non facit, adjuvat tantùm, aptiorem medicinæ reddendo; igitur ut eruditio omittenda medico non est, facienda pluris est sapientia. Ingenium hæc est ac mentis capacitas, germana naturæ, ideòque moribus il-

lius, ſemitis & inſtitutis capiendis, internoſcendiſve facta; quæ ingenita animo eſt non aſcititia; quam alit meditatio, ſed quam labefactare potuerit eruditio aut offuſcare. Itaque eligendum medico id lectionis aut ſtudii genus, quod animum vegetando, veritati rerum, naturæque contemplationi parem efficiet, ab altero cavendo, quod delectando mentem aut colluſtrando hallucinatur, mendaci aut erroneo fulgore, qui quam monſtrat viam perdit ac ſuffuratur; certiùs in præcipitium ducturus.

His luminum præſtigiis cautum fuiſſet, ſi in deſcribendis rebus medicinalibus in ea perſeveratum fuiſſet, ſcribendi ratione, quæ medicorum principi conſueta fuit. *Aphoriſtica* hæc erat, cujus generis apud *Hippocratem* ſunt *coacæ prænotiones*, *aphoriſmi*, &c. aut ſimplici, conciſo, ac neceſſario ſtylo exarabatur, cujuſmodi ſunt apud eundem *prognoſtica*, libri *de aeribus*, *locis & aquis*, &c. exemplaris loco adhuc eſſe potuiſſent *epidemiorum* libri iis quibus cordi fuiſſet morborum hiſtorias, curationes & remedia tradere; illinc doctis non in verborum ambagibus aut lenociniis, non in *ætiologiarum* commentis aut tædioſis enarrationibus ea eſſe ponenda, at in expoſitione ſimplici, obvia, & hiſtoria eorum, non quæ ratio aut ingenii fagacitas effinxerit, ſed quæ prodiderit aſſiduum cum naturæ motibus commercium, quæ explaverit uſus, & tempus comprobaverit. Ejuſdem ſtyli exempla præbuiſſent quoq; ſuis in ſcriptis primævi medicinæ antiſtites, qui utpote *Hippocratis* dogmatum tenaces, ſtructuræ orationis ejuſdem æmulatores ſe præſtiterunt. Hujus cenſûs ſunt *Aurelianus*, *Celſus*, *Aretæus*, qui in rebus medicinalibus deſcribendis Hippocratem æmulando ipſiſſimæ naturæ *ichnographiam* delinearunt.

Exinde verò degeneres *Arabes* in rebus & verbis miſerè nugando, à ſimplici, hiſtorico & brevi ſtylo recedere docuerunt, ſummâque rerum (temporum ignorantiâ) potiti, poſteris errandi occaſionem dederunt. Poſthàc veritatis ſimplicitati ſucceſſit opinionum multiplicitas, garrulaque facta, quæ muta nata fuerat, & ſilentio nobilis medicina, in pugnas verborum, diſputationum tumultus & authorum odia deſinere cœpit, tanto autem medicinæ damno, ut *Rhaſi* excepto, vix in aliquorum faſtidioſis voluminibus *Hippocratici*, ſtyli non dicas, ſed dogmatis umbram invenias. Ampliùs, ſummo artis malo, per imperia, regiones graſſando *Arabiſmus*, *Arabum Philoſophia*, authoribus innumeris, non pauciſque ſcholis imitamento fuit. Quot indè manarint ſcripta, quæ *Hippocraticam* phraſin & indolem mutaverunt, nemo eſt qui non intelligat, tantoque & tam infeliciter graſſanti malo ſubjaceret adhuc medendi ars, niſi auxiliatrices manus adhibuiſſet, *hoc vel ſolo titulo ſaluberrima* dicenda, *medica facultas Pariſienſis*. Prævit ſuprà laudes omnes *Fernelius*, facundus in dicendo non minùs quàm ſimplex, ſermone brevis, ſenſu copioſus, quàm utilis, tam amandus. Ex eodem facultatis gremio nati ſunt adhuc *Duretus*, *Hollerius*, *Ballonius* gallicæ medicinæ principes, qui labantem *Hippocratis* cogitandi & ſcribendi rationem reſtituerunt. Sub his glorioſè quia feliciter merebatur medendi ſcientia, quorum ſcriptis, exemplo & documentis redivivo facto *Hippocrate*, medentium magiſtra & artis domina facta eſt *facultas Medica Pariſienſis*. Reverà, exindè quaſi volitantes per orbem redivivi *Hippocratis* manes, medicorum mentes, nullius non gentis, in *Hippocratis* amorem, ſtudium & æmulationem exſuſcitando accenderunt; ſic ut pullularint undique nobiliores *Hippocratis* interpretes aut aſſeclæ. Tales fuêre *Foeſius*, *Mercurialis*, *Cornarus*, *Martianus*, *Marinellus*, *Pinus*, *Zuvingerus*, *Lindanus*, *Valeſius*, tùm è Pariſienſi ſchola *Martinus Caſterius*, tot artis heroes, qui revocando in orbem medicum *Hippocratis* genio feliciter allabora runt. Nihilominùs tamen clanculùm ſerpebat radix amaritudinis, quæ

ſen-

ſensìm ſurgendo otiosè fruticabat, philoſophiam intellige *ſcholaſticam*, quæ ut ut illaudanda, neſcio quo altercandi ſpiritu fœta, authorum non paucorum ſcripta, rixarum, & diſputationum aſpergine fœdabat; unde ab Hippocratica ſimplicitate deſcivit librorum medicinalium pars maxima.

Jejuna ut viſa fuit iſthæc philoſophandi ratio, ad utiliorem veritatis indaginem mentes incitavit, vocibuſque barbaris ſæpè, ſæpiùs ſenſu vacuis res ipſas ſufficere aggreſſi ſunt, an bono medicæ artis & incremento, fama erat; at quod extrà dubitationis aleam poſitum eſt, altera labes medicorum ſcriptis hinc inuſta eſt. Materiæ *proprietatibus* enodandis dicatam eſſe totam philoſophiæ operam multi exiſtimantes, has omnes *proprietates* materiæ motu & hujus ſpeciebus, tum diviſibilitate & hujus formis contineri docuerunt. Inſecabilem ſuſcipientes alii materiem, hujus moleculas individuas, hoc vel illo ſitu ordinatas, hac vel illa determinatione pulſas ſtatuendo, totam phyſices œconomiam conſecutos ſe putaverunt. Saltem, quod pro confeſſo erit, ſuum ad arbitrium ordinandam ut placebat materiem ſuſcipiendo, philoſophandi minùs quàm fingendi licentiam ſibi indulſerunt: maximè cùm excuſſo veterum autoritatis jugo, factâque comminiſcendi copiâ, cuique, ut placitum fuit, de phyſicis dicere, interpretari ea & exponere conceſſum ſit. Ad medicos ſerpens blandum id contagii genus, immò horum molliens animos iſthæc philoſophandi laſcivia, fecit, ut phyſicam, quæ illis abdicanda fuiſſet, ut medicinam ingrederentur, amabiliter amplexi fuerint, undè in tantùm phyſicum non exuerunt, ut medicum vix induerint, adeò poſthàc eorum libri viſi ſunt in philoſophando luxuriari.

Non hìc conſtitit medicinæ jactura, mali fons uberior ex altero philoſophandi genere ſcaturivit, ex *chymia* ſcilicet, quam abſit tam infeſtam medicinæ quàm imperio adulteratam monetam habueris, ut chymiam exoſis placitum eſt, at quæ mendacibus ſuis *analogiſmis*, medicinam luſit non infrequenter. Fortaſsis id convicii genus ad *alchymiam* ſpectare videbitur, utpotè quæ *panaceis* ſuis, *auro-potabili*, aut panchreſtis remediis, multis decipulæ fuerit; at ut ut ſublimes ſeſe profiteantur animos arcanæ illius philoſophiæ adepti, ferienteſque ſydera vertice, fidei quam dederant defuere totiès, ut vix hodie inveniant cui fraudi ſint, aut verba dare valeant. Ut ut ſit emendata quantumvis & ad meliorem frugem revocata ut credebatur *chymia*, ſuis errandi occaſionibus facta ſuperſtes, mendaciis ſuis medicinam adhuc incertavit. Hìc autem, ut aliàs, vitio fuit novandi cupido, quâ caſtigando ſe *chymia*, ſe ipſam perdidit. Quinarium enim principiorum numerum circumcidendo, incaſsùm ſe mutilavit, cùm duo, *acidum* & *alcali* quæ adoptavit, curta adeò & manca ſenſerit tam ſæpè medendi ars, ut ab his reſilire fuerit coacta, eadem quæ repudiarat quinque ſibi reconciliando. At mihi hìc videas in ipsâ arte *analytica*, analyſis vanitatem, cùm ſua ſui ipſius principia *extrahendo* contralendove *chymia*, in auras ferè ſeſe *reſolverit*. Nihilominùs tamen, ſive decurtata fuerit, ſive fuerit redintegrata, medicorum perſeveravit ſic faſcinare animos, ut omnia illorum ſcripta chymiam crepent. Eò gravius crevit malum, quòd facilè ſit & ad omnium manus; ſuppoſititia enim ut ſunt *chymiæ* principia, utpotè quæ prodit una ignis *tortura*, eadem à tortura imaginationis obtinet chymiſta recoctus, eo ſucceſſu, ut quæ in officinis operabitur, ea in humano corpore creaverit. Apprehenderit v. g. *acidum* in ſtomacho, *ſulphur* in jecore, *alcali* in ſanguine, acorem in lympha, hæcque omnia confligere jubeat & concertare, quot ex *equo trojano* milites, tot ex liquoribus ac viſceribus pullulare videbis *fermentationes*, *ebullitiones*, *luctas*, *effervescentias*, eaſque alidas, frigidas, arcanas, manifeſtas, plùs minùs tumultuan-

tes; undè habeas quæ exponant tibi aut ſupponant morborum ſpecies, materias, ſymptomata, cauſſas, horumque omnium rationes. Hæc nugamenta erant & ludibria, in quibus evagantes nuperi medicinæ ſcriptores, ab *Hippocratica* phraſi non tantùm aut ſcribendi ratione, at ab illius quoque mente, ingenio & dogmate aberraverant. Tolerandi quidem, ſi in verbis diſſentientes, conveniſſent in rebus, at nihilo ſeciùs quàm ſi cùm inerti materia, quæ ipſis ad nutum ſecanda daretur & ordinanda, res eſſet, naturam ipſam ſuum ad arbitrium cogunt, ſuiſque aut ſuorum commentorum legibus ſubjicere aggrediuntur.

Præteribis illos, qui cùm è limine nondùm medicinam ſalutarunt, & à ſcholarum pulvere recentes adhuc, methodum quâ ægrotantibus ſibi propè diem curandis medebuntur, ſecùm in muſæo cudunt. Obſervabis alios eſſe nec paucos, nec inferioris notæ, de quibus ſuſpicio non levis eſt, ſuis *ſyſtematis* naturam mancipare, ita ut cauſſæ quas incuſant, quæ commemorant ſymptomata, quas tradunt curationes, quæ recenſent remedia, quas auctarii inſtar aſſuunt morborum hiſtorias, pro mendaciis habere poſſis. In cauſſa eſt in nonnullis præjudicata opinio de partium fabrica & functionibus, quibus eruditè & ad pompam ſtabilitis naturam addicere tentant. Verùm obvia magis eſt errandi occaſio iis, qui liquorum officinalium proprietatibus aſſueti, eas transferunt ad animalis ſuccos, his aptando quæcunque in illis obſervarunt. Hùc ſpectat illorum error, qui quas in materia ſuppoſuit *philoſophia* affectiones, ſanguini attribuendo, *de falſo ſupponente* in medendo ratiocinantur. Sed frequentius chymicorum erratum eſt, qui ex ſanguine eadem quæ ex aliis mixtis aut liquoribus extraneis eliciendo, utriſque non abſimilia ineſſe ſanguini concludunt, nec diſſimilibus rationibus tractanda venire, ſimiliter proindè *contemperanda*, *edulcanda*, *abſorbenda*, *concentranda*. Interìm utrinque mendacium eſt, utpotè cùm tam ſuppoſititia ſint, quæ ex extraneis liquoribus fabricata ſunt, quam aſcititia quæ è ſanguine elicita fuere principia. Inde tamen factum eſt, ut in recentium plurimorum libris, à ſe mutata natura jam ignoretur, ægrè ſaltèm agnoſcatur; quòdque de mulieribus proditur, quod *Hippocratem mendacem fecerunt*, arthritidi, à qua eas ille vindicaverat, culpâ ſuâ factæ obnoxiæ, recentiorum ſcriptis non ineptè aptaveris; mendacem enim arguunt *Hippocratem*; cujus ſic obſcurarunt effata, verba, obſervationes & dogmata, ut naturæ impoſuiſſe Hippocratem, aut verba poſteris dediſſe, crederes. Pro minimo fuiſſet, ſi neglecta aut omiſſa *Hippocratis* dictione, naturæ rerum, obſervationum hiſtoriæ, & narrationum gravitati, ſimplicitativè ſervatus fuiſſet honos, aut habita reverentia, talium enim initaminis auxilio, morborum, quos tractandos ſuſcepiſſent neoterici, hiſtoriam, ſymptomatum ſeriem, hincque tutò deductas *ætiologias*, traditione quàlam, nobis communicaſſent: è contrà ſpuriis *ſyſtematum* fulgoribus abrepti, inprimis principiorum *chymiæ* fuco deluſi, naturam præoccupant, ſuas conſiliorum naturæ loco ſubſtituendo conjecturas, prævertendo motus & conamina illius præpediendo. Hìnc facto primo morbi inſultu, poſitâ nondùm inſilientis morbi hiſtoriâ, ancipiti adhuc *diagnoſi*, operæ manum eos adhibere videas, à remediis auſpicari docendo tùm cùm ſpectamini vacandum eſt & explorationi, quantùmvis inconſcii ſæpè ſint, quæ futura morbi naſcentis indoles, quæ ſpecies, qualis forma, quale ingenium. Donandum id audaciæ artis magiſtrorum in medendo perſpicacitati, qui ſtatim præludene morbo, id auxilii illicò uſurpare norunt, quod venturis turbis, quas uſu ongo ſubolfacere didicerunt, præire ſolitum eſt; at ut omnes non penes eſt id ſagacitatis, medentis ſapientiæ fuerit morborum initio, ab his temperare remediis,

quæ

quæ *draſtica* erunt, ſtimulantia plurimùm, turbaſque datura: his defuiſſe deſcribendis præcautionibus, libros medicinales confuſione, tenebris, aleâ & incertis reſperſiſſe eſt, maximè cùm juniorum & novitiorum ſint non pauca quæ in lucem eduntur volumina, qui ſpeculationibus eruditis ebullientes, quæ cogitando, non quæ exercendo congeſſerunt, produnt in vulgus cruda ſtudia, generalioribuſque tantùm medendi intentionibus inſtructi, quas ſanandis morbis ſatis eſſe confidunt, nulli morbo curando, vincendo ſymptomati nulli impares ſe putant. Nihilominùs tamen in medendo maximè *dimidium facti qui bene cœpit habet*; enimverò in auſpicanda appoſitè morborum curatione, tota medelæ ſita felicitas eſt, quandoquidem ſi inter initia morborum graviter delictum fuerit, damnum indè emergens vix poſthàc reſarcire dabitur, cùm morbi ſpeciem, formam, ingenium, prævertere ſoleat, id delicti genus. Re verâ, quod medentis memoriâ nunquam excidat, morbi non naturæ vi ſit primus morbi inſultus, quem proindè ſequetur nuſquam nec æmulabitur medicus, qui naturæ non morbi miniſtrum ſe gerere debet. Igitur grave quodvis *ſymptoma* unà cùm oriente morbo ſe prodens, naturæ vias quantùmvis affectet, pro morbi impetu erit non pro naturæ motu; hi enim niſus eſt, quo ad *ſecretoria* tendit morbidus humor, præcipitantia ille eſt, quà eò ruit: ille ſit bonis ægri rebus cum *euphoria* & levamine; hæc ægrotantis damno, cum labore & periculo: ſub illo, talia, qualia, eaque noxia excernuntur; ſub hâc vel utilia quoque prodiguntur: argumento ſunt *hæmorrhagiæ*, quæ vel prima morborum initia infeſtant. At nùm erumpente, naſcente morbo, ſanguine, ſub hoc intelligendam eſſe naturæ *tendentiam*, imitandamve concludes? Facinoroſum certè; at piaculum huic proximum eſt, cuivis alii evacuationi quæ ineunte morbo contigerit, favere. Hæc ſunt *Hippocratis* documenta, quorum exemplo innuerent recentiorum ſcripta, & inculcarent, per initia morborum *nihil eſſe movendum*; at ex quo ſuper iſthac nimiùm vulgari doctrina nauſeare cepit, ut putant, medicina recens, in verbis, ſic in factis facta audacior ad inconceſſa prorupit. Hinc ſurgente morbo *nauſea*, *cardialgia*, *vomituritio* ſe produnt? Ad *emetica* illicò confugere moris eſt: *ſudor* erumpit? *Sudorifera* ſtatim adhibentur: *maculæ*, *papulæ*, *puſtulæ* per cutem efflorescunt? *Cardiaca* citò oggeruntur. Prætereundo *nauſeas*, ſæpè ſæpiùs eſſe argumenta intercluſi ſanguinis corporis centro, retrogradi nempè & reſilientis à *peripheria*, undè repellitur ad corporis interiora; omittendo, tunc temporis prodeuntes *ſudores*, impulſi fortiùs & adacti ſanguinis eſſe indicia, qui factus difficilè redux, *ſerum* exprimit; non intelligendo tandem cutis *maculas* aut *efflorescentias*, non purgantis ſe, ſed ſtrangulati ſanguinis indices eſſe; verbo tot argumenta eſſe dejectæ, maleque ſe tuentis naturæ. Porrò his annuere naturæ lapſibus adeonè tutum erit? Quaſi diceres, *alvo* currenti, ſtatim oriente morbo, addendos venire *purgantis* ſtimulos; *micturitione* oriundâ cum febre, jubenda eſſe *diuretica*; datâ *tuſſi*, quæ *ſeri* multùm extundat, *hydrotica* & *expectorantia* eſſe adhibenda; tandem vi febris protruſis *menſibus*, *emmenagoga* aut *aperientia* venire uſurpanda. Neque diſparilitatem cauſaberis, ut enim *ſecretionum* omnium materies eſt *lympha*, ſic omnium *excretionum* materia eſt *ſerum*; cujuſque fit per *vomituritionem* aut per *ſudores* immaturæ protruſio, tam hoſtilis eſt & invitâ naturâ facta, quam quæ per alia emiſſaria cogitur; ubique naturæ vim inferri, mutatoſque, perverſos aut inverſos illius motus, intelligit naturæ familiaris.

Atqui tot *emeticis*, *purgantibus*, *cardiacis*, *ſudoriferis* referta videas recentiorum volumina, tàmque denſâ formularum farragine reſperſa, ut medendi rationem, & cautiones ab arte hodiè exulaſſe credereſ, adeò in libris hodier-

diernis rara ſunt, quæ ad obſervationem aut artis ſapientiam pertinent. Reverà tamen, hiſtoriæ morborum qui tractantur & curationes, non paucas librorum paginas occupant, ſed qua fide incompertum relinquunt, omittendo morbi tempora, occaſiones & circumſtantias, ſub quibus remediorum exiit felix exitus, prætereundoque caſus ubi fuiſſet infelix. Adde, non illis infrequens eſſe, non conſtare ſeriem ſymptomatum quæ recenſentur, ægrèque in iſtis morborum enarrationibus animadverti ſinceros aut naturæ proprios morborum exitus, utpotè quos mutat, antevertit aut opprimit tumultuaria & incondita remediorum vis,

Intereà, abſit credat aliquis, hæc omnia malo aut invido animo, aut unicè ſuggillandi cauſsà dicta eſſe; ut enim authorum fermè nemo eſt, per quem ars aliquatenùs non profecerit, nullus eſt cui non habendus ſit honos: at ſuccenſere liceat, quòd utiliùs, ut digni erant, operam ſuam non impenderint. Potuiſſent autem, ad *Hippocratis* normam temperando ea quæ addenda habebant; qua ratione librorum & lectionum compendio conſulentes, ſuo & lectorum tempori peperciſſent. At authorum non paucorum vitium aut ambitio eſt, ſi novum aliquid aut inauditum de morbo ſcribendum habent, cætera quæ ubique proſtrant invento ſuo addenda ſuſcipiunt, quaſi de mole magis quàm de utilitate voluminum decertandum haberent. Modeſtaque erit iſthæc eorum ambitio, ſi de uno morbo facta ſcribendi occaſione, morbos omnes luſtrare non aggrediantur. Cæterùm, ſua quiſque communicando inventa, ut ferè nemo foret artis curioſus qui aſymbolus defungeretur, conſiliis, monitis, remediis, cautionibus locupletata videretur, non obſcurata medicina; quæ omnia ſi *Hippocratis* ſtylo ſimplici & ſincero, tradita forent, brevi & facili conſpectu ab *Hippocrate* ad nos uſque deſcripta videretur locupletior ſanandi ſcientia. Reapſe minueretur voluminum moles, non autem numerus, ſi enim quæ tantùm ſibi propria ſunt authores contribuiſſent, quod voluminum moli decreviſſet, utilitate & delectu penſaretur, quantoque magis minueretur magnorum voluminum numerus, tanto magis denſaretur tractatuum ſingularium ſeges; quo autem artis & temporis lucro intelligent utriuſque curioſi.

Librorum lectioni diffiſus hâc noſtrâ memoriâ medicus inter Anglos celeberrimus, meritoque celebrandus D. *Sydenham*, quod operæ evolvendis libris impendunt alii, meditationi inſumendo, labantem aut obliteratam *Hippocratis* ſcribendi rationem æmulando reſtituit: quâ arte id beneficii contulerit & conſecutus ſit, oſtendit inſignis illius ſollicitudo, & indefeſſus labor in congerendis ordinandiſque obſervationibus, tùm circà ſymptomata propria naturæ, ex quibus nempè naſcuntur morbi, in quibus pergunt, in quæ deſinunt; tùm circà remedia, corporis exercitationem & diætam, quæ proficua recognoverat; qua occaſione, quo in ſexu, qua durante aeris conſtitutione ſubjungendo Porrò ex his omnibus ideam morbi ſtatuendo, quæ medentem ad praxim informat, magis quàm cauſsæ rationem, quæ erudiret ad garrulitatem, medicinam provexit efficaciùs, paucioribus heu! quibus vixit annis, quàm vel integris ſæculis factum fuerat.

Sydenhamio ſucceſſit D. *Morton* apud Anglos adhuc nobiliſſimus medicus, in deſcribendis morbis tam accuratus, in curandis tam prudens, in explicandis tam perſpicax, ut vel ſolus de *phthiſi* tractatus poſteris imitamento eſſe poſſit, qui naturam pingere voluerint; non imparis erit valoris & pretii ille alter, qui de *febribus* inſcribitur, ubi ea eſt illius induſtria in revelandis febrium ſpeciebus, involucris & metamorphoſibus, ut naturæ contubernalis fuiſſe videatur, adeò moribus illius, ingenio aut indoli aſſuefactus apparet: nec illaudandus qui de *variolis* eſt, ſic enim eas *graphicè* deſcribit, & ad vivum,

vum, ut earum naturam exprimat; lapsus interim in admovendis paulò audaciùs calidioribus remediis, ideò fortè quia *systemati fluidorum* aut præjudicio paulò nimiùm indulsit. De cætero observationum doctrinæ strictè addictus est, dignusque quem medicinæ scriptores æmulentur; nam, in *physicis chymicis & anatomicis* rebus, usum, ut illi moris est, rationi assiduè præponit, undè, dùm artis, quam cum splendore profitetur, theoriæ honori est, praxeos utilitati & profectui servit adhuc magis.

Nec perperàm aut cæco casu hîc laudatur *sydenhamiana* sedulitas, in observandis diæta & *corporis exercitatione* quæ morborum curationibus debentur, inter tot enim ac tanta quæ in scriptis recentiorum desiderantur, veteribus aliundè usitata, *diæta* imprimis annumeranda est, tanti autem olim habita, ut in pluribus licet defecerint *Arabes*, ab *Hippocrate* degeneres facti, *diætam* sic excoluerint, ut etiamnùm illorum laudi sint, quæ de *diætis* reliquerunt volumina. *Diætæ* comes assidua fuerat priscæ medicinæ corporis exercitatio, quæ quanti fuerint tunc momenti, produnt veterum monumenta; immò in ea sola medelæ summam posuerant non ignobiles veteris ævi medici. Hanc autem necessariam curationum conditionem in recentiorum libris sic oblteratam videre datur, ut ei authori non mediocris gratia habenda sit, qui tam insignis auxilii memoriam refricaverit.

Duplex autem illud librorum recentium erratum indè venit primo, quia diætæ factum satis crediderunt, jubendo generatim inter medendum ut victus *euchymus* ægris exhiberetur; at *euchymum* cibum figillatim persequi, tùm variis morborum generibus, occasionibus & temporibus, tùm ægrotantium temperamentis, sexui, conditionibus, item constitutionibus aeris, regionum moribus illum attemperando omiserunt; quod *diætas* particulares olim vocitabant. Neglectûs ejusmodi duplex ratio fuit recentioribus; prior, nimia in medicaminum potentiis confidentia; altera de *euchymis* ex vulgi præjudicio imbibita animis opinio. Eam vim remediis inditam esse rati, quæ sanitati restituendæ par esset, in illis unis medicinam collocaverunt; tùm laudabiles judicando cibos qui actuosi sunt, *sulphurei*, *spiritibus* fœti, præstantiores illos æstimaverunt, qui ex carnibus animalium succosis, utpotè vividioribus & jurulentis constant; non observando dari morbos, in quibus pinguibus & *sulphureis* uti tam ominosum est, quàm faustum & felix usurpare *hordei*, *oriæ*, &c. cremores, cæteraque id genus pulmenta, universæ nota veteri medicinæ, *Hippocrati* imprimis, illius non paucis operibus, pluribusque operum locis. Hinc mirari desines *Sydenhamii* monitum ex carnibus jusculà indulgentis in morbis *inflammatoriis*, eo tantùm tempore, quo ab iis reconvalescunt ægrotantes, qualium jusculorum loco *avenata*, *hordeata*, &c. jubet, quandiù ii morbi vigent. Indè patet adhùc ratio, propter quam *sero lactis* affatim hausto, *dysenterias & rheumatismos inflammatorios* feliciter medicabatur idem ille Anglus *Hippocrates*; iltiusmodi enim sunt affectus, quos alit sanguis præfervidus aut *inflammatorius*, *sulphuribus* tumens, ac tumendo lentescens, qui insuccari indiget minùs quàm dilui, molliri, tenuari.

Fecit occupata nimiùm circà *fluida* recentis medicinæ sollicitudo, ut despicatui, neglectui saltem habita fuerit *solidorum* cura; undè sua laus periit corporis exercitationi. Fama fuit publicaque fides, suri ipsius motûs authorem esse sanguinem, undè hunc actuasse, omne punctum tulisse sibi persuaserunt, in *cardiacisque*, volatilibus & sudoriferis omnem impenderunt artis operam; sed quo successu, aperit perversus non paucorum morborum exitus, qui in incurabiles, difficiles saltèm & morosos affectus, ab adusto, cremato, *alcalisato*, aut *incinerato* sanguine desierunt: auspicatiùs suus eorum labor iis cessisset,

ſiſſet, ſi confirmando, roborando aut reſtituendo *ſolidorum tono* ſtuduiſſent, tantò magis quantò *ſolidorum* vis, ſanguinis ſeu *fluidorum* potentiam ſuperat. Reverà, ſtupendum quantò vegetiores ſint, tùm qui rura colunt, tùm qui laborando vitam ſuſtentant, præ iis qui otio torpent & inertiâ, ſic obſervante latino *Hippocrate*, *ignavia*, inquit, *corpus hebetat*, *labor firmat*. Id ipſum confirmavit præſentis & præteritæ ætatis uſus, nam *quæ neque medicamenta, neque ferrum*, *neque ignis ſanant*, *ideòque inſanabilia æſtimantur*, ſanat & expedit corporis exercitatio. *Colica ſpaſmodica* omnem eluſit medentis curam? Sanat *equitatio*; *arthritis* ſanari tardat, aut dubii exitûs ægrum fatigat? Auxilio venit opportuna deambulatio. *Phthiſi* tabeſcens morti fermè nomen dedit? Hunc ab inferis vindicat *peregrinatio*. Denique non numerandis morbis, ad aquas *thermales* vehi, remedio eſt; an quia *ſulphureæ* ſint & actuoſæ, id quoque in partem venit; at ideò magis, quod cùm diſſitæ ſint, ad *vectionem* cogant. *Vectionis* utilitatem, ex ſuccuſſu & agitatione abdominis concludes, quæ viſcerum fermenta exſuſcitent? Non paucorum interpretatio fuit, ſed veriùs imputabis exſuſcitatæ *foliacorum ſyſtoli*, quæ oblitas fibrarum vibrationes actuando, *occillationes* partium otiantes, ferianteſque *ſpirituum undulationes* refocillando, *coctiones*, *digeſtiones*, *ſecretiones* reſtaurat ac reſtituit.

Sub iiſdem circiter temporibus apud Italos aliud fulgere cepit medicinæ lumen, *Baglivium* intellige, *Hippocratis* dogmatum & ſcribendi rationis aſſeclam fidiſſimum, zelatorem generoſum & aſſertorem, aſſiduum æmulatorem. Is ille eſt apud quem obſervandi methodum ac ſcientiam reperire daretur, ſi medicinæ periiſſet. Artis genium putares, adeò inventorum tenax eſt, curax inveniendorum, addendorumque capax. Enimverò obſervandi ſcientiam tenet non tantùm & peritiam, ſed & viam docet & modum. *Baglivium* igitur obſervationis doctorem facilè nuncupabis, utpotè qui, quod ſtudendo, meditando, & imitando didicit docere aggreditur, adeò ut per exempla non ſolùm proficiat, ſed & per præcepta. Solis his titulis factus inſignis, de arte medendi optimè meritus habendus eſſet, aliundè tamen venit adhuc æſtimandus; notus enim ut erat naturæ, hujuſque aſſuetus ingenio, mores illius ſentiens, pinxit aut expreſſit ſyſtemate ſimplici, facili & obvio, quod vel ſolis his conditionibus naturam redolere videretur. Interim aliis adhùc titulis eam refert; ſinceræ, veræ & confeſſæ corporis œconomiæ conſonat; iterum nedùm in his conſiſtit, priſcis reſpondet & novis, imò & novandis obſervationibus; aut futuris, quò uſquè profeciſſe, nunquid non artis apicem monſtraſſe eſt, aut ſpondere? *Solidorum ſyſtema* illud eſt, quod *fibrarum ſyſtolæ*, aut *elatere* continetur. Fibræ autem *homogeneæ* partes ſunt & ſimpliciſſimæ; inſuper ſuo cum elatere nemini non confeſſæ ſunt, potentiſſimæque habentur; nam cùm præ cæteris partibus, *fluidis* non exceptis, frequentiores ſint, multiplices, communeſque maximè, diſperſæ nempe per partes univerſas, ac ſingulis propriæ, potentiæ præ cæteris erunt & vegetioris & univerſalioris, vixque ab ullis aliis viribus ſuperandæ.

Sub illa fibrarum textura naturæ potentiam intueri licet; ſub illarum conſenſu ejuſdem contemplaberis induſtriam. Fibrarum enim conſonantias, affinitates & commercia revelat *Baglivianum* ſyſtema; quæ ſi pauca videbuntur, *ſolidorum* cum *fluidis* amicabile æquilibrium oſtendet. Illa ad ſanitatem, ſeu ad nativam corporis œconomiam faciunt, hæc ad morbidam partium *diatheſin*. Undè regulas *Baglivius* ſcribit & canones, quibus æſtimabuntur partium *proportiones*, vires & *æquilibrium*, quæ modulum omnium judicent & exuperantias, ut quantùm aſſequendis ſanitatis legibus, tantùm obtinendis morborum *ætiologiis* inſerviat.

Ne-

Neque gratis & temerè effutita iſthæc omnia ſuſpicaberis, tutores enim ſui ſyſtematis habet *Baglivius* & ſponſores, quotquot perſpicaciores habet *geometria*, quotquot numerat oculatiores *anatomia*, quot habet & habuit medicina ſapientiores.

Anteſignanus eſt *Borellus*, qui quaſi ex trutina & ad libellam metiretur partium vires ac *potentias*, mittit has in digitos & ad calculos reducit.

Compar eſt *Bellinus*, fibrarum *contractilitatis* aſſertor inſignis & accuratus, qui demonſtrando quantùm *fluidis ſolida* præpolleant; aperiendo quantula *fluidorum* quantitate opus ſit vitæ ſuſtentandæ, compuerandoque, quàm exiguæ molis ſit *lympha* nervorum, quam *ſpiritus* vocant, genuinos innuit indicationum fontes, eruendos nimirùm ex *ſolidis*, undè proficiſcitur morborum vis major.

His comitem ſe dedit *Pitcarnius*, *Scotorum* medicinæ decus, qui ludibria habitis pororum *configurationibus*, *fermentorum* nugamentis, tùm quæ de *ſecretionibus* ſpargebantur fabellis; firmis rationibus, inconcuſſis argumentis, certis obſervationibus, immò & calculis demonſtravit quod in *œconomiâ* animali caput eſt, rationem intellige coctionis alimentorum in ventriculo, quam ſic expoſuit, enucleavit, expedivit, juxtà *ſyſtematis trituræ* mentem, quæ eadem eſt cum *ſolidorum* dogmate, ut meliùs, certiùs, & utiliùs nemo *ſolidorum* doctrinam tractaverit.

Partium *æquilibrium* quod ſtabilierat *Baglivius*, ſuggillare viſus eſt *Strow* in ſuo tractatu de *mechanices* theoria, at ſepoſita *æquilibrii* vocula, quàm ſecùs ac *Baglivius* interpretatur, de *ſolidorum potentiis* rationes & argumenta prodidit minùs quàm effata, *demonſtrationes* & axiomata.

Solidis *ſolidorum* baſibus ſuperſtructi fuere deinceps nobilioris notæ *phyſiologici* tractatus, cujuſmodi ſunt de *œconomiâ animali* D. *Cockburn*; de *inſtauranda medicina* D. *de Moor*; de *ſanguinis mechaniſmo* D. *Hoffman*; *diſſertationes* D. *Stalhl*; de *natura humana* D. *Bergeri*; tùm de *phyſiologicis* D. *Boerhaave* opus ſculum, ſi molem ſpectes; opificium, ſi utilitatem attendis aut meritum. *Pathologicis* operibus quæ poſthàc evulgatæ ſunt, ſtabiliendis ſerviit non minùs *ſolidorum ſyſtema*; nam omiſſis iis quæ de *ſolidorum* morbis tentavit *Baglivius*, jam prodierant *Bellini* tractatus de *febribus*, de *urinis*, de *morbis capitis*, de *venæſectione*, ubi totus eſt author ille clariſſimus, in exponendis, curandiſve morbis, ad *proportionum*, *determinationum* & *æquilibrii* leges. Ejuſdem ſcopi ſunt & inſtituti illuſtriſſimi *Pitcarnii* diſſertationes, ubi non pauca utiliſſima de *morbis oculorum*, de *febrium* curatione, de *purgantium* & *corticis peruviani* operationibus prælibat.

His annumerabitur *pathologia* cerebri D. *de Moor*, eruditum opus & ſingulare, *mechanicæque* legibus ſuperſtructum, quod authoris & artis ſapientiam redolet, movendæ ſalivæ idoneum, tùm lectoribus quos ſui ad amorem ſtudiumque pertrahet, tùm authoribus quos ad imitationem ſui invitabit.

Neque omittenda D. *Freind* docta ſimul, jucunda & utilis *emmenologia*, ubi *phyſico-mechanici* induſtriam, ſcientiam *chymici*, *medici* peritiam, medicinæque ſapientiam oſtendit.

Cæterum exponendis, ſanandiſve morbis ſerviit non tantùm *ſolidorum ſyſtema*, contribuit quoque enucleandis venenorum effectibus, ut videre eſt in tractatu de venenis D. *Linder*, ubi induſtriè non minùs quàm utiliter, tam ſapienter quàm doctè revelat præclarus author, nefandas venenorum operationes, quas in *ſolidas* partes imprimis exerceri probat.

Denique quod *ſolidorum ſyſtemati* adhibitam fidem & authoritatem evincit, in methodum redigi cepit illius doctrinæ principiis fulta *pathologia*; hu-

jus enim ſortis & ingenii ea eſt, quam nuper exaravit doctiſſimus Leidenſium medicinæ profeſſor D. *Boerhaave*; ſi enim, ut ajunt, *ex ungue leonem*, ex hoc artis ſpecimine augurari decet, quantas, faxit Deus, pandet impoſterùm artis divitias, qui primo in limine tam multas compendio coercere novit.

At quò, inquient, hæc præludia? Quid illis omnibus cum hoc de purgatione opuſculo? Certè ut tutelam inveniat & indulgentiam. Cùm enim præfatorùm authorum doctrinam referat, horum patrociniis uti ambit. An adulatoris titulo, qui laudationes laudum fœnore rependi vellet? Longè ſecùs eſt; in clientelam eorum recipi cupit, non quidem ut promeritas illis probos apud & doctos laudes dividat, at ut ſub umbris eorum, per quos ſtat reſtitutæ & renovatæ medicinæ ſalus, deliteſcens, artis utilitati natum videatur; fide ac tutelâ eorum exceptum, qui revaleſcunt à nugalium opinionum ludibriis, in quibus aut otiando elanguebat, aut perperàm exercita medendi ars evagabatur. Enimverò non ſecùs ac ſtrage facta exercitûs, errantium militum, qui generoſi ſint officii eſt, ad vexilla pedem referre, ſic qui *ſyſtematum* turbine diſſipati ſunt medentium muneris eſt, eò reverti undè diſceſſum fuit; ad artis veritatem, quam ut invenit, ſic tuitus eſt *Hippocrates*; quod ſi fuerit inconceſſum, confugiendum quoque ad eos qui ad *Hippocratem* proximè acceſſerunt, qui licet diſſiti adhuc ab illa ipſius ſimplicitate ſincera, aut ſinceritate ſimplici, in medendo, in ſcribendo, in enarrandove, hanc in curando ſaltem invenerunt philoſophandi rationem, quæ genuinam *Hippocratis* medicinam, quæ ſimplices illius curandi vias, quæve ſinceras illius indicationes, revocet, inſtauret & reſtituat.

Revera optabilius fuiſſet facunda inter mutæ artis ſilentia, naturam in ſuâ majeſtate obſervando contemplari, tacitoque mentis intuitu intellecta illius narrare conſilia, ne ornata verbis adulterarentur: medicum enim naturæ actuarium putes, qui geſta illius deſcribat, qui greſſus, qui calles, qui tramites, qui veſtigia notet, de ſuo addendo nihil præter fidem & veritatem, loqui dediſcens ut agere diſcat; adeò ut hiſtoriæ ſcriptoris inſtar, interpretando nihil, annales ac monimenta ordinet, verba non effutiat aut interpretamenta. Exemplaris enim aut ſpeculi loco habebit naturam, facta cujus factis magis & operibus reddere curabit quàm ſermonibus, quibus interpretata curioſius natura, ſæpè minuitur. Abſit enim ignaros naturæ ſpeculatores commendatos hîc velimus; quàm enim altè ſe condunt operum illius arcanæ rationes, tam apertè ſe produnt imitanda illius opera, quantumque jubent illæ ſilentii, tantùm hæc ſuadent laboris. Interìm utilitati non minùs & nominis afferrent hanc ad mentem deſcripta volumina, ſpondente quam ſibi fecerunt *Hippocratis* libri celebritate, tùm & poſterum, qui dogmatum illius & obſervandi ritûs aſſertores ſe præſtiterunt, nominibus, ſcripta quorum fama durat, peſſumdatis intereà mille millium opellis, quibus *Hippocratis* philoſophiam ſuggillare tentaverant aut deſpicere. Similem expectabis ſortem audaculis illis homuncionibus, qui ſcholarum pulvere ſordidi adhuc, juvenili petulantiâ & imperitis ſermonibus naturæ exprobrando inſultant. Eja (non ſecùs ac *cornix aquilam provocaret*) exprobrando, inquiunt, tandem ſe monſtret decantata tantùm, quæſita tandiù, incognita adhuc illa natura. Hæc ſe det æquiparandam cum *fermentis* & *fermentationibus*, famoſis illis recentioris medicinæ numinibus; quantùm habet illa vanitatis & mendacii, tantùm hæc prodent veritatis & pretii: dùm nullibi eſt iſthæc naturæ chimæra, adſunt ubiquè omnipotentia *fermentorum* entia; quivis præeſt non obſcura *fermentatio*, tam commoda iis à quibus colitur, tam aptè ſerviens eorum votis & obnoxia, ut ex iis diſcipulos minùs quàm cocos ſibi faciat, imitatores

mi-

minùs sibi deviuciat quàm amasios, dignissima tandem (eorum palato) quæ sit illi vice magistræ, aut domicellæ loco. Sic est, ludibriis phantasiæ delusi, in scenam vertunt, jocoseque habent artem omnium maximè seriam, hominumque vitas ridiculè tractant. Mimographos garrire putares, *fermentationes* debellandas ubique videre sibi videntes, quò suos frequentent triumphos; similes scurræ *illi urbano sale noto, qui in obviis quibuscunque moletrinis ponebat sibi expugnandos gigantes: proh Deus, quos, heu infelix nimiùm *fermentatio*, formas discipulos! quos medicos paras!

Has peperit insanias systematum furor, quo ferventibus animis, systematis indulgendum fuit, ne pejora audiret natura; nam enim motibus illius despicatui habitis, *fermentationum* potentias substituere cœptum erat. Igitur garrulâ factâ quæ muta nata fuerat medicinâ, systematis indiga facta fuit, quibus obsistere diutius cum negabatur, cùm tolerabilius ei veniebat, quàm quod ipsi referebat naturam & repræsentabat? Tale autem est *solidorum*, quod idem est ac *tr tûs* & *æquilibrii* dogma, vestigium nempè *ordinis* illius, digito creatoris operibus suis insculpti. Motus est in humano corpore jussus adeò, tandiu constans, quandiù duratura, undè dependet, partium symmetria, proportio, æquabilitas, *solidorum* cum *fluidis* concors & mutuus consensus, placidum, utrorumque *æquilibrium*. *Horologii* enim naturam intelligis? Qui tensus est *elater*, actuat sic, informat aut animat singulos illius orbes ac machinulas, ut hæc æquabiliter in menses circumagat aut hebdomadas? Corporis humani naturam habes, quæ nihil est aliud quàm stabilitus à Deo partium *elater*, nitens in annos, à quo evibratæ *potentiæ*, sanguinem circumpellunt, quamque à creatore vibrationem acceperunt retinent, usque dùm detritis partibus, cadentibusque harum *proportione*, consonantiâ, atque consensu, *æquilibrium* pereat; ut enim labante aut titubante *æquilibrio*, morbi contingunt, pessundato, mors consequitur. Sic definiendo naturam à calumniis vindicabis, quibus illam ut inanem derident; sic enim tam certa erit, quàm confessa numinis omnipotentia in condenda rerum universitate, firmandisque hujus legibus, quibus cùm satisfuerit unico verbo creante expressa Dei voluntas, his conservandis sufficit ex hoc eodem verbo manans, perseveransque creatoris intentio. Quò loci observari convenit, quàm digna sit, quàm nobilis medici institutio, quâ voluntatum creatoris suis in operibus imitator est aut custos. Quàm aliundè spectabilis, quàm antiqua medicina, quàm verè ab *altissimo creata*, utpotè quæ ipsi mundo concreata fuerit, digitoque Dei suis in operibus, exarata; in ipsis nempè motuum illorum legibus, iis, inquam, ipsissimis, quæ medendi arti imitandæ veniunt, sic ut princeps medici laus sit, quòd illum in regendo microcosmo administrum posuerit rerum conditor. Undè liquet, quantæ molis erat & necessitatis, *solidorum* nobile systema usurpare, in exponendis *purgationum* operationibus; hæ enim dogmate fallaci *fluidorum* obscuratæ, altero indigebant, quod ex ipso naturæ gremio nasceretur, ut naturæ scopo & intentionibus in purgando restituendis serviret nobiliùs, meliùs & commodiùs.

Appositè, ex artis nempè & naturæ ingenio, à majoribus traditæ fuerant *purgandi* leges, quas ex eorum operibus, non secus ac inconcussa *theoremata*, exscribere satis fuisset, si simplicitati suæ superstites, non *systematum* fuco, non peregrinis opinionum coloribus, non deviantibus interpretationum cuniculis

* *Dom Guichotte*.

culis adulteratæ fuiſſent. Aſt illas impuritatum notionibus ſordidatas repurgare, fumorum chymicorum nigrore obſitas abſtergere, *tartarorum* denique & craſſaminum pinguibus ideis offuſas emundare opus erat, quod beneficii expectare decebat ab eo *ſyſtemate* quod è ſinu naturæ profectum, naturæ nitori famulabatur.

Cæterùm, id conſilii temerè hîc ſuſceptum nemo facilè putaverit, penès quem fuerit rerum artis, purgationis præſertim hiſtoriæ cognitio. A pluribus retrò ſæculis adhæc uſque noſtra tempora, medicos inter nobiliores non paucos numerare eſt, qui labantes purgationis leges animadvertendo, identidem reclamarunt. Ex his ſunt *Martianus*, *Fuchſius*, *Valleſius*, *Sylvaticus*, *Septalius*, *Ballonius*, *Hollerius*, *Duretus*, *Helmontius*, *Poterius*, *Stiſſerus*, *Konig*, *Thomſon*, *Cnoeſelius*, *Kergerus*, *Garmers in Rubei* exercitationes, *Heurnius*, *Waldſchmidius*, *Sydenhamius*, *Mortonus*, *Baglivius* ſingulares autem hîc ſunt *Heinſius* ſuo tractatu doctiſſimo de *purgantium abuſu*; tùm *Pancratius Bruno* libro de remoris & impedimentis purgationis. Quibus addideris *Stalh* diſſertationes multiplices, eò, ut videtur, collimantes, ut oſtendant, quàm aut noxiæ eſſe poſſint aut inutiles purgationes. Sub denſa hac tutorum nube imprótectum hoc opus nemini certè videbitur, ſi materiem aut inſtitutum ſpectes, ſecùs autem ſi inſtituti rationem. Ecce, inquient, mutanda iterùm venit tota medicinæ facies; linquenda erunt *ſubtilis materiæ*, *atomorum*, *configurationum* amabilia nomina? Obliteranda *acidorum*, *alcalium*, *fermentorum*, *fermentationum*, *exploſionum* memoria? *Humoribus*, *ſordium ſaburris*, *excrementorum acervis*, *ſeri colluvionibus* dicendum vale? De *ſolidis*, *fluidis*, *æquilibriis*, *ſyſtole*, *ſpaſmo*, *triturâ* unicè impoſterùm ſermo erit, utpotè quibus unis habebitur honos?

In cauſſa eſt facta primùm ſyſtematis indulgentia; quandiù *Hippocratis* philoſophiæ, veterumque patrum decretis fides ſervata fuit & reverentia, medicorum *populus erat labii unius & ſermonum eorumdem*, at ex quo *nomen ſuum* medici *celebrare* voluerunt in fingenda ſublimiori philoſophia, ut primævi homines in *facienda turre* Babylonica, confuſa ſic *lingua eorum eſt, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui*. Intereà cùm *lateres* ſeu *fictilia principia fecerant*, *quos coxerant* chymicorum *igne*, *lateres* tantùm ſeu fragiles materiaturas recentiorum, pro *ſaxis* ſeu ſolidis veterum obſervationibus *habuerunt*; porrò fundatam domum *non ſuprà petram*, *ſed ſuprà arenam*, quid aliud quàm *ruina magna* manebat? Itaque ut ſua medicinæ rediret firmitas ad illud *ſyſtema* revocanda fuit, quod naturæ fultum baſibus, naturam medentium manibus tractandam porrigeret. Id autem prærogativæ à *ſolidorum* ſeu *tritûs ſyſtemate* expectandum eſt, utpotè cùm fultura illius ſit ipſiſſima, non ficta, non ſuppoſita, non interpretata, ſed enarrata ſimpliciter, corporis œconomia.

Neque audiendi, qui ſordium ſaburras eripi ſibi indignè conquererentur; felicitatis enim ſumma fuerit ab his ſordidatis notionibus artem nobiliſſimam emundare; aſt id nitoris feciſſe ſibi medicinam adhuc inconceſſum; ſolâ obtinebit *ſolidorum ſyſtematis* operâ, ut excrementorum, impuritatum, purgaminum ideæ caſtigantur.

Neque clamitabunt, ex omnibus medicinæ auxiliis præcipuum, *purgationem* nempè, reſciſſum iri. Revera, ſi humorum acervis unicè deberetur id præſidii genus, tam rara evaſura eſſet, quàm ſordium, quæ non comparent, denſa ſaburra. At ut crebriores ſunt ac compertæ magis *fluidorum ſtagnationes*, quæ ſolvendæ; ut frequentiſſimi *ſolidorum ſpaſmi*, *criſpaturæ*, *ſtimulationes* qui frangendi, ut omnium morborum cauſſæ ſunt deviationes ſuccorum,

horum-

horumque dejectæ *directiones*, *determinationes*, impetus, frequentissima se dabit purgandi occasio, quæ *stimulationes* humorum impetui oppositas excitando, morbidas determinationes mutabit.

Omnem ergò locum usurpabunt *solidorum* affectiones, inordinationes, habitudines? Nec immeritò; nùm enim alicundè expectandum venit fidei plus, plusve constantiæ? Id præstantiæ contingit *solidorum systemati*, ubi fictum nihil, indulgeri nihil sibi postulat, aut suppositum; ubi quibus fulcitur confessa sunt; nam quod *solida* existant, quod dentur *fluida* compertum habetur; *systole*, *elateres*, *contractilitates*, *crispaturæ* palàm sunt; *solidorum* cum *fluidis* luctas, nisus, *potentias*, *rythmos*, pulsus demonstrat; *occillationes* prodit obvia partium *peristole*; hæc cum *acidis*, *alcalibus*, de quibus (an sanguini inexistant) adhuc sub judice lis est, comparata, ea superant tantùm, quantùm viburna cupressi. Quantùm enim *acida* habent figmenti, tantùm hæc omnia rei obtinent.

Cæterùm sic abundè purgabitur *solidorum systema* à novationis labe, quâ mutandam venire ab illo totam medicinæ faciem prætendunt. Non vocum, non verborum, non terminorum scientia est medicina, sed idearum, sed notionum, sed conceptuum; ita ut eadem futura fuerit, suique simillima, quantumvis alia verba usurpet, modò conceptuum eorumdem tenax fuerit; meliùs operandi ars est non eloquendi, undè vocem mutando eadem supereſt, si manum aut opera non mutet. Id ænigmatis revelat medendi scientiæ conditio; excelsum quid aut sublime est, quod concipiendo assequi paucis datur, eloquendo paucioribus; adeò ut de medicina fortassis sentiant digniùs qui de ea balbutire tantùm videntur, quòd conceptuum gravitate præoccupati, verbis imparibus aut ineptis reddere nequeant grandiora quæ concipiunt. Quo sensu sermonibus, non operibus imperiti videbuntur veteres artis magistri. Ut ut sit, quibuscumque vocibus exponatur medicina aut enuncietur, non dispar erit, sic easdem & longo usu confirmatas medendi ideas voces illæ interpretentur. At sic habet *solidorum systema*, ejus enim sortis est, ut obliteratas, obscuratas saltem medentis naturæ rationes atque conceptus referat in lucem aut revoçet. Incouditarum enim ac sine ordine tumultuantium turbarum loco, quas suis in *fermentationibus* medenti sedandas, comprimendas, *concentrandasve* objiciebat medicina recens, harmoniam, concentum & symmetriam sufficiendo *solidorum systema*, naturæ motuum rythmos, æquabilitatem & consonantias repræsentat, adeò ut fermè mederi in numerum edoceret.

At quò tandem exuberans jam nimiùm ac rescindi dignus librorum numerus, super quo jamdudùm nauseat, ructatve medicina? Quo auctarii genere adhuc indigere potest, *Willisiorum*, *Sylviorum*, *Dolæorum*, *Etmullerorum* copiosis æquè ac eruditis voluminibus abundè locupletata? Nunquid alicundè sanioris medicinæ legum copia uberior venire poterit, quàm ex *Willisii* libris? Nùm artis felicitas major expectabitur, quàm ex *Sylvii* operibus, qui dùm viveret coætaneorum medicorum feliciſſimus perhibebatur? Si palatum urit *systematum* prurigo, *systematum* pelagus offerunt *Dolæi* libri. Remediorum, observationum, indicationum, curationum, curandique axiomatum vis maxima te juvat? Præsto erit *Etmulleri* summa medicinæ tam dives & farta, ut medicinæ universitatem verè nuncupaveris.

Certè, quot & quanta his medicinæ recentis antistibus accepta referenda sint, nemo sanæ mentis est qui non intelligat. A nobis igitur abest quàm longissimè ingrati facinoris consilium, tam nobilis notæ medicorum famæ detrectandi. Immò in ea versamur opinione, tam capacibus ingeniis opus fuisse, ut tot bonis cumularetur medicina. At si ex *fructibus* ut arbor, sic progressus

cogno-

cognoſcitur (abſit invidia verbo) non adeò patet, tantis laboribus æquari praxeos medicæ progreſſum.

Quod ad *Williſium* attinet, ut ut æternùm venerandus, hoc titulo carpendus eſt, quòd quam affulgentem ſibi veritatis lucem toto orbi conſpiciendam primus protulit, abjecerit primus, poſteriſque abjiciendam innuerit, ſuperantem ſub morbis *ſolidorum* potentiam in eximio ſuo de *convulſivis morbis* tractatu edocendo, dedocuit in altero de *febribus*, ubi *fluidorum* energiis ſeu *fermentationibus* morborum cauſſas attribuit. Subolfecit igitur (quod *ſolidorum ſyſtemati* honori eſt) *ſolidorum potentias*, quibus ſi morborum aptaviſſet *ætiologias & curationes*, quantùm decoris & ornamenti theoriæ medicinali apportavit, tantùm (& ampliùs) emolumenti praxi contuliſſet. Immò tam præclaro illius patrocinio, *fermentationis* doctrina ſuperbiens; ſtupendum! quantùm invenerit fidem, quàmque nobile ſibi fecerit nomen. Fecit enim authoris celebritas, adjuvante dogmatis commoditate, u partis loco quam *fermentationi* obtinuerat Williſius, dominium illi conceſſerint *fermentationis* zelatores.

Quod apud *Anglos Williſius*, hoc ipſum apud Batavos fuit *Sylvius de le Boe* recentis medicinæ jubar alterum; impari ut videretur exitu; interim licet pauciores nomine viſi ſint *Sylvii* ſectatores, reipſa numero plures fuere. Bilis *alcali*, & pancreatici ſucci *acido*, generoſis illis *effervescentiæ* pugilibus, complexus eſt *Sylvius* totam ſui ſyſtematis œconomiam; quod *Syſtematis Williſiani* compendio laborare erat, nec ingrato poſteris labore; hi enim miſsâ, quam innuerat *Williſius*, *ſolidorum* ratione, ſolam quæ ut compendioſior ſic facilior eſt, *fluidorum* doctrinam ambabus ulnis amplexi ſunt. Exinde ad *acidum & alcali* tota ſe convertit medicina; ita ut quidquid calamitatis & mendacii natum eſt ex pauperculo *fermentationis* ſyſtemate (fateri piget) ſyſtematis *Sylviani* culpâ factum videatur. Hâc eâdem contigit culpâ, ut deinceps de *acidorum* luctis & internecione mentio unicè facta ſit inter medicos, quod debellandi genus, cùm ad *fluida* pertineat, de *fluidis* unica cura fuit & ſollicitudo. *Sylvium* igitur infeſtaſſe potiùs quàm auxiſſe medicinam concludes? Abſit; fecerat medicinæ natum *Sylvii* ingenium, ut vel omiſsa *ſolidorum* mentione, *ſolidorum* curam edoceret, non verbo quidem, ſed exemplo, adeò ut quam aſſecutus fuerat *Sylvius* in medendo felicitatem & induſtriam didiciſſent *Sylviani*, ſeu *acidorum* tutores, ſi qua fide *Sylvianum dogma*, eadem *Sylvii* mentem & methodum tenuiſſent. Hac autem de cauſſa fauſtam ac celebrem fuiſſe *Sylvii* praxin, obſervaverunt artis peritiores; *purgantium* parcus erat, ſed *opii* & *acidorum* amans; quem in finem hinc intelliges. *Purgationibus* non indulgendo, *ſolidorum* ſtimulationibus, *criſpaturis*, *ataxiis* parcebat; his iiſdem, *acida* adhibendo & *opiata*, præibat, quod *ſolidorum* curæ vacare erat & proſpicere.

Spiritus, ſaleſque volatiles, quos frequens uſurpat, vel cibatui admiſcendo cicurat, ut *medicamenti* in *alimento* vices gerant; vel oleoſis & pinguibus concorporando coercet & attemperat, undè exurgit nobilis ac celebratus per orbem *ſpiritus volatilis oleoſus Sylvii*. Undè inferet æquus *Sylviani ſyſtematis* æſtimator, totum illud occupari aut in mulcendis, blandiendis, placandiſve, aut in prævertendis *ſolidorum ſpaſmis*, *criſpaturis* & *irritationibus*.

Solidorum curæ mentem adhibuiſſent attentiorem, *Williſiani* & *Sylviani ſyſtematum* ſectatores, ſi circà anatomiam ſimilem, atque illi celebres medici, ſollicitudinem impendiſſent, ut ad partium ſtructùram modularentur morborum ætiologias & curationes. Huic ſtudio non defuiſſe *Sylvium* recognoſcent ii quibuſcum familiaris & conſuetus fuerit celeberrimi illius *practici* volumi-

num

num usus; at cuilibet obvia hic est *Willisii* sedulitas, qui morbis omnibus quos describere aggreditur, partium affectarum aut afficiendarum *anatomica* descriptione præludit. Porrò si *solidorum* affectionum curaciores facti nuperi sæculi medentes, illorum *coryphæorum* artis exemplo, chymiæ non unicè mancipati, anatomiam suæ medendi arti præire jussissent, *solidorum elateres* & *potentias* præ *fluidorum* viribus longè superiores intuendo, quam commodarunt *fluidis* fidem, *solidis* certè dedissent.

Intereà non dissimulandum decipulæ illis ex parte fuisse ipsummet anatomes studium, cui cùm laus maxima fuerat *glandulas* alicubi detexisse, corporis universitatem glandulas esse in confesso fuerat. Illas autem pro humorum reconditoriis & incerniculis habere, in his erat *fermentorum* nidulamina designare. At ecce à quisquiliis & erroribus ejusmodi hodie repurgatam *anatomen*, & ad purum excoctam manibus eruditis & industria mirabili tradit celeberrimus D. *Ruisch*, vir candoris amans, recti tenax, verique cultor, quo duce & auspice, ab anatomicorum figmentis resipiscere datur. Novo hujus anatomici oculatissimi & industrio liquorum singularium injectu, revelata sunt admissa hactenùs circà *glandulas* errata, huicque debetur sincera *glandularum* cognitio. Hoc authore canaliculorum glomeramina sunt, involucro communi aut tunicâ non involuta, neque cavum, neque cloacam, aut reconditorium sui centro efformantia, sed quæ in lacinias aut extremitates succosas, bibulasque aut spongiosas desinunt: succos ergò sanguini continuos, intrà canaliculorum suorum orbes volvendo, intrà succosas extremitates sorbent atque diffundunt, tandem & foràs eructant. Quod ergò secernendis intrà sinûs sui cavum succorum moleculis, iisque in *fermenta exaltandis* aut evehendis inserviant cogitare, in anatomicis rebus delirare est. Itaque à glandularum erroribus libera anatome, dirutis ad planum *fermentorum* sedibus, ab illorum fabulis tuta facta est medicina; spesque fit non dubia, fore ut *fluidorum* systemati favere cesset facta castigatior *anatome*.

Neque invidebimus gloriæ spectatissimi *systematum* collectoris D. *Dolæi*, cujus, quo magis comperta fuit in enarrandis, evolvendis & exponendis celebrioribus *systematis* industria, eò incerta magis aut dubia facta est *systematum* utilitas. Enim verò quasi de illarum rerum numero essent, quæ luci manifestatæ vilescunt, in vulgi conspectum venire descriptis accuratè *systematis* satis fuit, ut despicatui haberentur. Stupendum enim quî fieri potuerit, ut ferventibus adhuc systematum studiis & amoribus, evulgata cum laude systematum collectio, ambabusque omnium ulnis avidè excepta, statim emergens illicò habita neglectui conciderit: at mirari desines, observando perplura excogitata ingeniosè ab authoribus illuc congeri, perpauca reperiri ab iis usu exercendo comprobata. Sic autem est medentium ingenium, ut ut jucundis recreari gestiat, utilibus præoptat erudiri. Itaque si judicium quo valet clarissimus *Dolæus*, quodque in colligendis medicinæ amœnitatibus, systematumque flosculis adhibuit, in coacervandis, adunandis, provehendisque fructibus artis, aut operibus impendisset, quem *Willisio* & *Sylvio* honorem servat medica gens & reverentiam, similem *Dolæo* concessisset. Interim neque laude fraudandum clarissimi *Dolæi* collectitium opus, quantumlibet enim suis *theoriis* & speculationibus perplaceat, monimentum erit ære perennius provehendæ medicinæ impares esse phantasiæ labores, cùm tot non injucundè excogitata *systemata*, tantaque cum laude, à lauditissimo viro enarrata practicis viluisse recognoscetur.

Atqui observationum *practicarum* collectorem se præstitit apud germanos recentis medicinæ decus *D. Ettmullerus*, in immenso illius opere, quod ut nobis,

bis, ſic & poſteris eruditionis erit prodigioſæ monimentum. Totius artis promptuarium facilè nec immeritò nuncupabitur, in quo quidquid comptioris & jucundioris habet theoria recens, quidquid optimi peperit cujuslibet ætatis medicina, nuperæ ſimul & veteris ſcholæ, *chymicæ* aut *Galenicæ* factionis, id omne collegit. Poſthàc cujus futuri erunt uſûs commodi aut utilitatis medicinales libri? Nunquid non *eandem crambem* non bis ſed milliès recoquere erit.

Equidem, ita res erit, ſi de adjuvanda tantùm, refricandaque artis magiſtro memoria quæſtio fuerit, cui penario ejuſmodi opus ſit, undè collecta ſibi depromeret, ſuoque aptet uſui. Undè *Ettmullerianum* opus ſcrutario aut apothecæ locupletiſſimæ comparabis, ubi multigenæ mercimoniæ coacervatæ ſunt, sùs deque confertæ, undè vetera & nova, ex hiſque optabiliora ſeligi licet. At ſelectus ille, opus & labor eſt, concedendus paucis, paucioribus conceſſus. Immò id operis illaqueandis decipiendiſque novitiis fortè ſerviet, quibus minùs opus eſt libris, qui obſervationes congerant, quam qui eligendi doceant aut obſervandi artem. Verbo, quantùm commodi indè naſcitur ei, cujus uni memoriæ ſerviendum eſt, tantùm alteri afferet difficultatis aut periculi, cujus inſtituendum, formandum aut dirigendum erit judicium. Enimverò, quid agendum ſit in morbis noviſſe pro minimo erit, niſi opportunitatem agendi, locum & circumſtantias fuerit aſſecutus, quibus ſigillatim enarrandis cùm defuerit ſæpiſſimè *Ettmullerus*, ei tantùm fuerit accommodus quem uſus formaverit, quive legitima medendi methodo præmunitus, ex *Ettmulleriano* opere ſeligere noverit & excerpere, quæ datis morborum occaſionibus aptanda venient.

Attamen non prætereundum, quod *Ettmulleri* non infima laus eſt quod non pauca occurrant in illius operibus, quæ optimæ methodo medendi præludebant, quæve eam ſpondebant, ſi tantùm virum præmatura mors non invidiſſet. At iſthæc methodi ſemina, iis continentur illius libris, quos legere juvat pauciſſimos, licet eos legiſſe omnibus profuiſſet. Vitium enim eorum eſt non paucorum qui ad medicinam ſe accingunt, ut ex authorum libris eos legere præoptent, qui *praxeos* nomine deſignantur, iis ſupinè habitis qui praxeos regulas edocerent. Ejus ſunt ſortis apud *Ettmullerum* diſſertationes de *abſorbentium abuſu*, *de opii vi diaphoretica*; *quod parva ſunt magnorum morborum principia*; quibus ſi adjunxeris *commentarios* illius in *pharmaciam Ludovicinianam*, ea habueris quæ methodo medendi utiliora protulit recentiorum medicina. Aliundè, ne recentem medicinam ſua laude defraudaſſe videamur, comites dabimus *Ettmullerianis* iſtis utilioris notæ diſſertationibus *Wedelii amœnitates materiæ mediçæ*, in quibus plures quàm in alio quovis opere recentiorum, *praxeos* cautiones deſcribuntur, ſed *de tramite in viam*.

Equidem tam vera ſunt quàm utilia ea omnia, quæ medicinæ bono contulit medicina recens; at ſingula (abſit verbo injuria) *chymiam* paulò nimiùm ſapiunt; quam ad *praxim* medicinæ adhibere, quo dolo, qua fraude aut quibus inſidiis, aperiunt *Hoffmannus* lib. de *fero uſu & vero abuſu medicamentorum chymicorum*; *Billichius* pluribus in libris; *Boylæus de inſufficientia acidi & alcali*; *Baglivius*; *de Moor*; *Stahl*, cæterique omnes, palato quorum ſapuit *ſolidorum* doctrina. Inſuper, quidquid ſtabiliunt boni illi omnes melioris notæ recentis medicinæ antiſtites, id omne *fluidorum* baſi fulciunt; *ſaporibus* nimirùm, *ſalibus*, *fermentationibus* & liquorum energiis; quæ omnia, laudata hactenùs, nedùm oſtenſa, etiamſi monſtrarentur, ad *fluida* pertinent, in eo proindè ſuſpicioſa futura ſemper, tantoque invalidiora, quantò *fluida ſolidis* invalidiora ſunt. Itaque *ſyſtemate* opus erat, quod ſolidis *ſolidorum* ful-

fultum principiis solidandæ recentis medicinæ *praxi* proficeret, cujusmodi cùm sit illud quod hìc offerimus opusculum, appendicis aut superpondii titulo gratiam merebitur aut indulgentiam.

Tesseram aut litteras commendatitias quibus fidem, quâ ceciderant huc usque *systemata*, apud posteros nostrum inveniat, indè auguraberis; expressa imago naturæ est, cujus organa, mores, leges, motus mutuatur & repræsentat. Itaque cùm naturæ interpretem assiduum se præstiterit *Hippocrates*, suâ cum posterum scholâ; cùmque tot exantlando labores recentis medicinæ magistri, eandem ipsam revelandam susceperint, credere in proclivi est, *solidorum systemati* assensuros esse omnes veteris & novæ medicinæ patres si revivisserent; tantùm indignarentur recentis medicinæ heroes, quòd in sublimiora naturæ arcana immersi, omiserint apprehendere ea quæ obvia sunt in naturali corporis œconomia, & *mechanismum*, unde spontè manabat quod hìc se prodit *solidorum systema*; at eorum pœna est, qui solem intueri audaciùs ausi sunt, cæcutire. Istiusmodi audentiæ sors est in medicina potissimùm, ubi veritatem propiùs intueri negatur, datur odorari. Quod enim de mundo, id ipsum de corpore humano, quod mundi summa est aut compendium, dictum puta, *tradidit Deus disputationi*. Veri enim imagines intueri medico satis est, essentias assequi supervacaneum; has quantumvis scrutetur, attinget nunquam, neque injuriâ, tractandis enim rerum essentiis instituta non fuit medicina, sed veri speciebus apprehendendis; non detegendis veris rerum caussis, sed intelligendis iis ex veris illarum effectibus. In essentias evagando, anteacta systemata corruerunt, dùm ex genuinis naturæ effectibus, ex eorum simplicitate, constantia, ordine, legibus erutum *solidorum systema* solidabitur. Veritatem enim ex naturæ moribus exprimere laborat, apprehendendo naturæ veritatem, essentiam naturæ non comprehendendo, æmulando naturam, non pervidendo. Hinc illius systematis tutamen ac durabilitas, nasci enim ex veris naturæ effectibus, è gremio naturæ oriri est, quæ cùm vera sit, veri *systema* manebit, aut verum inquirendæ veritatis instrumentum.

Tanta est gravitas hujus instituti! Tolerandi ea de caussa quòd illius artis adjuvandæ gratiâ susceptum sit, quæ hominum sanitati adjuvandæ debetur. Si consilii hujus momento paria opponantur rationum pondera, spes erit fore ut amicabili animorum collisione, expolita magis niteat veritas. At, quod arti provehendæ adversatur, quasi senescendo repueraseeret medicina, quæ seniorum sapientiâ protegi vellet aut illustrari, juniorum præoccupatur manibus, qui ætatis ignes & impetus, peritiæ & consiliorum loco sufficientes, audaculè scriptitant in dies, vel ut crudiora studia in vulgus proferant, vel ut quæ ab aliis meditata sunt & exercita usu, vellicent & cavillentur. Artis velites cogites, aut levioris armaturæ pugiles cum obvio quolibet proludium, ambientes, quibuscum confligere, ut lectorum, sic authorum otio abuti fuerit: dignæ enim talium scriptiunculæ, quæ alto silentio sepultæ teneantur, usque dùm melioribus studiis tacitè informati, aut pleniori reformati usu, ea prodant quæ exercendo didicerint, aut experiundo.

Altera est litterarum scabies, dicacitas eorum quos aut agit malè loquendi libido, aut quos urit vermis ille qui non moritur, invidiæ vermiculus, qui linguis referunt famosos veteris ævi sanniones, *Palæmones*, *Bieneres*, *Zoilos*, *Homeromastiges* quemlibet suggillare prurientes. Musarum pædagogos crederes, tam sævum in litteras ambiunt magisterium! In authores ferulam heriliter exercentes, scripta quorum aut arcani livoris aspergine maculant, aut censoriâ virgulâ corrumpunt. Isthæc audent malè memores quale oporteat esse censoris ingenium, quale jus, quæ prærogativa; quàm accuratum, quàm im-

menſum, quàm univerſale deceat eſſe, quâ imbuatur, doctrinæ promptuarium. Omniſcium enim eſſe futurum cenſorem intelligere eſt, ex incredibili eruditione, quâ referta conſpicitur *Photi* bibliotheca, ſi quoſvis, aut de *omni ſcibili* libros judicandos ſuſceperit. Re vera de medicinalibus libris paulò ſecus eſt, nec enim tam longè, nec tam latè ſe diffundit verum medicinæ cenſoris officium; interim quantumvis illius gratiâ minuatur cenſorii muneris pondus, in hunc cadit ut & in cæteros judicii difficultas iſthæc, mentiſque hæſitantia; ſcilicet ut ut eruditus ille fuerit, recens & novitius eſt illius operis reſpectu, quod in lucem venit, maximè ſi inauditi tituli ſit, novam vel nova ratione materiem tractando. Enimverò cùm author evulgat ea quæ ſola per annos meditando recoxerit, cenſore ſuo paratior ad illa reputabitur, utpotè cùm cenſorem corripiat circà alia occupatum. Adde tale futurum libri objectum quod hactenùs inteutatum fuerit, palàm eſt cenſori definiendum illud venire, quod ipſi non minùs quàm lectoribus novum eſt & incognitum. Sola hæc, quæ æquitatis eſt & prudentiæ, ratio par fuerit frænandæ cenſoris ardentiæ. At huic obſervationi comitem ſe dat hæc altera, quæ ut decet expenſa, cenſoris petulantiam continebit.

Cenſoris munus, aut judicium eſt, aut *analytica* expoſitio; ſi prius, quàm altâ ſapientiâ; ſi poſterius, quanto uſu, quàm prompta & facili experientia cenſori opus erit! alterutrum ſuſcipiet homo de juvenum grege aut novitiorum? Nùm alicundè veniet allucinationum, errorum, deceptionum vis major aut uberior ſcaturigo?

At in artium nullam cadit magis quàm in medicinam, ætatis, usûs, aut experientiæ conſideratio, in qua *difficile judicium eſt*, ideò quòd *occaſio*, quâ hæc ars tota conſtat, labilis ſit & *præceps*. Igitur medicinæ rerum cenſorem admittere, nedùm maturum annis, vel immaturum uſu, imperiti judicis & novitii decretis annuere eſt aut fidem dare. Aliundè cavendum à juvenili ingenio: ſui impotens non rarò, cordis magis prodit quàm animi ſenſus; cùmque præcipitem juventuti aſſidere confidentiam non infrequens ſit, metus erit ne ſuis mancipata opinionibus, mendacii arguere in proclivi habeat, quæ diſſentire ab iis videbuntur; hocque occæcata præjudicio, quæ tanquàm rationi & experientiæ contraria ſpargent in vulgus authoris opera, ſuggillata ideò comperientur, quòd opinamentis illius adverſabantur. Tam caſtam, tam liquidam, aut omni affectione mala vacuam mentem iis adeſſe convenit, quibus tractanda erunt artis criticæ jura! Sic ut nullis optabilius magis ſit quàm cenſoribus *apathiæ* bonum.

Cæterùm *extrà oleas*, ut ajunt, hæc omnia projecta eſſe, aut ultrà hujus inſtituti lineas, nemo reputabit, qui ad hujus opuſculi mentem & materiem attendet. De *purgatione* (ætatis hujus deliciolo) agendum ſuſcipit, de qua actum eſſe clamitabunt, ſi huic diſſertationi indulgebitur. Ideoque magiſtrum artis judicium interpellandi conſilium eſt, ab illorum tribunali declinando, qui medicinæ operum ex ſpeculationibus tantùm eruditi, ea carpere aggrederentur quæ docuit rerum uſus, firmavitque naturæ meditatio. Neque temeraria aut inſana videbitur hæc opinio aut præſumpta; licet enim ſoli provectæ ætatis titulo, usûs aut experientiæ nomen vulgò concedatur, indulgebitur quoquè nec immeritò iis operibus, quæ aſſiduus nec interruptus per plura annorum luſtra pepererit uſus. Ut enim non diù eſſe, diù vivere eſt; longum è contrà vixerit, cui paucorum annorum perierit nihil, quod virtuti non fuerit impenſum; in arte medendi conſenuiſſe dixeris, qui quam à puero ſuſcepit excoluit tam aſſiduus, ut in ea ſola omnes animi nervos intenderit, & eò ſolùm contulerit curas omnes atque labores.

Aliun-

Aliundè usûs nomine dignabitur id omne quod ab antiquo verum est. quod cùm iis operibus contingat, quæ naturæ rerum vetustissimæ consonant, ut recognoscas nùm res aliqua antiquitati æquiparanda sit, perpendendum habes, an naturæ legibus par sit & ingenio. Undè eam tenebis legem quæ arti criticæ semper præfuerit, rerum judicare naturas non accidentia rerum. Igitur opus medicinale judicandum suscipis? Incompti sermonis, mendosi, inconditive tibi videbitur? Authoris non operis culpæ dabis, si dùm inconcinna oratione politioris litteraturæ leporibus deest, medicatricis naturæ legibus reddendis abundè sufficit; grammaticæ elegantiis destituitur, hinc voculas, contextum, barbariem elevas? Pædagium exercere est, non judicium; præterquamquod enim regiones sunt, eæque non paucæ, undè prodeunt in dies medicinales libri, stylo quorum parcendo, dogmatis & doctrinæ plauditur; inconcinnè loquendo, utiliter cogitare nihil vetat. Cæterùm quod de styli, idipsum de quovis alio vitio putabis; cuivis indulgere, prodesse fuerit, si aliundè sit operis, quod medendi errores declinare docuerit aut emendare. Huic bono ne moræ sis aut impedimento, mentem & editi libri conditionem internosces. Editor erit ætate recens, aut in artem recenter invectus, quem juvenem virum studia aliena distraxerunt, quem juvenem medicum ad scribendum accenderit famæ aut lucelli cupido? Hunc habebis suarum magis studio quàm rerum medicinæ captum. Fuerit alter à puero medicinæ innutritus & familiaris, cujus assecla factus individuus, legibus, præceptis, & operibus illius imbibendis studuerit? Talem artis non famæ, non fortunarum avidum cogitabis. Hanc de illo mentem firmabit dogmatum & principiorum operis illius prodeuntis exploratio. Non placentia sunt quæ loquitur dogmata? Vulgi palato non sapiunt? Consuetudini illius, verbis & operibus sunt contraria? In hoc teneas bene animati pectoris argumentum, bene cordati nempè authoris caracterem: eum enim artis amor occupat, qui rerum suarum dispendio res artis adjuvare aggreditur. Quæ concepta de illo vota an opere compleat, intelliges facto principiorum quæ usurpat examine, institutâve censurâ, solâ, quæ censori convenit, solâve quæ authori non iniquo tolerabitur. Tentabis autem nùm ista hæc principia extrà rerum naturam posita non sint, suppositâ merè, ad nutum efficta & naturæ phœnomenis aut effectibus adaptata ex arbitrio; nùm verò ex ipso naturæ gremio emersa & ex ipsius *proprietatibus* ultrò manantia, conspicienda se prodant. Illa erunt blandientis sibi phantasiæ fœtus, erunt hæc monstrantis & explicantis se naturæ opera; illa philosophi mentem exercebunt, formabunt hæc medentis ingenium. Illis erit parentis loco chymia? Tam mendosa erunt, quàm efficax, undè nascuntur, ignis. His originem fecerit corporis œconomia, partium mechanice, proportio, harmonia? Singularum potentiæ, rationes & energiæ? Universalis omnium symmetria, concentus & consonantia? Tam constantia erunt, quàm vera, quàm certa, quàm indubitata creatoris consilia, in his omnibus jubendis, ordinandis & moderandis. Hæc erit trutina, ad quam æqua censoris lance librata *systemata*, sui fidem facient aut fallent. Hoc erit *sanctuarii pondus*, quo æstimabuntur medicinæ dogmata. Interim memineris, cùm in definiendo auro etiam probato puritatis sint gradus, sit & valoris sua latitudo, ita in æstimando *systemate* medicinali, ut ut legitimæ sortis fuerit, suam esse bonitatis mensuram. At adulterini notâ vacabit, modò ad naturæ normam institutum fuerit, ab illiusque legibus expressum, quas tametsi insinceras reddiderit, sinceras elegerat. Sic enim est hominum labor hac parte infelix, quia humanus, vitii semper aliquid capiens aut affricans. Indè videas benè multorum, quæ bono animo cogitata sunt, infelices exitus, tot iniquas ac deflectentes ab optimis

mis principiis conſequentias. Igitur poſitis etiam principiis, quæ è naturæ ſinu deprompta ſunt, præpoſteras concluſiones inferri, aut pravas erui inductiones, fide non carebit; nihilominùs tamen facti, hujuſque laudabilis dimidium habere eſt, arti illi, quæ omnium abſtruſiſſima eſt, fundamenta tam inconcuſſa, quàm ſunt naturæ conſilia ſtabiliviſſe.

Obſervandum tamen quantâcunque curâ ſtabilitis principiis, ſuccedere non rarò mendaces rerum exitus; at ideò certè, quòd ſpretis circumſtantiis, conditionibus aut clauſulis ſuſcepta fuerint iſthæc opera. Moderaminis enim, rationis & ordinis ſcientia eſt ars illa quæ hîc innuitur; ut enim monente *Hippocrate* nihil *negligenter*, ſic *temerè nihil in medendo* faciendum eſt. Indè fit ut ea quæ ſuadent ſtabilita principia, ſi ſerius ociùs, fortiùs debiliùs, in hoc vel illo ſenſu, ſub hac aut illa ætate, regione, tempeſtate, temperie fiant, diverſos habeant conſtitutionum, remediorum, curationum ſucceſſus. Itaque *ſyſtematis* conſilia, concluſiones, opera judicare voles aut carpere? Is fueris qui quæ legendo & meditando intellexiſſe putas principia, in uſum non tantùm vocaveris; at eo obſervandi utendive ordine, ea actionum ſerie, operumque ordinatione, quam æmulandam ſuadebant iſthæc principia: fulta erunt corporis œconomiæ, mechaniſmo, ordinationi? Tam ordinata erunt mutuata inde agendi conſilia tamque regularia, quàm conſtans & æquabilis ipſa eſt harmonia, proportio, conſenſio.

Sic (quod ad inſtitutum præſentis operis ſpectat) oſtendit *tritûs* ſeu *ſolidorum* ſyſtema, eam eſſe *tranſpirationis* neceſſitatem, ut ab ea decreſcente naſcatur morborum pars plurima. In hoc certè tenes principem medendi finem; at eò tumultuariè omnia artis tela dirigere, *attenuantium*, *cardiacorum*, *volatilium*, *ſudoriferorum* incondita adhibita ferragine, quo *diaphoreſin* moveas, ſucceſſu cadere erit. Ut enim non eò prorumpit natura, at ſucceſſivè, ſenſim, & ex ordine, mille modis & locis ab ore ad corporis *peripheriam* verberando, quaſſando, ac terendo materiem, quæ *tranſpirando* vaporare debet; non tantùm quò, ſed & quâ illùc eundum tibi ſit cogitabis, eadem proindè luſtrando, relegendove naturæ veſtigia. Inſuper ex *ſolidorum potentiis*, quantæ virtutis futuræ ſint, qualis conſiderationis aut momenti ad reſtituendam *tranſpirationem* intelligere erit; quamque circumſpectè ſe gerere debeat medicus, quove ordine, quoto tempore pergendum illi ſit in hoc negotio. Indè concipiet omnem *coctionum* doctrinam, œconomiam & diſciplinam, quæ in ſuccorum comminutione tota ſita erit. Denique rationem aſſequetur cur ejuſmodi morbi ſint, in quibus tandiù tardeſcit concoctio humoris morbidi; ideò nempè quòd præ lentore nimio corporatus ſanguis, partium *ſyſtoli* & *oſcillationibus* remoram afferat, tempore ſolo ſuperandam. Exindè colliget adhuc quantâ curâ ſudaturus ſit medendi ſapiens in aucupandis, expectandis & æmulandis naturæ motibus, aptandiſque remediis, cùm enim *ſecretionibus* conſtet tota ſanitatis œconomia, morborum nullus eſt ſub quo non alienetur, tardeſcat aut acceleretur aliqua *ſecretio*; cujus leges cùm ſanitatem præſentem tueantur, ſi conſtant; abſentem revocant ſi reſtituuntur. Ponas *alvum* morari, ſiſti *urinas*, *menſtrua* comprimi, ſiccari *ſputa*, &c. medenti luſtrandæ venient illæ ipſæ agendi rationes quas uſurpat natura in regendis, adminiſtrandis ac promovendis illis *ſecretionibus*. Meminerit igitur regulares eſſe *menſtruis* periodos, quas sùs deque habendo negligere, peccaminibus mille fomites erit parare. Attendat, non omnis horæ, diei, aut temporis eſſe ſputaminum ſcreationem, ideoque obſervandum ſibi venire, qualis ritus & induſtria uſurpanda ſint, quibus excretio quæ vigente ſanitate abeſſe debet, finiendo morbo invocetur. Longè minùs negotii medico faceſſere ſolet *humoriſtarum* ſyſtema; tar-

dat

dat enim alvus, urinæ desunt? Quorsùm inquient, labore vano aut inutili sollicitudine macerari? Purgantia præsto sunt, parataque *diuretica*; his exhibitis pulsi humores obsequentur. At leges addit & clausulas *solidorum* systema, illud enim obsequium quod spondent *humoristæ*, everberationis fructus est quæ succos comminuerit, comminuendoque secretoriorum *diametris* aut capacitatibus aptaverit. Quantamlibet enim vim inferant *cathartica*, quantos dent tumultus *diuretica*, utraque cassa erunt, quanto tempore, lentescente fortiùs sanguine, spasmoque rigentibus fibris, viarum exitus occludentur. Hæ sunt *fluidorum* cum *solidis* mutuæ *rationes* aut *proportiones*, quas innuit & edocet *tritûs* systema, undè pendet artis felicitas & artificis honos, quibus in medendo carere, cæcutire erit. Hinc enim erudietur quandò minuenda veniat *fluidorum* moles, ne exuperante quantitate, *resistentiam* pariendo obicemque ponendo *secretionibus* officiat. Liquebit, cur *diluentium* usus tanti momenti sit; tùm ut vehiculo multo innatantia *fluida*, *secretoriorum* mæandros permeent faciliùs, tùm ut humore copioso madentia *solida* efficaciùs laxentur. Imprimis *cardiacorum*, *volatilium*, *aromaticorum* sentiet insidias; optimè gnarus quantæ *elasticitatis*, quàm vividæ & subitaneæ *contractilitatis* sint *solida*, quorum plurima parte constantur corporis universi partes. Cavendum proindè intelliget ab illis, utpotè quæ *fluidorum* simul & *solidorum elateres* immensè elevant. Cæterùm isthæc confessa de *elasticitate* universarum corporis partium observatio imprimis tenenda venit, quòd tantùm præpolleat sub morbis, quantùm sub sanitate valet. Hic *tonum* faciens aut continens, succorum motibus, *directionibus*, ordinationibus, circuitibus, horumque omnium & singulorum æquabilitati, distributioni, *secretionibus* præest: sub morbis eundem intendens *tonum* perdidit, sic capacitates arctat, exasperat *oscillationes*, *systoles* alienat; undè *directionum* loco *determinationes*, loco ordinationum impetus exercentur; pessundataque æquabilitate circuituum, excretionum series & materiæ turbantur, miscentur, confunduntur, undè anxietatum, dolorum, symptomatum, evacuationum, omniumque rerum corporis immensum cahos. Sed cùm nihil aliud sit morbus quàm ab ordinatione legum naturæ, aut ab æquilibritate recessus, ordinis naturæ, legum & æquilibrii restituendi ratio est medicina; illa autem imprimis quæ *solidorum* ductu, regimine, modulatione instituitur. Igitur tantam legum vim, tot clausularum aut conditionum numeros in administranda purgatione hîc usurpatos vituperare cavebis, ubi naturam quæ tota ordinata est, suis reddendi legibus consilium est. His autem omnibus inconsultis traditam hîc purgandi normam carpere, iniqui erit aut invidiosi rerum æstimatoris nomen incurrere.

Objurgabunt improtectam esse hanc de purgatione doctrinam, cui interèa opus fuisset graviorum aliquot virorum authoritate, qui illam rationibus firmarent & exemplis.

At mihi vide cavillantis humanæ mentis malignitatem! Authorum testimonia adhibes? Rem ecce, inquiunt, jugas, quæ jugum nescit; medicinam nempè, artium imperiosissimam, quæ suis utitur legibus, non servit alienis, cum authoritate, quæ sui nec juris est nec arbitrii; urgebuntque saltèm admittenda esse nescio quæ graviorum virorum interpretamenta, quæ nascentibus dogmatis pondus addant aut fidem faciant. Ab authoribus abstines? Ut novitium & sine exemplo dogma suggillabunt. At meminerint eam esse praxeos medicinæ conditionem, ut tolerari mereatur etiam improtecta, modò nec improbi viri sit, nec imperiti. Rerum enim gestarum historia est, aut observationum enarratio, cui sinceritate magis quàm eruditione opus est; quæ si ratiociniis identidem aspergatur, excusanda quoque si naturæ rerum expo-

sitio-

ſitiones fuerint, non aſcititia comminiſcentis phantaſiæ deliria. Cùm autem probitas, cordis affectus ſit & rectitudo, quam profiteri licet; peritia ſit, ex labore indefeſſo iterataque obſervatione facta notitia: opuſculi hujus conſilium liberè proferre decet. Hîc cuiquam verba dandi voluntas non fuit, at ſincera fides, in communicando ea quæ uſu comperta ſunt & obſervata; neque fuerit animus periti nomen nobis arrogandi, non ignaris, vix unum eſſe ex artis ſapientibus qui moriendo, artis tyrocinia penitùs exuiſſe nedùm glorietur. Quantùm enim dives & altus eſt naturæ fundus, inexplebile tantùm medentis officium, cui quò propiùs aut intimiùs naturam intueri datur, eò inexhauſtam magis aut minima ſui parte revelatam ſentiet. Innuiſſe ſufficerit, nec eam eſſe quam hîc deſcribimus medicinam, quæ poſt rationem inventa ſit, nec eam eſſe quam hîc proferimus rationem, quæ ante medicinam fuerit quæſita, at utramque eſſe meditatæ inter medendum naturæ fructum. Id igitur ut recognoſcat artis provehendæ curioſus, idem obſervationum iter ipſi remetiendum fuerit, qui in exercendo meditari, & in meditando exercere didicerit. Eum enim qui noſtram in purgando ſobrietatem criminabitur, cui cum purgationibus res aſſidua fuerit aut familiaris neceſſitudo, ſuarum rerum decoctori comparabis, qui cautum & frugi virum avaritiæ inſimularet. Nùm ideò è medicorum albo eradendum pronuntiaveris, quem haberet tantula purgandi intemperies? Procul hinc erit iniqua iſthæc ſuſpicio; ut enim heroes inter, quos *Martis* generoſa virtus evexit ad cœlos, numeras qui feriendo acriter, alios qui ſapienter feriando bella cum laude geſſerunt, ex medentibus quoque laudaveris qui audendo, amaveris qui cavendo ſe gerunt cum morbis. Sic enim eſt medica virtus ex æquo laudabilis, fortitudinis ſit aut prudentiæ, audentiæ fuerit aut induſtriæ fructus. Abſtinebis tamen ne fortitudinis conſilia putes, quæ temeritatis ſunt facinora. Auſpicatos miraberis purgationum eventus, ſuccedente nempè ſanitate, modò imperturbata ſymptomatum ſerie, quæ morbo propria ſunt, ſui morbis ſerventur proprii exitus: quæ iſtiuſmodi ſunt purgationes laudi habebis, ut ut feſtinatæ paulo fuerint, aut plus juſto audentiores, ingrediuntur enim naturæ modum, conſilia, ductum, curſum & intentiones, quibus comites ſe dederunt & adjutrices. Non item ſi purgationum vi à ſcopis ſuis dejecta, aut delirante natura, ſanitas reſtituatur; quod ſuſpicaberis, ſi morbus qui hac aut illa excretione judicandus erat, alienis evacuationibus tollatur; tunc virtus coacta erit, quâ nolens volens natura purgantis vi dederit manus. Pulmonis v. g. affectio erit quæ ſputis ſolvenda erat, ſed quam *ſtibiatis*, *mochlicis*, *ſudoriferis* torquendo ad felicem exitum perduxeris? Febris fuerit quæ arcana maturatione ſolvenda fuiſſet, at quam catharticorum multitudine opprimendo expedieris? Fortuitis ejuſmodi ſucceſſibus mutuari fidem, ancipitibus cæcæ fortunæ caſibus obſecundare eſt; *judicatoria* ſunt non *judicantia*, *abſcedentibus*, *apoſtaſibus* inſidiſque mille & tædioſis morborum reliquiis obnoxia. Certè judicis illius, quem arti formaſſet tumultuarius iſte purgandi ritus, cenſuram rideret, noſtrum de meliore luto formatum purgandi dogma; legibus enim & ordini ut ſubjectum eſt, iis tantùm morem geret judiciis, quæ ordinis fructus erunt aut partus.

At itanè, inquies, tam præclarum aut laudabile eſt hoc de *purgatione* opuſculum, ut verendum veniat, aut venerandum? Itanè numeris abſolutum, ut caſtigari non indigeat, nihilque niſi ab iniquis linguæ verberibus habeat carpendum? Ampullas loqui eſſet, *caudamque jactare popello*; quàm enim dignum eſt inſtituti noſtri conſilium, tam mancum eſt opus & inabſolutum, in quo peperciſſe paucis plura eſt indulſiſſe. Neque hæc eo dicta ſint animo, quaſi lau-

ſi laudum lenociniis & adulationibus tantùm excipiendi veniant libelli qui in lucem prodeunt, at ut utile ſit & grave quod de iis proditurum erit judicium, ſicque recognoſcat medica gens non in quo inutiles, ſed in quo proficui fuerint. Igitur opuſculi hujus fructus erit, ſi rei, id eſt *purgationis* quæ in medendo maximi momenti eſt & vulgatioris uſûs provehendæ ratio incrementum feciſſe videatur. Videbitur autem ſi protulerit certiores purgationis inſtituendæ rationes. Cùm enim ſyſtematum procellâ factum ſit, ut à naturæ cardinibus aliquantulùm emotæ hactenùs medicinæ res inſtabiles factæ fuerint, ut ut in ſuperfluis deliquerit author, aliundè tolerabitur, qui in neceſſariis certus & felix comperietur, videlicet in reſtituendis principiis, quæ firmandæ tandem ac ſolidandæ medicinæ inſerviant.

DE PURGANDA MEDICINA A CURARUM SORDIBUS.

CAPUT I.

Secretionem *non esse* puri *ab* impuro *sejunctionem*.

Bilem, succum Pancreaticum, &c. non esse *excrementa*.

Quæ revera talia sint, quæve purgationi *subjecta*.

INis *secretionibus* contineri totam corporis *œconomiam*, in confesso est; in aperto quoque sunt *secretionum* modi, ex quo, missis *fermentorum* nugis, quæ diù nimis animos lusere, à partium *mechanismo* repeti cœperunt. Interim totam rem confici vetat adhuc nedum stabilita satis aut intellecta *secretionum* materies, aut malè positum adhuc *secretionum objectum*.

Secretionis nomine intelligi volunt *puri ab impuro* separationem, undè tàm fœdè conspurcata est corporis *œconomia*, sordidatæ adeò medendi indicationes curandive fines, ut immunda tota vilescat medicina, fæculentiis, *excrementis* undique sordescens; admissis enim & evulgatis his notionibus, *serum*, *bilis*, *succus Pancreaticus*, impuræ fæces habitæ sunt, olidave sanguinis ejectamenta. Alii inhonestis verbis parcentes, sub his concepere spumas inutiles, aut ejectitios succos, *salinos*, *sulphureos*, à sanguine deciduos, incongruos, dignos exilio. Hinc factum est ut circa sordes occupatam *naturam* cernere sit, quasi *functionum* integritati, sanitatisve nitori tan-

tùm ſervire poſſit ſanguinis moles, cùm ab iis mundata fuerit; contrà verò ab his impurata, ægritudines mille paritura ſit. An hæc cum majeſtate naturæ benè conveniant, judicent naturæ dignitatis & induſtriæ æqui æſtimatores. Talia certe malè ſuadent partium textura ſanguiniſve conſtitutio; hæc autem imprimis refragatur, cùm enim ſanguis *homogeneus* ſit liquor, uniuſque indolis, confuſioni ſuccorum ac mixtioni potiùs quàm ſejunctioni allaboraſſe patet. Hanc alit de mixtione conjecturam partium conformatio. Ejuſmodi enim eſt in viſceribus præcipuis, ut ſubigendis liquoribus, atq; terendis dicata hæc conſpiciantur. Teſtes ſunt *cerebrum*, *cor*, & *pulmones*, in quibus aperta *tritorii* motûs & agitatorii indicia ſunt; eodem collimant membranarum *elateres*, quibus aguntur ſingulæ partes etiam exiliſſimæ: tum & vaſculorum, quæ ex membranis emerſere *occillationes*: quæ omnia, tractandis, miſcendis, confundendiſque ſuccis manifeſtè impendi in propatulo eſt. Scrupulum, ſi ſupereſt aliquis, eximet *ventriculi* munus; quis enim finis illius ſit, quævè occupatio ſi requiris, hæc eadem eſt quæ cæterarum corporis partium; nam alimenta cujuslibet fuerint ſaporis, odoris, coloriſve, ſic terendo miſcet atque confundit, ut qui inde naſcitur liquor, *homogeneus* ſit, & unius conditionis; idipſum affirmabis de ſingulis viſceribus, tot veluti *ventriculis* & tritûs officinis, nam quos à ſtomacho recepere ſuccos ſubigendo elaborare pergunt. Igitur chylus è ſtomacho vaſa ſubiens, dùm omnia, qualis aut quantus ſit, totus ingreditur, ſic ſingula percurrit, ut molem quidem aut maſſam ſuam exuat non naturam: qualis nempe fuerit in majoribus vaſis, talis in minoribus futurus. Nullibi non ergò conſpicua ſunt in ſanguine mixtionis argumenta; non tantùm dum in ſanguiferis vaſis volvitur, ſed & cùm intra *ſecretoria* fuit admiſſus.

Serum enim aut *lymphæ ſecretionis* eſt materies; at ſanguinis pars præcipua, ad eſſentiamque illius pertinens, *lympha* eſt, alba ſcilicet ſanguinis portio, rubram ſic exuperans, ut *alba* ſit ad *rubram* ut 3. ad 1. hoc ſenſu propriam minùs ſanguini *rubram* portionem dixeris, quàm *albam*, præterquamquòd enim curta nimis eſt *rubræ* ſupellex, quàm ut univerſis partibus & officiis ſufficiat, hac altera ratione inferior *albæ* oſtenditur, quòd ſucci nobiliores (teſte nervorum ſucco) albi ſint, partis albæ ſanguinis ſinceræ appendices. Si memineris album eſſe piſcium inſectorumque plurium ſanguinem, maximè tamen ſpiritibus fœtum; certè miſſo ſenſuum præjudicio, *albæ* portioni, nobilitatis præmium concedendum venit. Ipſiſſimus eſt ergò ſanguis, *ſecretoriorum* vaſorum ſuccus, mutato enim colore quidquid de ſanguine narratur, id omne de *ſecretoriorum* ſucco narrari poterit, qui externa ſanguinis exuens inſignia, ſinceras illius induit aut retinet vires. Hæc certè minùs competunt vulgaribus & craſſis *ſecretionum* notionibus, quibus *puri ab impuro* ſeparationes intelligi volunt. Interim quid ſincerum magis quàm illa ſanguinis *albæ* pars, quæ dùm omnium *ſecretionum* baſis eſt & complementum, in nobiliores corporis ſuccos impenditur? At ſuccorum *excrementitiorum* fingendus fuerat conceptus, qui *purgationum* ſyſtemati faveret; aliàs enim quò purgantium omne genus, ſi nuſquam prævertendæ aut everrendæ veniſſent primarum viarum ſordes? Unde tandem veniſſet morbis ſordeſcentium ſuccorum cumulus, ſi illorum vel umbræ aut initiamenta ſub ſanitate deſiderarentur? Igitur damnanda fuit corporis *œconomia* ſuccorum immunditiis, quæ dum alerent ægritudinum ſemina, purgantium quoque pabulo ſervirent. Præjudicatam hanc opinionem fovit *analogiſmi* mendacium; ut enim deſpumando nitere liquores non paucos obſervatum eſt, bulliendoque defæcari, id artis ad naturam transferendo, ſanguinem quoque bulliendo purgari, eliquarive commenti ſunt. Hanc doctrinam ſtabilivit facilis ad captumque vulgi facta iſthæc philoſophandi ratio,

tio, qua una de cauſſa omnium ore celebrari debuit, utpote quæ rudium vellicabat aures, eruditorumque mentes mulcebat.

Poſthac quid mirum, ſi *bilis*, *ſaliva*, *ſerum*, *pituita* inter excrementa collocata ſunt; de eorum enim genere viſa ſunt, quæ reſpuere natura conſuevit, maximè cùm foràs ea ſoleat eliminare. Non diffitendum mitiùs cum iis ſuccis actum eſſe à neotericis, *ſalinam* enim, *balſamicam* aut *ſulphuream* talium conditionem, aptam credidere cudendis ſuis *fermentorum* idolis; nihilominus tamen ſuſpicati ſunt, ſub his ſuppoſitas eſſe ſanguinis exuvias, hocque judicio naturæ parùm amicas; cum adeò neceſſum habeant ultrà vaſorum pomæria protrudi, ut ſi quovis caſu intrò reſorberi, aut remeare eis contigerit, prope in januis morbum adeſſe putaverint. Inde nata circa primarum viarum ſaburram mira ſollicitudo, cui everrendæ, non ſecus ac purgando Augiæ ſtabulo tot impendère curas. Hinc quoque famam ſibi fecerunt & nomen *eccoprotica*, *minorativaque* purgantia, doloſa ſubſidia, plena periculis, quæ humorum turbas, quibus cavendis aut avertendis adhibentur, movent aut exaſperant, primaſque vias, quibus vacant ſordibus, ſæpe cumulant.

Purum ergo *ab impuro* ſecerni *ab hepate*, *pancreate* & ſimilibus incerniculis (ſanum fuerit vel ægrum corpus) fabula eſt. Sua eſt *bilis* ut & *ſucci nervorum* laus & utilitas, ſua quoque *ſeri*, *ſalivæ*, *ſucci pancreatici*, *pituitæ*; quod autem hos ſuccos pellat ſuis è finibus natura, falſum eſt: ex illius inſtituto prodeunt omnes, ejuſdemque exeunt conſiliis. Reipſa, hìc novercam naturam, ſupinamque invenire eſſet, ſi inutilibus & malè feriatis ſuccis, viſceribus mediis, exitus, vecors illa aperuiſſet. Hanc autem indiligentiæ ſuſpicionem removet locorum ſitus, qui eliminandis inutilibus ſuccis, purgandiſve fæculentiis dicantur, ea enim eſt illorum pronitas & diſpoſitio, ut quæ vehunt excrementa extra corpus efferant, nuſquam reditura. Exemplo ſunt, *alvi fæces*, *ſudores*, *urina*, his alveis aut imbricibus excepta, qui ad corporis *peripheriam*, ultimoſque & exteriores fines ea protrudant.

Hinc, mutuentur ac definiant ſordium curioſi, verum fæculentiarum conceptum, earum nempe quæ ſegregatæ, ſemel, non ſecus ac anathemate tactæ, ab omni functionum commercio exulent. Sed obſervent has non eſſe ſanguinis ſpumantis exuvias, ſuperfluas autem tantùm ſucci nutritii quiſquilias, potûs aut chyli ſuperſtites reliquias, à ſaturo ſanguine aut partibus ingurgitatis deciduas. Hæc inſumant paſcendis purgantibus, ex hiſque deducant, ſi poſſint, in ipſo corporis centro, cavoque partium, reſides humorum colluvies, aut decantatam primarum viarum ſaburram, *viſcorum* denique, *phlegmatum*, craſſaminum congeries, quibus ſuas meditantur, voventque fundatas malè, ideoque tam ſæpe exitiales *purgationes*; quos enim non inveniunt ſuccos faciunt aut evocant, ſin minùs reluctantibus ſuccis, viſcera deterunt.

Patet itaque quàm longè ab ejectitiis liquoribus diſcrepent *bilis*, *ſuccus pancreaticus*, ſimileſve primarum viarum incolæ, quibus purgantia objiciuntur. Sed aliunde publicum illud erratum caſtigat quotidianus illorum ſuccorum uſus. Ad *libras* quotidie ſecernuntur *bilis* & *ſuccus pancreaticus*, quæ ad *uncias* tantùm excernuntur. Igitur tuendæ valetudini opus eſt *librarum* aliquot horum liquorum in vaſa introitus, *unciarum* verò tantùm aliquot exitus. Sed ex hac impendiorum ratione, quo in pretio naturæ ſint ejuſmodi ſucci palam eſt, cùm ſuis operibus tantam illorum copiam inſumat, tantulam verò ſibi elabi ſinat aut patiatur. Porro utiles an ejectitios inter recenſendi ſint, quos plurima parte retinet natura, minima dimittit, idiota judicaverit.

Non deſunt tamen nonnulla humorum retrimenta, quæ ad *excrementitios*

ſuccos ſpectare videntur, de quorum numero ſunt *ſudores*, *urina*, *alvi fæces*, verùm his demptis quas alvi profuſione elui ſufficit, ſuas elices habent *urina & ſudores*, quibus expediendis, reſerandiſve impedimento magis quàm adjumento ſunt purgantia.

Occlamitabunt igitur, abusûs immenſi, minimi usûs futura erunt purgantia? Immò neceſſitatis immenſæ auxilia ſunt, & in arte præcipua, eò nobiliora, qùò minùs evacuandis ſordibus addicuntur.

CAPUT II.

De Sanguinis depuratione. *De eliquatis illius ſuccis & purgaminibus.*

SUA eſſe ſanguini purgamenta ab antiquis creditum eſt. Hinc præter publicam abdominis ſentinam, propria viſceribus, colluviaria adjunxerant, privata excrementorum receptacula. Glandulis viſcerum aſſeclis, id officii impartiebant, quæ quia fœculentiarum eorum diverticula putabantur, eorumdem *emunctoria* audiebant. Hanc illorum ſententiam formaverat, concepta de ſanguine opinio. Cogitabant purum eſſe laticem qui defæcando niteret; quam defæcandi neceſſitatem à ſuccorum nutritiorum confuſo commeatu mutuabantur.

Novatores, ut illis ſæpè moris eſt, mutantes minùs quàm reſarcientes veterum conceptus, obſoletas quidem *excrementorum* voces valere jubentes, *fermentationum* ut erant operationibus aſſueti, fervere ſanguinem, *fermento*que deſpumare ſtatuerunt, unaque à *fermentis præcipitata* fingentes ſanguinis ejectamenta, *ſpumæ*, *capitis mortui*, *ſcoriarum* titulos *excrementorum* nominibus ſuffecere, ſub quibus effœtas *coctionum* reliquias ad inteſtina, quaſi ad communem corporis cloacam, derivari putarunt, quas purgantibus objecerunt deturbandas. Exinde ingens eos cura cœpit ſanguinis *depurandi*, creſcente enim cum *glandulis*, ſecretionum & coctionum numero, tota fæculentiis perſtrata perhibuerunt; medicinâve, quæ plùs nimiò jam ſorduerat, ſordeſcente magis, *depurationum* fama per artem volare cœpit.

At circumcisâ jàm undequaque *fermentorum* turbâ, reſectove eorum numero, ut retrimentorum copia minuitur, ſic *depurationum* frequentia rareſcit. Aliundè duplici tantùm ex fonte, ſanguini veniret *excrementorum* proventus; vel ex chylo qui impurus vaſa ſubiret, vel ex ſuperſtitibus aut ſuperfluis ſucci nutritii particulis, quas ſaturatæ partes alendæ faſtidirent. At neutra de cauſſa ſanguinem impurari manifeſtum eſt. Fidem ſuperat quàm parùm impuritatis ſanguini ſuggerant alimenta, quæ pro impuris vulgò habentur. Argumento ſunt artifices, ruſtici, pauperes, barbaræ gentes, quæ pane furfuraceo, cibis craſſioribus aut crudis, aquâ cœnosâ aut paluſtri, verbo, *pane tribulationis & aquâ anguſtiæ* miſellam ſuſtinentes vitam, nitida facie, obeſoque corpore ſanidegunt, vegetique laborant: nullique infrequentius cruditatibus, vomitionibus, diarrhæis, languoribus tentantur. Itanè igitur impuritatum minùs importarent alimenta quæ magis impura ſunt: Abſit, tam apertè pugnantia loquamur; ſed præconceptæ opinionis erratum eſt; quò fit ut plebeja & quæ ad manum ſunt alimenta immundis accenſeat medicorum vulgus, dùm ea nutritiis maximè annumerant ſapientes, ſi tritu faciliora ſunt, reſolvique paratiora. Hinc ſaltem animadvertere eſt, quàm aſſiduâ naturæ

curâ

curâ ſanguini proſpectum eſt, ne alimentorum vitio ſordidaretur. Parem nec induſtriam minùs oſtendit illius ſollicitudinem inteſtinorum conformatio, ſic inſtituta, ut vel craſſamentorum atomis omnem aditum in ſanguinem præcludat. Ea enim eſt oſcillorum quibus inteſtinis inhiant vaſa, minuties, ut conſpicillorum omnem aciem effugiat. Hæc ſordibus impervia eſſe quivis facilè conceperit. Si addideris vix alibi parem adeſſe ſensûs teneritudinem, appellentium illuc arietantiumque acrium, quæ cibis ineſſent, particularum repulſam futuram intelligere eſt. At in his non conſtitit artibus natura, vel ſcrupulosè ſaluti corporis provida: ſuccinctam vides interiorem inteſtinorum ſuperficiem muco pingui ſeu glutine tenaci; id mulcedinis illic apponi putant, quò partes illas teneras nimiùm ab acrium occurſu tueatur; hoc quoque concedendum naturæ, ſed miſſo hoc ſcopo, qui vulgaris eſt, en altera in conſpectum venit illius ſagacitas. Sub hâc mucagine vili, imitamentum habes bibuli chymicorum panni, quo *ſolutiones* ſuas colare norunt & eliquare. Hic quoque ſpeciem videas aut exemplar bibacis & mollis corii, quo defæcando eliquandove *mercurio* utuntur metallorum effoſſores. Itaque tomentoſum illud tectorium, quod chylo trajiciendum eſt, colum erit fæcibus, craſſamentis ac ſordibus ciborum avertendis dicatum. Id glutinis, aurium cerumini facilè adhùc comparaveris; ut enim hoc interiùs litæ ſunt aures, quò à ſordium ingreſſu vindicentur, altero circumlita ſunt interiùs inteſtina, quo nihil niſi purgatum maximè ac diligentiſſimè defæcatum admittant. Sanguinem igitur inacceſſum videre eſt iis quæ extùs advenirent impuritiis, at & aliis intùs progignendis non inidoneus minùs eſt.

Forſitan exuperans ſanguis, ſucciſque gravis, ſuâ copiâ factus inops & ſui impotens tardabit gradum; quàm autem præceps ſit in vitium ſuccorum otio torpentium lapſus, nemo negaverit, nec aliundè tantum impuritatum ſcaturiret. Hæc quidem confeſſa res eſt, ſed ad *plethoram* (ut ajunt) magis quàm ad *cacochymiam* pertinens. Porrò, hîc quæritur origo decantatæ cumulatorum humorum ſaburræ, aut famoſi ſuccorum acervi, quem purgationibus objiciunt. Hanc imputant humorum ſaburram reſidibus alimoniæ reliquiis; qualis enim & quanta ſit gulæ impotentia, ac comeſſandi cupido, quam exſtimulant mille cupediarum irritamenta, plùs ſatis compertum eſt, ſub hacque comedendi licentia, intra præfinitos naturæ limites quemque coerceri vix concipias: itaque plus quàm demenſo exſatiatis partibus non pauca ſuccorum ſuperamenta vacare neceſſe erit. Porrò aggeſtis iis alimoniæ particulis, quæ à faſtidientibus partibus reprobantur, enormem inde materiæ ſuperfluæ molem creſcere palam eſt. Hæcque erunt ſuccorum à partibus deciſorum retrimenta, quæ ut morbis fomites, ſic & *purgantibus* pabula ſufficient.

Eſto, hæc convenerint cum illis temporibus, quæ ferebant humorum hic illic conſiſtentium conceptus. Hæc toleranda fuerint ſub primis Medicinæ elementis, cùm artem occupaverat phyſicarum rerum caligo, ignaram imprimis ſinceri ſanguinis motûs. At ex quo circuitus illius lumen Medicinæ affulſit, hæ ſanguinis *ſtaſes* tam parùm cum vita, quàm cum morte vita concordare viſæ ſunt. Re vera, ſua ſingulas partes fovere recrementa, viſcerave cumulatorum recrementorum ſedes eſſe aut promptuaria antiquatæ philoſophiæ ſomnia ſunt. Hunc induxit errorem perperàm intellecta ſuccî nutritii diſtributio. Hunc intrà partium interſtitia ſegregari non ſecùs ac in alvearibus putaverant, quaſi ſuccorum fartura fuiſſet nutricatio. Hinc auctâ plus nimio alituâ, ſuccos coacervari & in molem aſſurgere ferebatur; unde naſci morborum fomites, *purgantibus* debitas materies ſomniaverant. Sed inconditum hunc nutricatûs conceptum emendavit detecta legum naturæ ratio. Docent, unq

teno-

tenore ferri ſanguinem à centro corporis ad habitum, eumdemque, ſerie non interrupta, ab habitu ad centrum referri. Alicubi fortè morari poterit, nullibi ſubſiſtere, *vaſa*, *viſcera*, *glandulas*, eundo vel redeundo tranſmeet, motu indefinenti fluere pergit, nullibi poſiturus exuvias; quantus quantus ſit, totus ad corporis extrema vehitur, uſquedum quod alluendis partibus prætercurrendo non impedit, reſiduum emittat per cutis ſpiramina. Sub hoc conceptu nutriri partes, idem eſt ac incruſtari, vaſa nimirùm præterlabentes ſucci nutritii, affrictu ſuo eorum parietibus internis affiguntur; ruderationem, diceres qua parietes agglutinata nutricatûs materie intrò loricantur, quidquidque loricationi ſuperfuit, ad ultimos vaſorum fines amandatum, per cutis poros vaporat: hi ſint igitur unica humorum emiſſaria, ſola nempè efferendis ſuccorum reliquiis dicata; veræ ſint colliquiæ, ut pote quibus ſanguinis ejectamenta derivantur. Quæ cùm vera ſint, in centro corporis, mediiſque viſceribus humorum fæces, ſuccorumve purgamina ponere, naturæ dignitati labem aſpergere eſt. Agunt quoque nugas, qui hæc vel illa viſcera, has aut illas *glandulas*, *depurando* ſanguini præficiunt, præterquàm quòd enim impurati ſanguinem ægrè contingit, quidquid illi ſemel admixtum eſt, confuſum vehitur, cœcis tantùm cutis ſpiraminibus eliminandum.

Quæ ſors igitur manebit tot ſuccos, qui in dies à ſanguine ſegregantur? Quæ futura *bilis*, *ſucci pancreatici*, &c. conditio? Certè publicam versùs corporis ſentinam amandati hi ſucci, ad reprobos aut ejectitios pertinere videntur; aſt hanc infamiæ notam declinabunt, ſi ab impuritatis maculâ immunes inveniantur. Porrò non quatenùs impuri exterminantur, ſed quatenùs imperfecti, nedùm enim ultimam adepti manum, retractandi bono naturæ conſilio, illuc derivantur.

Comminuendo ſanguini, ſeu tenuandæ, quæ pars illius, ut optima ſic plurima eſt, *lymphæ*, tota allaborat natura. Is enim ſcopus illius unicus eſt, minutim adeò dividendi nutritii ſucci, ut vaporoſi roris inſtar, omnes aut ſingulas, quot quot ſunt, fibrillas ſenſim & tacitè ſubeat aut imprægnet. Hoc ut exequatur, opus habet, ut materiæ *libra* una aut altera (quæ demenſi quotidiani chyli quantitas eſt) plura ulnarum milliaria vaſculorum (incommenſurabilia enim ſunt) longitudine æquiparat, eaque ſpiritu magis animet quàm mole. Hoc igitur ut ex voto naturæ ſuccedat, maximè ipſi cavendum fuit, ne ſucci comminuendi elogandive portio aliqua comminutioni elaberetur; aut *oscillationum* ictus declinaret; vel paulò ſpiſſeſcens, tam longo illius excurſui, aut extenſioni prolongandæ obicem poneret: quo in negotio, quale ſit conſilium hinc intelliges.

Magnum corporis torcularium eſt *ſtomachus*, ſeu prelum publicum, quo, dentibus quaſi piſtillis in ore tuſa alimenta detruduntur, ampliùs ſed ſimul & ſemel terenda. Dehinc inteſtinis prementibus nedùm diſſociata excipiuntur. At millia vaſorum oſcilla quibus hinc & illinc intrò dehiſcunt inteſtina, præterlabenti & compreſſo chylo ſubterfugia aperiunt, quæ, ut ſecretionum ſic & ſuccorum diviſionis, ſunt initiamenta; tubulorum enim capillis longè minorum myriades ſubiens chyli maſſula, in mille ductus aut columnellas dividitur. Verùm è diverticulis in viam, hoc eſt è minimis in majora, quo tendunt, vaſa, ingreſſus chylus, iterum in unum coit; at tunc majori ſub mole recollectus, vaſorum *oscillationibus*, diviſioni proinde impedimento foret; unde altera partitione ſuccorum opus fuit, quo molis minùs *tritoriis* organis objicientes perfectiùs tererentur. Hunc in finem in varias chylus ſcinditur partes, variaque illius fiunt ſegmina, viſceribus diſtribuuntur, ut qui ſummatim collecti tritui obſtitiſſent, ſingulatim diſpertiti diviſioni cedant. *Hepatis* igitur,

tur, *pancreatis* &c. officia ſi ſcrutaris, ſuccos imperfectè ſubactos, trituræque ſeu diviſioni moram facturos ſanguini ſuffurantur, ut ad primas vias, unde profecti erant, ſeu ad prima tritûs organa reverſi, incudi reddantur. *Cohobationis* genus eſt, qua quidquid ſolutione ſimplici peccatum eſt, multiplici reſarcitur. Hinc ſe prodit vera ſecretionum interpretatio, ut pote quibus, non *impuri* ab *impuris*, ſed imperfecti à perfectioribus ſucci ſegregantur. Impuriorem ergò, præ ſpiritibus ſeu ſucco nervoſo, bilem ne ſtatueris, uterque ſuccus ratione ſui purus eſt, alterutrum plus minùs ſubactum dixeris, de cætero, utrumque, ut decet, & ad naturæ mentem tractatum invenies.

Reclamat, impuritatum ſyſtemati aſtipulando, alvi natura. Hanc totius corporis ſentinam uno omnium ore dixerunt, quia corpus à ſordibus tuetur. Porrò *puri* ab *impuro* illic ſecretionem fieri nemo eſt qui dubitet, cùm alimentorum ſuccus purior per inteſtina tranſcoletur, altero, qui impurior eſt & fæculentus, foras excreto.

At nullibi turpius impegit Medicinæ praxis. Hoc fatuo lumine deluſæ omnium mentes, hincque ducto perperàm exemplo deceptæ, loca fecerunt univerſi corporis emiſſaria, quæ inutilibus ciborum reliquiis foras evehendis unicè famulantur. Secretio quidem eſt iſthæc eliminatio, eaque impuritatum, ſed quæ alimentorum ſunt, non ſanguinis ſuccorum. Illac enim aliquid impuri è ſanguine elabi tam falſum eſt, quàm inconſpicuum. Quæ ergò *impuri* à *puro* illic celebratur *ſecretio*, ad ſanguinem non ſpectat, illum enim ab impuritatibus ſervat, non liberat. Id autem veritati tam conſonum eſt, ut quidquid ſucci ſtillat aut derivatur in inteſtina, chylo intermedio intrà ſanguinem plurima parte reſorbeatur. Sentinandi ergò finem faciant impuritatum tutores, medicinæque praxim deſtercorari tandem patiantur. Hæc novis mortis & vitæ rationibus jamjam definiendis præludent, & reverà, de felici morborum ſucceſſu tandiù deſperandum erit, quandiù in ſanitatis & vitæ cauſſis deſipietur.

CAPUT III.

De ſanitatis & vitæ cauſſis.

IN uno calore poni vitam aſſerebat Philoſophia vetus, illique facto *facultatum* ſatellitio, omnes vitæ fontes aperuiſſe ſibi perſuaſerat. Naturam melius interpretari ſibi viſi ſunt, illiuſque mentem propiùs aſſequi, qui melioribus ducti conſiliis, *ſecundis* & miniſtris qualitatibus, *primas* ſeu principes ſubſtituerunt: dicto igitur repudio *calidis*, *frigidis*, *humidis*, *ſiccis* qualitatibus, ab *amaris*, *acidis*, *auſteris* ſaporibus vitæ munia deduxerunt. Huic ſyſtemati (ut ut caſtigato) cum ſolorum *liquidorum* ſit, hac ætate repugnarunt non pauci, *ſolidorum* viribus palmam vindicantes. Hocque nomine ei adverſantur, quòd precaria ſit ſanguinis potentia, de ipſius motu litem illi moventes, quòd mutuatitius ſit, à *ſolidis* nempè veniens, à quorum *elatere* dependet totus qualis aut quantus futurus ſit. Suſpectos quoque habent illius ſapores *amaros*, *acidos* &c. utpote cùm recondendis iis ac *concentrandis* unicè ſtudeat natura in elaborando chylo. Undenam enim ſanguini ſapores naſcerentur, qui in chylo ſuffocati fuerint? Hinc qua ratione *calidum*, *frigidum* &c. ut miniſtras qualitates abdicari voluerunt, eàdem *amaros*, *acidos* &c. ſapores, quatenùs inertes per ſe, & ſuppoſititios, *ſolidis* ut pote obnoxios, tunc procùl abeſſe jubent, *ſolidis* vitæ dominium adjudicantes.

Præ-

Prævalet hæc opinio, nec immerita currit; quare non levis ſuſpicio eſt, à *ſolidorum oscillationibus* potius quàm à *liquidorum* motu repetendas fore vitæ functiones. Fortè tamen rem ita componi præſtat; cùm circumagendis *fluidis* ſolidorum potentiæ inſerviant (illùc enim unicè tendunt) in partem alendæ vitæ *fluida* quoque vocanda erunt, quandoquidem horum circuitus, ut *ſolidorum* effectus eſt, fluidorum quoque modus ſit & affectio. Itaque vitam non malè dixeris organicum motum, quo fluida corporis in orbem aguntur; illo enim præſente & libero vita durat, abſente aut impedito ceſſat.

At motûs organici nomine, alius à ſimplici liquorum circumrotatione intelligitur. De induſtria enim ſit & ex condicto, quem moderatur impellentis potentiæ vis quæ adigit *fluida*, conſtantia quæ regit, dexteritas quæ dirigit. Spontanea eſt ac mollis potentia, quæ *fluidorum* tractabilitati morem gerit; flectit enim, non trahit, ſuadet, non imperat; verbo, amicè cogit. Ea ipſa viarum ductibus obſequitur, quarum ut ſervat limites, tramites obſervat; denique ut tubulorum ſunt menſuræ, modi, diametri, capacitates, ad horum omnium normam ac modulos componi amat. Interim cùm nec plumbei ſint, nec hebetes villi quibus tubulorum ſtamina conſtant, imò cùm toti nervei ſint, moveri, vellicari, criſparive faciles; tot inter teneritudinis organa perpetuò, tacitè & æquabiliter circumagi fluida prodigium eſt; eò majus, quò ſolitum magis eſt & familiare. Aliunde tamen creſcit adhuc miraculum, nam qui per univerſum corpus ſit circuitus generalis, ex ſingularium, qui ſingulorum viſcerum ſunt circuituum concentu coaluit. Quales ſunt enim in *macrocoſmo* cœlorum orbes, tales ſunt in *microcoſmo* fluidorum per ſingula viſcera vortices, ſic ut, cùm ex illis exurgat motuum cœleſtium ordinata ſeries, ex his conſequatur totius ſanguinis æquabilis circuitus. Porro harmoniæ vim, ordinis energiam, digitum Dei hîc ſenſerit vel avarus numinis cultor; legis enim æternæ effectus ſint oportet aut appendices, concordes adeò variarum tot legum concentus.

Sub his autem ſanitatem pingi putes. Concentus enim eſt, functionum integritas aut concordia. Revera quaſi ſub aere craſſo nata fuiſſet Medicina, corporis rebus magis quàm modis attenta, operis materiæ potius quàm arti, ſanitatis rationem craſſiùs interpretabatur. Quam autem humoribus primùm ſeu *fluidis* partibus, poſthac *ſolidis* imputaverat, nunc ab utriſque repetit, ſed re ipſa ſub pinguiori paulò rerum conceptu; *fluidorum ſaporibus* præoccupata magis quàm *ſolidorum potentiis*, utrorumque propriis qualitatibus potius, quàm rationibus mutuis intenta. Eò uſque hac ex parte à veritate deliratum eſt, ut *harmoniæ* loco quæ functionum conſenſioni competit, *fermentationum* conceptus ſuppoſuerint, quaſi cum ſudo tempeſtas conveniret. Indè contigit, ut ſanitas, quæ pacis fructus eſt, aut tranquillitatis, turbarum ac diſſidii fœtus facta ſit; à *ſalium*, *ſulphurum*ve tumultibus, *exploſionibus* ſpirituum, *volatilium evectionibus*, *ſublimationibus*, *cohobationibus* dependens. Interim tales rerum corporis ideæ, præterquam quòd in opprobrium naturæ natæ ſunt, utpote cùm eam materiæ nimiùm mancipant, iis ſubjecerunt incommodis medicinam, quibus hactenus laboravit. Salium, ſulphurum, ſimiliſque farinæ quiſquiliarum notionibus aſſuefacta, iis cumulandis, fovendis, farciendis apprime ſtuduit; at verò quàm infeliciter, oſtendunt hinc elicitæ medendi indicationes, quæ à non cauſſis profectæ, ſucos mille & impoſturas invexerunt; ſapores peregrinos quibus vacabat ſanguis inferendo, ingenerandoque humores quibus caruiſſet.

His minimè patet incommodis harmoniæ ratio, ad cujus leges definita ſanitas, inconditis libera conceptibus, puriores ſui ac à materia defæcatas ideas repræ-

repræsentat, nobilioresque spondet medendi intentiones & à sordibus repurgatas. Sit ergò sanitas fluidorum cum solidis harmonia, à firmo motuum ordine, nec deviantibus liquorum directionibus proficiscens. Quid indè fructus capiet curandi ars, aliàs videbitur; quid emolumenti jàm accedat physiologicis rebus hic exponendum.

Hæc est corporis humani conditio, ut illi pereundum illico foret, nisi quod ipsi continuò decedit, in dies resarciretur. Id officii nutricatûs est, cujus operâ succorum loco, qui assiduè *transpirando* vanescunt, recentes subingeruntur. Hinc functionum integritas, sanitatis ac vitæ tutela. Hoc ut cedat feliciter, necessum est, ut à centro corporis ad cutim aut habitum ferantur sic diluti extenuative succi, ut quæ è partibus saturatis decidunt particulæ, cutis poros ingressæ avolare queant. At immane dictu qualia & quanta sint posita centrum inter & extrema corporis intervalla. *Septiès* superaverint intestina corporis altitudinem, pro modico erit, si conferas quantò arteriarum evolutio corporis mensuram excederet. Ex ungue leonem; trecentarum ulnarum est vasculum unde testiculus coaluit, hoc est testiculi longitudinem milliès & ampliùs superari vasis evoluti longitudine, undè constatus est. Tali inito cum singulis partibus calculo, immensum evaderet, quàm densis vasculorum glomis, recessibus, plicaturis constet humanum corpus, quàm plurima condat, prodat quàm pauca longitudinis miracula, verbo, quantò sit aut videatur corpus se ipso minus. Cogites autem in his deviantibus ac tortuosis vasculorum glomeribus incomprehensas angustias & arctationes, vix capiendo eris, quantâ sit opus *liquidis* minutie, ut transmeare possint, & ad metam pervenire: *liquidis*, inquam, quales sunt nutritii succi, non omninò dilutis, sed lacteis, pinguibus, succosis, tenacibus, Interim has omnes *resistentias*, obices, repagula, *liquidis* superari facilia intelligeres, si singulares essent, tenoris unius, unius ordinis ac naturæ tubuli. At protheorum instar multiformes facti, quâ arteriæ nascendo erant, *in lymphatica*, *excretoria*, *venosa* progrediendo desinunt. Qualis ergò, quàm portentosus adhibendus liquidorum commensus, ut illa, quæ chylus modo est, quæ lympha, quæ succus erit excernendus, quæ tandem sanguis futura est, *liquidorum* portiuncula, proprium quælibet vasculum subeat.

At isthùc, ut ut perbellè gestum sit, operis dimidium tantùm est; *liquidis*, quæ per tot salebras illùc pertigerunt, retrò eundum est. Quidquid enim peragratis corporis itineribus superfuit purpurei laticis, eadem ipsi itinera relegenda sunt, eadem superanda repagula, cavenda diverticula, iisdem ipsi refluo ut influenti obsequendum directionibus, ne quæ eundo declinavit, redeundo incurrat discrimina. Tot conditionibus subjicitur publicus & universalis sanguinis circuitus; sed & aliæ veniunt sanguini servandæ leges, à particularibus viscerum circuitibus profectæ. Ut inæqualis est vasorum quæ per viscera sparguntur numerus, sunt & variæ eorum capacitates. Sic venæ cavæ *diametri*, aortæ duplex est: emulgentis, sodalis arteriæ triplex; *iliacorum* in viris *diametri* breviores sunt quàm in fœminis; verbo, arterias omnes capacitate vincunt venarum omnium propagines. Nihil ergò tàm obvium quàm arteriarum ad venas & vicissim *diametrorum* inæqualitas. Quò hæc omnia? Certè ad servandas *æquilibrii* leges, ut ex angustis in latiora aut è contra decapulandi liquores, tardescant modò, modò accelerentur. Est enim ubi motûs celeritatem locorum angustiis compensari necesse est. Igitur cor fit commune corporis confluvium, quo ex singulis partibus succi revehuntur, tardiùs celeriùs pro locorum distantiis, pro vasorum capacitate, elatere, glomeratione. Ex hoc unanimi & æquali refluxu pendere imprimis sanitatem non ob-

ſcurum eſt. Factâ ergò eclypſi alicujus ſuccorum molis, quæ ex condicto ad cor è viſceribus reverſura erat, imminuetur ſanguinis fluentum, circuitûſque filum, à vaſorum plenitudine pendens, fatiſcet; contrà celeriùs cordi redditis, è viſceribus redeuntibus ſuccis, vaſa cumulabuntur, turgebunt nimiùm, ingurgitarique periclitabuntur.

His anteire incommodis natura debuit, vaſorum diametros arctando hîc, illîc dilatando, breviando vias, vel elongando, nunc adhibendo pronitates, nunc obices interponendo. Hæc omnia ordinando ſanguinis circuitui, organicis motibus regendis, firmandæ demùm fluidorum cum ſolidis harmoniæ inſtituta ſunt, ſed his ſtabiliendis aliundè adhùc à naturâ conſultum eſt. Nerveus eſt vaſorum textus, elaſticus, arctari proindè laxarique promptus; inſuper volubilis eſt ſanguis, utpotè rotundis, quæ *rubram* portionem conſtituunt, particulis reſperſus, tùm aliis lubricis, quæ albam. Illas non ſecùs ac palangas habeto, has ut inſtabiles, tactum fugientes, utraſque prementibus tubulis concluſas, fugere geſtientes. Hæc omnia ad volubilitatem comparata nemo non videt, ne videlicet fluidorum itus ac reditus undequaque impedirentur, aut ſanguinis circuitus aliquatenùs nutaret.

Mitto *balſamicam* ſanguinis diatheſin, ſanitatis, ſi famæ fides, nutricullam; *balſamicum* enim nec olet, nec ſapit lacteus liquor. Sapores quoque prætereo, utpotè cùm in ſanguine optimi ſint qui nulli. Conſtitutum, ut decet, ſanguinem puta, dividuum ſummè, & immenſe diviſum. Illi enim ſaliendo nullibi, dividendo ubique allaboratur. Ubi primùm dilutus eſt chylus, per inteſtinorum poros tranſeundo minùs quàm exudando, in atomos magis quàm ſuccos diſpertitur. Pollinis genus eſt qui ſanguini infriatus, millenos omnis generis tubulos ſubit, per totidem revehendus; certè in tot ſegmina disjunctus ſuccus, non tàm liquoris quàm roris ſpeciem repræſentabit.

Hîc quòque de ſanguinis *depuratione* ſiletur, pellitur enim non bullit ſanguis, recenſque fabula eſt, quæ de illius deſpumatione circumfertur. Reipsâ in inteſtinis colatus eſt chylus, proindeque nihil ſordidi ſecum importat in vaſa. Purus ergò putuſque liquor eſt ſanguis, *depurationis* non indigus. Si quid vitii contrahit, id omne à lentore capit, undè ſtagnans moratûs-ve, vel *oscillantium ſolidorum* fortioribus & crebrioribus ictibus eliqueſcit, circuituique redditur; aut infrangibilis, duratur magis, motûſque ac vitæ finem accerſit.

Id Philoſophiæ genus arti ut ſanguini nitorem reddit, nitidioribus enim factis vitæ cauſſis, ſanitatem conſpicere eſt totam in induſtriâ, ſagacitate & providentiâ naturæ poſitam; in fluidorum directionibus, ordine motuum, æquabili circuitu, tandem in unanimi illorum cum ſolidis reſponſu, concordi ſymmetriâ, harmoniâ mirabili. Iſthuc eſſe, inquient in *Phyſica Metaphyſicum* agere. At imò *phyſici* partes tueri eſt, cujus non tam munus eſt tractandi, crepandique materiam, quàm materiæ modos, ordinationes, motus, horum rationes, diſcrimina, leges; ſapientis enim eſt, rerum animas potiùs, quàm materies proſequi.

CAPUT IV.

Quid morbus. In quo conſiſtat: quis ſub illo ſolidorum *ſtatus.*

DE Morbi ſede hactenùs ambigebant, quam in *liquidis* alii, alii in *ſolidis* ſtatuerant: hanc autem litem dirimit omnem, prodita modò ſa-

ni-

nitatis ratio, quæ utrîsque *liquidis* & *solidis* communem eam esse ostendendo, utrorumque affectionem esse morbum perspicuum sit: quanti autem ad felicitatem artis ponderis sit, ritè posita morbi sedes, norunt artifices. Enim verò quò dirigendus sit medentis scopus, quæ curanda pars, huic nosse tam necessarium est, quàm ægrotanti utile. Jam qualis sit isthæc quæ solidis & fluidis ex æquo incommodat affectio, revelat prodita sanitatis idea. *Symmetriam* esse dictum est ac harmoniam motuum organicorum, unde resultat circuitûs sanguinis æquabilitas; supereſt morbum esse *ametriam* eorumdem & *anomalias*, unde circuitûs sanguinis inæqualitas sequîtur & confusio. Porrò hîc *solidorum* nomine, unica partis species intelligitur, quæ *systema nervorum* erit, quæcumque enim *solida* pars in vitio sit, quatenus nervea est, afficitur. Hac autem de causa, quòd nullius non partis stamina nervea sint, immò cum omnis partis officium aut actio, ea ratione qua nervea est *oscillando* exerceatur, hac eadem ratione læsioni obnoxia venit. Itaque ad nervos maximè pertinere morbi rationem manifestum est. Fidem facit symptomatum indoles quæ morbos incipiunt, quæ comitantur, quæ finiunt. In exemplum venit febris, quam horrores, oscitationes, pandiculationes, dolores *ostocopi* prænuntiant: comites sunt pulsus concitatior (durus & *serratilis*, si inflammatoria fuerit) dolores capitis, cardialgiæ &c. agmen claudunt tendinum subsultus, tremula vox, artuum tremores, convulsio, &c.

De *fluidis* non item, multiplicia sunt, varii ordinis ac diversæ naturæ, ipse nimirùm *sanguis*, *lymphæ*, *serum*, *succus nervosus*, *bilis*, *succus pancreaticus*, quorum interim omnium ut ut dissimilium, simplex & unicum erratum est, in quo sub morbis deprehenduntur, motuum scilicet inæqualitas, aut confusio, quam necessariò importat *liquidorum* situs aut positura. Liquida enim tubulorum alveis coercita, à quibus suam omnem vim, omnimodumve motum mutuantur, totius quæ illis advenit noxæ, in partem veniunt, *solidis* videlicet à motu aut *oscillatione* delirantibus, *fluida* plectuntur. Hinc est quòd spontaneæ lassitudines, morborum præambulones sint. Rationem ostendit partium corporis textus, qui ubique nerveus, ubique sentit, ac compatitur. Neque enim rudis est aut inconditus, at sic sibi cohæret, undecunque concors, ut sibi partes consonent, nec rarò quidquid pars aliqua admittit, alteri reddat. Exemplo sunt singulares & *mutuæ* quarumdam partium sympathiæ; cerebri cum hepate & ventriculo, unde fit ut à commoto cerebro vomitus superveniat, succedatve hepatis abscessus. Comperta ejusdem cerebri cum oculis conniventia, illo enim inflammato, oculi rubent & inflammantur. Concordant adhuc mammæ cum utero, pedes & testiculi cum pectore aut pulmonibus, adeò ut malè se habente utero, mammæ condoleant; affectisve testiculis, aut refrigeratis pedibus, tusses contingant. Tandem consonantia datur pedum cùm alvo & alvi cùm oculis, ita ut à frigore pedum obstinatior alvus resolvatur, item facto alvi profluvio, lippientes oculi persanescant. Posthac nihil miri est quòd interdum sub levissimo dolore, corpus universum condoleat; publica est enim & communis partium omnium consensio.

Ex violata hac consensione, emergenda esse generis omnis symptomata aliunde intelligitur. Quid enim incommodi non nasciturum est à stagnantibus, deviis, alióque derivatis quibuslibet succis? Hæc autem invehit pessumdata partium symmetria; sic enim mutatis motuum *directionibus*: inverso eorum ordine, præcipitibus factis quibusdam succis, alii lentescunt. Aliàs in impetus evadunt *directiones*; crebrioribus enim factis *solidorum oscillationibus*, qui sensim ferebantur liquores, violenter abripiuntur. Hæc quidem motuum errata, uni sanguini vulgò imputant, at reliquis succis communia esse ostendit arte-

riarum positura. Ea est, qua progrediendo *in lymphatica, secretoria* & *venosa* desinant. Hac suppositione, quidquid vitii capit sanguis, consecutione necessaria cæteris è sinu suo fluentibus succis, *lymphæ, bili*, &c. impertit, quandoquidem omnium eadem est series, idem circuitus. Hac arte infelici, naturalis & necessaria fit motuum, ordinis, directionum confusio. Naturalis, inquam, ut enim *allisionum collisionumve*, sic *impetuum, declinationum, determinationum*, sæ sunt leges. Posito alicubi sanguini obice, illuc necessariò rapietur quò capacioribus ac proclivioribus viis feretur; eò enim faciliùs itur, ubi sentitur resistentiarum minùs. At quia minimorum tubulorum collectæ cavitates, majorum capacitatem æquivalent, alicubi impeditus sanguis, eò loci quò vehunt plures arteriarum surculi, rapietur, Talia sunt autem *viscera, hepar, pulmo, cerebrum*, &c. Inde fit ut coorto morbo graviore, in hæc tam facilè insiliat sanguis, *apostases, inflammationes, apostemata* facturus. Si addideris locorum pronitates, quæ morantem, cespitantemque sanguinem ad se invitant, uberes & faciles lapsus in has aut illas partes, concipere erit, præterquam quod enim ubique locorum in corpore servat natura proclivitates, eæ sunt declivitates quarumdam partium, ut cataractarum more in subjecta loca succos præcipitent. Sic sanguis, quo cumulatum fuerit cerebrum, ad pectus ruere consuevit; nimius enim per arterias appulsus, impotentiùs à venis revehitur: verùm quia ad subjectas partes pulmonum, vasorum mæandris deest par proclivitas, facto gurgite succi ita redundant, ut gravetur pectus & ingurgitetur emissariis defectum, quibus impetu confluentes succi aliò erumpant aut elabantur. Similiter ad uterum frequentes sunt & faciles humorum lapsus; præ hominibus enim has à natura obtinuerunt feminæ succorum colliquias, quò exuberans sanguis derivatur. Itaque sub morbis mulierum impeditus sanguis, aut hærens alicubi, ad uterum sæpiùs elabitur, tensiones, dolores, inflammationes, hæmorrhagias commissurus. Hanc uteri pronitatem æmulatur in viris, vasorum hæmorrhoidalium declivitas, quò ruit quidquid sanguinis ructant abdominis viscera. Quot symptomatum causas revelarent similes *lymphaticorum, nervorum*, &c. positus, si in apertum venirent? Saltem ex his quæ cernuntur, cætera quæ latent adhuc interpretari licebit, eò verosimiliùs, quòd cum simplex sit natura sibique similis ubique, industria dissimili nusquam utitur. Quo admisso quidquid errati, detorsionis, inordinationis, &c. in sanguine, illiusque succis comitibus contingit, id omne de *lymphæ* ipsa, de *nervorum* succo non rarò conjicere licebit. Horum ergo ut cæterorum succorum motus impeditos, dejectos, inversos, devios concipere conveniet; partiumque nervosarum *spasmos, glandularum* obstructiones, tumores, scirrhos, ab *oscillationibus* violentis, turbatis, turbulentis; à *lympha* tardata stagnante, ingurgitatâ deduces. Nihilominùs tamen è memoria exciderit nusquam, turbarum quascunque patiantur cæteri succi, causam & originem à sanguine manare: hic etenim ut impetum primus à corde recipit, estque cor prima & princeps motuum potentia, quotquot in corpore motus exercentur, motus cordis consectarii sunt & appendices, adeò verum est quidquid morbidi corpori advenit, ab exlege sanguine, à turbata symmetria, à motuum anomaliis, ab inæquali circuitu nasci.

Hîc tamen unus solvendus sese objicit scrupulus. Ambigitur, an tot motuum turbæ aut inordinationes, à potentiarum inertia enascerentur? An ab earum exuperantia aut violentiori impetu; quod idem est, an à frigore aut ignavia, an à calore oriantur.

Reverà succorum mora, inertia partium quam crebrò excipiunt artuum torpor, languor, paralysis, imbecillitas, hæc omnia nihil aliud repræsentant, quàm labantes, infirmas, resolutasque potentias. Imponunt tamen, *solidorum*;

enim

enim *atoniæ*, reſolutionis, laxitatis nomina frequentia, ſed tales eorum affectiones rariſſimæ ſunt. *Strictura*, ut loquebantur *Methodici*, effectiones ſunt. Certè à cuneatis, ingurgitatiſque ſuccis in his caſibus impediri partes in confeſſo eſt; at ſtaguationum cauſſa ſolemnis eſt, *oscillationum* crebritas, acceleratio, petulantia, qua fit ut ad vaſorum fines ſuccorum copia major pellatur, quàm revehi queat. Mechanices hujus cauſſa ſuo loco tradetur, cujus effectus præmitti hic debuit.

Quamlibet igitur ſpeciem offerant morborum ſymptomata ab aucto *ſolidorum elatere* ſcilicet, vel à prementibus nimiùm vaſis, vel ab arcano ſpaſmo naſci ut plurimùm ſuſpicio eſt. Id innuit enormis *ſolidorum* vis, quæ cum ſtante ſanitate ſupra *fluida* dominatum obtineat, proclive eſt, naſcente morbo tyrannidem ab ea exerceri eò efficaciùs, quòd permulta ſint quæ *ſolidorum* vim poſſint elevare, perpauca quæ *fluidorum* augeant potentias. Id autem ex inſtituto naturæ; *ſolida* enim exercendo regimini, ferendo *fluida* nata ſunt, quorum vis una in reſiſtendo, patiendo proinde poſita eſt; ſervituti ergo facta famulantur ſemper fluida, nunquam imperant. Qualis ergo unquam energiæ futura? Interim ſi vim illis aliquantulam accreſcere putaveris, fortiùs inde vellicata *ſolida* viribus creſcent. Eſt tamen, ubi depreſſionis aut imbecillitatis ſpeciem exhibent *ſolida*, cum videlicet placido pulſu, (*concentrato*) vires fatiſcunt, hebeſcunt functiones, torpeſcunt artus, pulſu interim, urina & ſanguine, qui floridus eſt, à nativa indole vix recedentibus; tunc temporis à ſtatu, aut à viribus dejecta *fluida* dices? Quidquidque ſubeſt morbi, à *ſolidorum* infirmitate provenire? Immò talia quoque committit ſingularis & inſueta ſpaſmi ſpecies. Ea eſt qua à flexibilitate ſua deſciſcentes motrices fibrillæ obſcurè rigent; non ita quidem ut *oscillationum* ſuarum rythmum perdant, ita tamen ut earum modum mutent. *Spaſmus* eſt *tonicus*, ſub quo perſeverat *oscillationum* tenor, ſed impedito gradu, coacto, ſuſpenſo. Hinc etiam eſt quòd omnis infauſti eſſe ſoleat id *ſpaſmi* genus, non enim has vel illas vaſorum fibras, ſed totam fibrarum texturam, atque compagem, non *erethiſmi* fugacis & volatici ritu, ſed *ſpaſmi* perennis & continui præſentia afficit. Reipsâ hic eſt vaſorum *ſpaſmus*, qui morbis malignis proprius eſt, eò infenſiùs vitæ minitans, quòd pulſus ſic conſtitutus, revehendo ſanguini impar, tacitè circuitum illius peſſundet. Igitur corvo *albo* rareſcit non minùs ſymptoma morbi, à partium laxitate, aut motûs imbecillitate natum. Alicubi tardata pauxillùm *oscillandi* vis; aliorſum proſilit, ita ut facta alicubi *fluidis* remora, eorum accelerationem alicubi futuram ſpondeat. Sic, quod fidem vix inveniret, turbarum aut motûs non aliunde fons uberior, quàm à *fluidorum* tarditate, quorum invecta quies, morbidæ inquietis acceſſio eſt. Non pauca huc exponenda venirent; at ſingulatim ea perſequi tædio foret, quæ meditata *tritûs* & *oscillationum* doctrina ſuppeditabit.

Nihilominùs tamen duo ſunt non prætereunda, quæ morborum *ætiologiam* juvabunt non mediocriter. Alterum eſt, *ſpaſmum* qui morbi ponit initia, à majoribus vaſis infrequenter, ſæpiùs à minoribus ſeu majorum extremitatibus incipere; eapropter tam lenta ſunt & obſcura morborum præludia, tamque à longè venit ingentis morbi cauſſa; ſic flammat ſubito ignis, ſuppoſitus diu cineri doloſo; dum enim in majoribus vaſis non interruptus perſeverat circuitus ſanguinis; in capillaribus nutans, obicibus mille anſam dat, materieſque ſenſim cumulat *fluidorum, undulationum, oscillationumve* commerciis impedimento futuras. Alterum hoc monitum eſt, ut varii ſunt ſucci qui ſpaſmo vaſorum coercentur, ſic & variæ dantur *directionum mutationes*, unde ſymptomatum multiplicitas & diſcrimina. Coercitus *nervorum ſuccus*, aut tardata *lympha*,

pha, quæ *glandularum*, *cerebrive* ſunt ſymptomata invehunt, quæ vulgò *frigiditati* imputant; ſtagnans compreſſuſve ſanguis, ea dat quæ *calori* attribuuntur, ardores nempe, *phlogoſes*, *inflammationes*. Illis adeſt lenta febris aut mitior, his vivida magis & ardentior. Quantum præſidii hic venturum ſit medendi intentionibus, intelligent in hoc piſtrino verſati.

CAPUT V.

De ſtatu fluidorum *ſub morbis.*

IN votis fuit hactenus, ſanguinis ſtatûs cognitio, nihil enim tam fuit omnium cordi, quàm ſuccorum humorumque comperienda indoles, quò medentes ſcopum dirigerent. Hic quondam erat *refrigerandi*, *calefaciendi*, &c. *tenuandi*, *incraſſandi*, &c. quandiu videlicet in honore fuit *calidi*, *frigidi* &c. dogma: at mutata artis facie, ludibrioque habitis qualitatum ſimulacris, recens & peregrinus ſuffectus eſt ſaporum cultus, tumque mulcendis *acoribus*, *concentrandis acidis*, *ſaturandis alcalibus*, *lexivialibus* eluendis, figendis *ſulphuribus*, *ſalibus* tandem infatuandis, retundendis, edulcandiſque allaboratum eſt. Inde factum, ut quæ anteactis temporibus in refrigerando verſabatur medendi ars, tota nunc in *abſorbendo* ſit occupata; licèt reverâ vocum magis quàm rerum ſit iſthæc metamorphoſis, cum in iiſdem intentionibus perſeveretur, communi ſaltem ſub hoc reſpectu, quòd in unis fluidis ſeu humoribus curandis utrimque ſudatum ſit. Præpoſtero tamen labore, aliò enim quàm conveniebat ſinguli collimantes, à ſcopo omnes receſſerunt, in inſcrutabili ſuccorum qualitate morbi naturam quærentes, quæ in eorum motu invenitur. Illos decepit *ſymptomatum* diverſa facies, quibus propriam & ſingularem in ſuccis *diatheſin* definiendam eſſe ſibi perſuaſerunt. At errorem eorum arguit ſymptomatum mira varietas, quam ſanguis ſolus committit, abnormis factus tantùm, ſuccorum malè feriatorum ſatellitio ſæpiſſimè vacuus. Enimverò ea ſit ſymptomatum facies, quæ *calorem* aut *frigiditatem*, *aciditatem* aut *acrimoniam* &c. innuat, hæc omnia committere poteſt unus ab orbita ſua delirans ſanguis. Teſtes ſunt *Chloroſis*, *menſium* & *lochiorum* defectus aut ſuppreſſio in feminis; *hæmorrhoidum* abſentia in viris; *hæmorrhagiarum* ceſſatio in iis, quibus familiares fuere; *venæſectionis* omiſſio ab iis, qui hanc ſibi legem dixerant; nullius enim coloris, indolis aut naturæ ſymptoma morbumve concipias, cui prodendo non ſuffecerit ſanguinis hac vel illa ratione ſuppreſſi, motus abnormis. Quantum a rotundis quadrata diſtant & ab albo nigrum, tantum naturâ & ſpecie diſſimiles videntur *alba febris*, & *ardens*, *pleuritis* & *hydrops*, *ſanguinis ſputum* & *cachexia*, *ſopor* & *inſomnia*, *torpor* & *dolor*, *ſegnities* & *inquies*: interim hæc omnia à *menſium* inordinato motu orta, quotidiana praxis oſtendit. Quàm parum convenit *hepatis* inter & *lienis* affectus vulgatum eſt, tam inter illius *inflammationem* & alterius *ſcirrhum*, utrumque tamen inducit *hæmorrhoidum* ſiccatio. *Febres*, *eryſipelata*, *abſceſſus* ingenerat interrupta ſanguinis miſſio. Tandem vix claſſis alicujus aut conditionis morbum offendis, quem ab *hæmorragiarum* ceſſatione, defectu aut abſentia natum non prodat uſus. Quod adeò verum eſt, ut eorum affectuum, quos herculeos vocant, maximam partem, à ſanguinis ſuppreſſione quadam profectam comperias. Ejus ordinis ſunt *epylepſia*, *hypocondriacorum* morborum quodvis ſatellitium, *phtiſis*, *ſcrophulæ*, *carcinomata*, *hydropes*, quorum originem, ut decet, ſcrutando, hanc ab evacuatione ſanguinis quadam deficiente manantem comperies.

Immò

Immò nullum ex morbis invenias ſanguinis evacuationibus, quavis ex parte contingant, obnoxium magis, quàm *hydropem*. Adeò ut, calculo inito, nullum ferè *hydropicum* è vivis excedentem, medentibus videre ſit, antequam ſanguinis aliquid ore vel naribus, alvo aut utero, ſemel aut iterum reddiderit. At quantum in giguendis morbis valeat aberrando ſanguis, nihil aperit magis quàm ſæva illa aut lethalia ſymptomata, quæ *hæmorrhagiæ* maturiùs ſuppreſſæ ſuccedunt. Ea ſunt *febres, hepatitis, icterus, phelgmone, abceſſus*. Huc quoque ſpectant *hæmorrhagiæ*, quæ membro aliquo curtis tam familiares ſunt, adeò ut morbos incurrant, niſi illarum defectui ſanguinis miſſio, diæta aut labor, quæ hinc imminent diſcrimina, avertant. Quæ omnia, cum obvia ſint, definiendæ morborum naturæ ſervient mirabiliter, palam faciendo nihil aliud eſſe morbos, præter partium affectiones, à devio ſanguinis circuitu natas.

Cæterùm hîc ſanguinem puta vivificam illam ſanguinis molem vaſis coercitam, quæ ex alba & rubra portione coaluit. Cum enim harum ſingulæ ſua habeant vaſa, quibus vehuntur, ſuis quoque motuum *anomaliis* obnoxiæ veniunt, accelerari proinde, lenteſcere periclitantur. Porrò quantum inde elucidari poterit morborum qui ſeroſæ colluviei tribuuntur ætiologia, attendenti patet. Sic enim *Catarrhorum* fontes qui hactenus delituerant ſe produnt, ut & origines immenſi illius proventûs ſucci nutritii, qui per *ſputa, coryzas, fluores albos, gonorrhœas* perit, tam aliunde durabilis & inexhauſti, ut in *tabem, maraſmum* aut *atrophiam* tempore non multo præcipitent; Quorum omnium rationes hic manifeſtæ ſunt. Quæ albæ portioni dicantur vaſa, ad corporis peripheriam, aut viſcerum cava terminantur, quò *tranſpirationis* materiem exportant; juxta tritam hanc corporis œconomiæ normam, qua ſuccus nutritius ſuis officiis (quæ partium rorationis ſunt) defunctus, in fumum expirat. Quæ autem ſenſus fugit iſthæc expiratio, ad corporis habitum exportatâ denſa caligine, fumoque manifeſto ſenſus ferit, in apertis vivorum animalium corporibus. Verùm quemadmodum halitûs illius inconſpicui materies, vel per ſe, vel aeris frigidiuſculi occurſu ſpiſeſcens, pauliſper in ſerum ſeu ſudorem corporatur, ſic quavis de cauſſa ſtagnans, morata, lenteſcens intra viſcerum interiora, quò derivatur in tranſpirationem internam ceſſura ſucci nutritii materies, in ſerum aut pituitam coaleſcit; ſtupharumque loco, quas corporis cavum æmulabatur, impluvium ſuccedit; cùm enim horum vaſorum tot oſcilla ſint quot puncta, quibus partes perviæ ſunt, harum parietes undequaque ſero perſtillare intelliguntur. Quam autem affatim hinc ruant tot aquarum imbres, evincit perennis *membranarum* & *tunicarum* mador; cùm enim membranæ ſint & vaſa, ſingulæ partes, eædemque ejuſdem contextûs ſint ſub morbis; quæ ſub ſanitate fuerunt madoris fontes, eas omnes in cataractas ſolvi ſub morbis, ſerove exundare concipitur. Certè hinc manare *hydropum* quorumvis eluvies ſuſpicio eſt non mediocris, eò magis quod cùm vaſorum parietes interni glandulis perſtrati habeantur, in ſerum, *occillatione* morbida facta, mutato madore, ſanguis ipſe ſero mergetur. Immò & ſicci *hydropis* indidem proficiſci cauſſam conjectari licebit. Succum enim illum nutritium, qui modò in ſerum liquatus ſi ultra modum attenuari contigerit (id autem à *motus ſyſtaltici* crebritate venire poteſt) tum non vapuroſus udor per partium cava exhalabit, ſed ſalacior erumpet & impetuoſus ſpiritus. *Exploſionis* genus erit, qua jaculata *elaſtica* materies, in partes vibrabitur. Verbo, ventus erit in cava erumpens, tumens inibi, rarefactus & arietans; an flatuum cauſſa veriſimilior magis?

Sed ne extra oleas, ad *fluida* revertendum eſt. Aliud horum motui vitium accedit. *Rubra* pars ſanguinis, *albæ* vaſa ſubit; quod errati genus à ſanguinis violenti ictu impacti culpâ committitur, erratique hujus is modus eſt & ratio. A ſan-

ſanguine exit ſuccus nutritius, ſanguiniſque impetu in propria vaſa extruditur. Utrique igitur communis impulſio, ſoliſque *colliſionum, percuſſionum ac declinationum* legibus alterutriùſque in impropria vaſa divortium fit. Interim cùm à nimio exercitio ſanguis per ureteres urinæ loco redditur, cùm in nutricibus vice lactis ſanguis mulgeatur, pro pituitâ pulmones ſanguinem expuant, pro lymphâ glandulæ cruore imbuantur, quid non futurum diſcriminis ex commemoratis modò ſuccorum erratis, ſi à debitis ſibi tramitibus & *excretoriis* evagantes, aliena & peregrina ſubingrediantur? Quæ vis & ſpecies morborum non inde naſcetur? Ejus ordinis erunt *plica polonorum*, ſanguinei ſudores, cruentatum, quod *paracenteſi* educitur, *hydropicorum*, ſerum. Quidni à ſimili circuitûs ſanguinis errore, erumperent *morbilli, febres ſcarlatinæ, purpuratæ, variolæ, eryſipelata*, & ſimiles cutis affectus, ubi ideò rubedine tota reſperſa videbitur, quia quæ ſuccо albo unicè admittendo dicantur cutis vaſcula, adacto vehementius ſanguini patuerint?

Hæc in publicis, quæ ad univerſum corpus attinent, vaſis; quid autem ſi motuum *anomaliæ* & aberrationes, ad vaſa viſceribus propria, *ſecretoria* vocant, *hepatis, pancreatis, teſticulorum, uteri, &c.* pertingant? Quales indè turbæ, qualis confuſio, quæ ægritudinum miſcellanea! Hinc ancipitis naturæ, dubiæve conditionis ſuccorum ſtagnantium, refluorum, excretorumve abnormis & indigeſta luxuries, quæ mole, colore & effectionibus imponunt, perperàm ſtabilitis eorum originibus, undè medentium *indicationes*, conjecturæ, conſilia incertantur. Exinde tandem tot *profluviorum, tumorum, ſcirrhorum, apoſtematum* vix definienda genera, ex malè poſitis eorum ſedibus, cauſſis & materie.

Suas quoque motuum *ataxias* incurrit nervorum *lympha*, quam *ſpiritus* dicere aut *ſuccum nervoſum* perinde eſt. Interim motuum *anomaliis exploſionum* loco ſuffectis, roſcidus humor, quo imbuendi ſunt nervi, in halitum *elaſticum*, igneum, flatulentumve deſciverit, *undulationum* mollium loco, quibus *occillare* debent fibræ motrices, alliſæ fortiùs, compreſſæ nimium, ſæpiùs vellicatæ, *ſpaſmos, criſpaturas* multiformes edent, à quibus *vaporum*, ut ajunt, ſeu *affectionum hyſtericarum* ſcena verſatilis, *melancholicorum, ſplenicorum, hypochondriacorum ſymptomatum* monſtra aut prodigia. Quemadmodùm enim perſeverans æquabilis *undulationum occillatio*, tenoris ſui ac directionum tenax, *ſenſationum* ſeriem tuetur ac conſtantiam, ſic à tramitibus deviando, nervos emovet ac præpoſterè vellicat. Hùc in auxilium vocant *ſalium* ſtimulos, & *ſaporum* energias, quibus vellicati nervi *ſpaſmos* concipiant; ſed vulgi palato ſapiat quantumvis iſthæc idea, *nervorum* teneritudini & eorum *lymphæ*, quæ mollis & blanda eſſe debet, omninò repugnat. Præterea an tam vera ſit quàm jactata ſaporum, ſaliumque præſentia in ſanguine & conſectariis illius ſuccis, adhùc ambigitur. Denique æquè juvabunt *occillationum anomaliæ*, ac ſalium aculei, & ſaporum vires ad exponenda nervorum officia; quod enim hæc pungendo præſtare prædicantur, illæ motando, agitando, ſuccutiendo exequentur. Sonos acutos, tremulos, graves, &c. edunt citharæ fides ex arte pulſatæ, ſic & emotos variè, & ex naturæ inſtituto agitatos nervos, varias ſenſationes edere concipitur. Friget ergò aliquis ſub morbo aut ardet, artuum ignaviâ aut inquiete laborat? His invehendis ſatis erunt *occillationum* inſultus, concuſſus, impetus, tùm *ſuccі nervoſi* mora, pernicitas, arietatio; hinc enim naſcitur *nervoſo ſyſtemati* arcana inquietudo, ſuique impotentia, *ataxiaſque* versùs pronitas. Aliundè non adeo patet animo, qui fieri poſſet, ut *ſalini* ſapores ad ſuccum nervoſum pertingerent. Nonnè fruſtrà illi tenuando, exuendòque ab extraneis quibuslibet ſtuduiſſet

na-

natura, tot adhibitis *tritoriis* artibus, vaſorum nempè *diametris*, angulis, curvaturis, *contractilitate*, quibus peregrinum omne, aut corporatum quodvis è nervorum ditione arceretur? Salini enim ſapores à corpuſculis duris, rigidis ſimul adunatis pendent, quæ aut procul amoviſſet tot tubulorum toties iterata *ſyſtole*, aut penitùs contriviſſet. Igitur etiamſi daretur in ſanguine, undè ſapores in nervoſum laticem derivari conjectant, *ſalia* inveniri, nervorum penetralia ſubire nuſquam eis concederetur. Atqui ſalina labe ſanguinem aſpergi à vero abludit; illam enim à chylo in ſanguinem ſcaturire, mendoſa opinio eſt. Equidem *ſalinis* aculeis ſcatere chylum à ſtomachi coctione recentem adhuc, concedendum eſt; talia enim alimentis adeſſe debuerunt, tùm ut vellendo palatum, maſticationem provocarent, ſalivamque movendo ſubactionem juvarent, tùm ut tritu agitata ſalia, rumpendis, diſcerpendiſque alimentorum moleculis inſervirent. Igitur chylo recens confecto, impurato adhuc ea ineſſe ſuſpicio eſt, at colatum, ut decet, tranſmiſſumque per inteſtinorum ſpongioſa oſcilla chylum, *ſalinas* particulas ad ſanguinem ſecum aſportare tam impoſſibile eſt, quàm inutile; hærentibus enim & inviſcatis inteſtinorum glutine ciborum ſuperamentis; depoſitâque illic omni ſalium ſarcinulâ, levis, benè nitens, & defœcatus ad ſanguinem progreditur, ulteriùs, perfectiùſque ſubigendus. *Lævigatio* enim eſt illa *trituræ* pars, quâ chylus ab inteſtinorum exitu tenuatur, uſquedùm *tranſpirando* expiraverit. Defricandis cibis, ut inde chylus exiret, tudiculis aut fortioribus ictibus opus fuit, qui quaſſarent, contunderent, comminuerent; hinc autem eliquatus chylus, duris, incidentibus, quales ſalinæ ſunt, particulis admiſceri minùs debuit, utpotè qui non ampliùs deterì indigeat, ſed tantùm tractari ulterius, emolliri, poliri, ut ductilis evadat, aptus nempè tranſmeandis vaſorum labyrinthis, flexuris & anfractibus. Hoc autem, ut aſſequatur, id artis adhibet natura. Vaſa ſanguifera, quò confluit chylus, moleculis *planè ovalibus* volubilibus, rotundis conſevit. Cum autem quæ lapillos inter volvitur aqua, limpidior ſit ac nitidior, à *plan-ovalibus* ſanguinis particulis ſimile quid venire chylo non ineptè cogitares. Nota quoque quæ ex agitato molliter porphyrio venit politura: an arte non abſimili affrictæ invicem rotundæ ſanguinis particulæ, interpoſitas ſucci nutritii ſtrias volvendo, rotandove dolarent, polirentve? Cotibus tamen meliùs illas comparaveris, lapidibus utpotè lævigationi natis. A ſalinis partibus expectabis id beneficii genus. Nemo ſanè id intellexerit, cùm *ductilitati* nihil tam apertè repugnet, unde illas à ſanguine abeſſe concluditur.

Quin immo, neque à *ſalinis* inquinamentis naſcuntur morbi, illis enim ſub morbo aditus in ſanguinem non patet magis, quàm ſub ſanitate. Chylus *aceſcens* in primis viis, ſubeundo ſanguini tam inidoneus fit, ut illicò repulſam paſſus, alvi profluvio facto præcipitetur. Cum enim ſemel à ſuavitate ſuâ deſcivit chylus, *aceſcendo* autem deſciſcit, maximè perit mutua illa aptitudo inteſtinorum cum chylo, non ſecùs ac coli cum colanda materie, adeò ut admiſſioni aut *ſecretioni* via omnis præcludatur. Itaque morbeſcentem ſanguinem peregrinis ſaporibus infici negatur. Equidem morbidum jam factum *aceſcere* dabitur, hac de cauſsa quòd lenteſcentes aut ſtagnantes aquæ vitium capiant, at ſecundariò tantùm id accidit; *aciditas* ergò cauſsam morbi propagare poteſt, non gignere; ſymptomatis proindè nomine, non cauſsæ morbis contribuit; quod jam pluribus diſcutiendum eſt.

CAPUT VI.

De morborum cauſſis.

CAuſſas proximas aut morbis aſſidentes inveniſſe eſt, *ſolidorum* poſituras ſub morbis & *fluidorum* ſtatum definiiſſe. Curta tamen remaneret morborum *ætiologia*, ſi in his unicè conquieſceret. Artis ergò felicitatis intereſt, earum cauſſarum rationes inveſtigare, quò tutiora fiant medentium conſilia, tùm in prævertendis, tùm in depellendis morbis. *Spaſmodicæ* ergò *diatheſis ſolidorum*, fluidorum aberrationis cauſſas ſtabilire hoc opus certè videtur, hîc tamen non labor eſt. Obvia fit omnibus atque confeſſa obſervatio vulgaris, hominem præ animalibus cæteris ægritudinibus obnoxium. Interim ejuſdem artis ſunt & induſtriæ, non compoſita minùs, nec motuum legibus minùs ſubjecta animalium organa; cur ergò hæc in brutis à functionibus disjici tam rarò periclitantur, dùm homines vix momento ceſſant ab incommodis? An eâ parte principe quâ cæteris eminet homo, hâc eàdem, aut illius occaſione morborum inſultibus pateret magis? Hoc ſuaderet animæ in corpus imperium, vis exercita ſemper *ſubſtantiæ* illius *cogitantis*, quæ dùm agit aſſiduè, nervos aſſiduè tendit. Velit enim, nolit homo, in contentione nervorum vitam degit; tempore ipſo quo à cogitando ceſſat, cogitandi proximus. Igitur indeſinenter agunt, aut ſaltem nituntur illius nervi, qui intenti ſemper, aut in intentionem proni, cogitandi neceſſitatem, aut occaſionem important. Contrarium brutis evenit, inconſcia vivunt, cogitatione ut animâ vacua de alieno animantur, ſpiritu ſcilicet extraneo afflata. *Automata* ſunt aut ſuæ quâ conſtant materiæ, aut alienæ quâ circumdantur legibus mancipata, quæ ab objectis incogitanter ſic aguntur, ut quidquid ſibi præſtant obſequii, imperata faciant, cùm ipſi eorum vitæ quam ſponte trahunt conſulatur, non conſulant. Licet enim conſervationis cura nulla eis deficiat, illa tenet nulla: eorum enim ſua eſt lex univerſi, cujus pulchritudini ut ſerviunt, ſic ordini obtemperant, acceptis ſemel à lege æternâ motibus, impetui ac directionibus aſſuefacta, quas cogitato aut meditamine nullo interturbare norunt. An aliundè, quod obiter dictum erit, meliùs aſſeretur in brutis animæ carentia, certè enim lætâ minùs fruerentur ſanitate, ſi illis cogitare daretur. Reverâ ex hominibus eos videas infelicioris valetudinis, qui meditando vitam terunt. Hos inter ferè numerares cauſarios omnes, infirmos, morti debitos, quotquot orbis univerſus complectitur, ni cordis affectus aut animi pathemata illorum turbam denſiùs coagmentarent. Prætereas enim, ſi voles, luxu perditos, in ſcorta furentes, in aleam inſanientes, temulentiâ veſanos, rixoſos, violentos, facinoroſos quoſvis, aut crimini deditos homines, quos ſcelerati torquent affectus aut prodigioſæ perdunt cupiditates, unus amaror vitæ, publicus aut domeſticus mœror, omnium cujuſvis ſexûs, artis, aut conditionis fuerint oſſa deſiccat, aut inficit medullas. Hoc adeò verum eſſe perhibetur, ut quos morbos *atro carbone* notare volueris, *melancholicos*, *hypochondriacos*, *atrabilarios* nomines. Cauſſam referunt ad ſanguinem vappidum, *balſamo* ſpiritûs, ſeu *volatili* ſuo defectum, quaſi mœrendo, meditandove ſanguinis pars optima evolaret: rem meliùs interpretantur, qui mœroris aut melancholiæ effectus, in *ſolida* refundunt. Triſtitiæ ſenſus eſt tardeſcens nervorum *oscillatio*; hinc orto mœrore, cor comprimitur, rareſcit pulſus, appetitus (qui oscillatio ventriculi eſt) dejicitur, hæmorrhagiæ uteri, & alvi evacuationes illicò ſiſtuntur. Hinc autem detorqueri ac deviare partium undulationes, mutari proin-

dè

dè ſanguinis motuum *directiones*, turbari, confundi tandem, palàm eſt. Hinc ſuccorum circuitûs *anomaliæ*, turbæ, *ataxiæ*, quæ ſpiritibus imputabantur, eorumdem nutantium in motu, titubantiumve inſultus, arietationes, impulſus, ſuccuſſiones, *ſpaſmodicæ diatheſis* (quæ *melancholicorum* affectuum propria eſt) cauſſæ vel origines. Sub iiſdem affectibus *acore* ſuccos inſici, vulgatum eſt, at indidem, ſcilicet à ſuccorum morâ, *aciditatem* eorum deducere in proclivi eſt. Quot ergò, quàmve difficiles, moroſos, inſtabiles hinc enaſci debeant morbi, abundè patet; quàmque ferax, quàm publica ſit oportet melancholia invaletudinum ſcaturigo.

Principi huic morborum cauſſæ, accedit altera, ſolemnis æquè ac univerſalis, impotentia gulæ, dira iſthæc generis humani carnifex. Inter plurimas illius nocendi artes, duabus imprimis ſanitatem corrumpit, ingluvie ciborum & deliciis. His titillata nimiùm exuperat *ſolidorum* vis, quæ alterius mole ſaturata fatiſcit, æquipondium enim eſt ſanitas ab æquabili *ſolidorum* cum *fluidis* renitentiâ ortum; altrinſecùs ſuper addito *momento* perit æquilibritas. Ut autem à *fluidis*, ſic à *ſolidis* venire poteſt id *momenti* genus. A fluidorum mole creſcere eorum *potentiam* manifeſtum eſt; ab auctâ *ſolidorum contractilitate* horum intendi vim ex æquo patet. Molem *fluidis* addit ciborum ingluvies; *contractilitatem* addunt *ſolidis*, titillantes ciborum *lautitiæ*; functionum igitur integritati ſine æquilibrio pereundum eſt. Hîc autem rumpendæ æquilibritatis periculum adeſt eò majus, quod dùm minimam *fluidorum* copiam tantum (*viginti* nempè circiter ſanguinis *libras*) immenſæ ſolidorum potentiæ (quæ pluribus *librarum millibus* æquipollet) objecit natura, illis cumulandis laboret gulæ cupiditas. Porrò *fluidorum potentiæ* ſufficit, ſi æmulæ, quæ *ſolidorum* eſt, comparata, ſit ut 1. ad 1000. quid ergò futurum ſi eò aſcenderet, ut fieret quaſi 1. $\frac{1}{4}$ ad 1000.? Interim id incrementi tam facile eſt quàm prodigioſum; ab illâ enim in dies exercitâ voracitate, quâ plures ciborum libræ inſumuntur, quid tam in promptu, quàm librarum aliquot ſuccorum acceſſio? Hinc autem *ſolidorum* potentiæ venit impedimentum duplex, ſuccorum enim pondere gravata vaſa impediuntur dilatari, eorumdem mole tumentia atque repleta conſtringi prohibentur. Verùm ſanguinis circuitui ſic factis obicibus; ſtagnantibus, refluis, aut deviantibus à ſanguine dependentibus ſuccis; *fluidorum* & *occillationum* disjici, perverti, aut detorqueri *directiones*, *determinationes*, incurſus, impetus, &c. conſectarium eſt. Undè morborum, ſymptomatum, affectionum, evacuationum multiformis facies, curationum inconſtantia, medentium aberrationes, remediorum inſidiæ. Iſthæc diſcrimina inferre valebunt vel fatua ignavave edulia, ſi ingurgitata fuerint, at longè pejora invehent cibi acres, acuti, opimi, actuoſi, quorum ſucci pugnaces, tumultuarii, ſulphurei, ſalini & in fermentationem proclives, mille modis *ſolida* laceſſent, ac vellicabunt, unde *criſpaturæ*, corrugationes, *ſpaſmi*. Sub his conſiſtere ſanguinis circuitûs æquabilitatem, motuum tenorem, ſuccorumve *directiones*, tam facilè concipias, quàm turbas inter & tumultus ordinem.

Morborum autem ferax maximè evadet hæc ab eduliis deducta cauſſa, ſi vini, ardentiumve liquorum comitem ſe dederit paulò familiarior uſus. Talibus enim inebriaminibus afflatæ partes quæ mulcente *lymphâ* inſuccandæ erant, rigeſcunt, nutant, emoventur, & à *tono* deſciſcunt. Cumulum addet carnium eſus, quæ cùm *ſulphureis*, fibratis, tritu proindè difficilibus ſuccis vaſa cumulent, cogendo, ſpiſſandòque ſanguini pabula parant; *fermentationique* dant igniculos, cui cùm locorum inopportunitas, ſpatiorum anguſtiæ, ſanguiniſque circuitus repugnent, colliſionum, concuſſionum, arietationumve

ve niſus inanes contingunt, à laceſſitis *ſolidis* magis quàm à tumultuantibus *fluidis* oriundi. At ut publicus eſt omniſque ſexûs, ætatis, conditionis ac inſtituti hominibus domeſticus, ſimilium uſus, quot eduliorum culpâ impendeant morbi, innoteſcit. Inindè venit morborum denſa cohors, cùm omnes qui primarum viarum vocantur affectus, in edulia refundantur, aut in coctionis primæ vitia; nec immeritò ſi delicatulum ſtomachi ſenſum recognoſcas, qui cùm nerveus totus ſit, in motum aſſiduum factus, atque proclivis, agitari perfacilis eſt & vellicari. Si adjeceris nativam illius, cùm reliquo corpore ſocietatem, quâ fit ut ſtomacho totum corpus annuat aut compatiatur, quidquid anxii tolerat ſtomachus, aut laborioſi, cùm omnibus partibus communicare deprehenditur. Hinc à *cardialgiâ* totum corpus concidere videas, viciſſimque omnibus quæ viſceribus cæteris accedunt, vel ipſi corporis habitui condolet. Hac de cauſa concuſſo cerebro, utero affecto, imminentibus *variolis*, vomituritiones, *cardialgiæ*, *apoſitiæ* comites ſe dant.

Porrò viſcus tam publicum, tenerum adeò, cupidinis ac gulæ ludibriis objectum, quàm ſæpè, quam intoleranter corpus univerſum neceſſe eſt afficiat? Hinc concludere ſolent humorum, viſcorum, glutinumve primis viis hærentium ſaburram, cum ſinceram illorum *ſymptomatum* originem manifeſtat indignabunda facilè ſtomachi teneritudo, quæ fortiùs, inopportunè & perperàm vellicata omne nervorum textum, quod ipſiſſimum totius corporis eſt, vellit & exſtimulat. Exinde quoque febrium *ætiologia* elucidatur; exuperante enim intrà vaſa, *quæ occillantia* nata ſunt, ſuccorum malè ſubactorum copiâ, ad *occillationes*, fortiores, crebrioreſve vaſa cogi & ſtimulari neceſſum eſt, ut ſucci pleniùs comminuantur. Itaque febricitatio, quam *ebullitionem* ſanguinis aut *fermentationem* interpretabantur, ſolidorum *occillatio* eſt, ſubactioni, trituræ, comminutioni vacans. Hæc ſi temerè in medium adducta videantur, aſſeret trita ore omnium, & ſenſibus obvia obſervatio. Homines ſunt in quibus id imperii tenet ſtomachus, ut illi in coctionem ingeſtorum ciborum incumbenti allaboret reliquum corporis, ſtomachum febrire diceres, ſeu digeſtionis febrem. Tanta eſt inquies quâ digeſtionis tempore miſerè afficiuntur, nimirùm calore vultûs & rubore, dolore capitis, corporis laſſitudine, temporum pulſatione, pulsûs crebritate, frequentiâ, duritie. Hæc inter febris teſtimonia febrem ſibi diſſimulare, ſub ipſo ſole cæcutire eſt. Interim, controverſiam hanc, ſi aliqualis moveretur, dirimeret laborioſus à cibatu tabidorum ſtatus; febrem enim quâ aſſiduè uruntur, hoc ipſo digeſtionis momento exacerbari quotidianum. Equidem hîc *fermentationis* ſenſum ſomniarant, quaſi *bullienti* ſtomacho, reliquum corporis *fermentando* conniveret; at diſcuſſis *fermentorum* ludibriis, *occillationum* quas oſtendunt ipſæ partes non ſuſpicioſa doctrina, locum occupat. Igitur cùm *occillationum* artibus & officiis conſtet corporis œconomia, perſeverentque mutuæ partium ſocietates & conniventiæ, iiſdem acceptæ ferendæ ſunt partium etiam diſſitarum affectiones. Nihil ſunt etenim aliud quàm nerveorum funiculorum, tot quaſi chordarum ſuccuſſus, modulationes, undulationes, vibrationes. Hinc qui vulgari *vaporum* nomine veniunt morbi, *undulantes* eſſe hinc inde nervorum *occillationes* convenitur; at cùm *ſpaſmodica* partium *diatheſis* morborum maximam partem comitetur, aut conſtituat, quantò emolumento, quantove artis progreſſu, *ſolidis occillantibus* ſtabilietur *pathologia*?

Non infrequentiores morborum cauſsæ ſunt aeris ſpiramenta, quantùm enim ſanitati conducit aeris contactus, tantumdem iiſdem nocent illius contagia. Hæc illius bona imputaverant, & incommoda fauſtis aut infauſtis illius qualitatibus, *calidis*, *frigidis*, *ſalinis*, *ſulphureis*, aut ſimilibus à nativâ tempe-

perie alienis, vel multùm abludentibus; ſimplicius *occillationum* *tritûſve* dogma. Quidquid ſanitati contribuit id omne *occillando* operatur aer. Singulas aeris minuties, ſpiras putaveris agitabiles, *elaſticas*, *compreſſiles*. Machinulæ erunt à compreſſione reſilientes, renuentes contrahi, dilatari geſtientes. Illas contactu ſui & acceſſione ſanguinem afficere vulgatum erat; ſed quàm falsò, ſuadet miſturæ illius intrà ſanguinem inutilitas, evincit ingreſsus illius intrà vaſa impoſsibilitas. Sic rem exponi juvat. Pulmonum veſiculas primùm ingreditur, inindè id omne mali commiſſurus aut apportaturus boni, quibus natus eſt: rem aperit veſicularum fabrica. Sacculi ſunt membranacei, ſanguiferis vaſis reſperſi, fibrillis *motricibus* inſtrati, *elaſtici* proindè, *contractiles*, *muſculoſi*, *ſyſtaltici* motûs capaces. Veſicularum cavo exceptæ in inſpiratione ſpirales illæ *machinulæ*, accedentibus veſicularum parietibus comprimuntur, recedentibus dilatantur. At quam *occillationem* exercent aeris particulæ, eandem patitur ſanguis, intrà veſicularum plicaturas compreſſus, nativum ſervans *rythmum*, ſi nativa fuerit & conſona *occillatio*, mitis, ordinata, æquabilis; alienum induens, ſi *occillatio* diſſona fuerit, tenoris alieni, imparilis vibrationis. Fruſtrà hùc accerſiveris *nitro-aerii ſpiritûs* ſuppetias, qui ſincerus, impermixtus, labe carens, ſanitatem alat, inſincerus autem, degener, malè ſaporus morbos invehat; utriſque ſanitati nempe & morbo, ſatis erit aeris *elater*, par aut impar, mollis aut edurus, vegetus aut iners; ut enim fuerit variè affectus, ſanguinis ac vaſorum in pulmonibus *occillationes*, aut concordes ſervabit, aut à perpendiculo disjiciet. Porrò, quot inde in cæteris partium *occillationibus* turbæ, variationes, tumultuationes enaſcituræ ſint, quaſi digito monſtrat cordis *palpitatio*; cordis enim & pulmonum *potentiis* reſpondet, *ſyſtaltici motûs* in corpus imperium. Undè quemadmodùm *palpitatione* exortâ, *ſolidorum* cum *fluidis*, in viſceribus cæteris, peſſundari libramentum periclitatur, ita imparilibus factis pulmonis vaſorum *occillationibus*, libellam ultrà delirare *fluidorum directiones* neceſsum eſt; quas errata mille in *functionibus*, in totidem morbos emerſura, excipient. Quid autem ſint aeris contagia, quid illius *miaſmata* non obſcurum eſt; clanculæ ſunt & ſubitaneæ aerii *elateris* affectiones, illicò *ſolida* ſtringentis aut laxantis, retinentis *fluida*, aut dimittentis, eò efficaciùs, quò univerſalior eſt in corpus aeris effectio. Dùm enim ſpirando ductus viſcerum arcana ſubit, quæ contactu afficit partium vaſcula, vel gravitate ſtipat, aut pondere premit; vel raritate mollit aut levitate reſerat: tùnc ad majora vaſa retroacti, qui ad habitum corporis ferebantur ſucci, non ſecùs ac venti reflantes, turbines movent ac tempeſtates, ſuſque deque omnia miſcent. Hos tumultus, medios unos inter *liquidorum* fluctus agi ferebatur, quos ab *occillationum* turbis veriſimiliùs deduces, ſeu à *ſolidorum* corrugationibus, criſpaturis; verbo, à *ſpaſmodicâ* partium *diatheſi*. Verùm ut quidquid mali ab aere ſanitati impendet, penitiùs aſſequaris; aerem, quamcùnque corporis partem ſubierit, fulciminis aut anteridis vices illic agere concipias; quam enim fulcri rationem habet aer, partium ſuperficiei exterius gravitando incumbens, id ipſum officii exequitur viſcerum parietes interiùs premendo. Partium utrinque libramentum eſt; intùs ne concidant aut conniveant; extùs ne tumeant ultrà modum aut diſrumpantur. Quàm crebrò & periculosè peccat ſæpiùs exterior aer, confeſſum eſt, quantùm noxæ inferat interior, hinc compertum erit. Rareſcens aer qui *pulmonum*, *ventriculi*, *inteſtinorum*, &c. cava occupat, *ſolidorum* quibus obſidetur *elateri* contrà nitendo impedit, quominùs ea ſubſidant; itaque depreſsâ, imminutâ aeris illius *elaſticitate*, flacceſcere illa oportet aut ſubſidere, hinc que corrugationes & *criſpaturæ*, à quibus anxietates arcanæ, latentes & obſcuri dolores, tormina &c. Qualia à ſubſidentibus abdo-

qui-

minis partibus, ab evacuatis per *paracenteſin hydropicorum* aquis, contingere obſervatum eſt : contrà rareſcens nimiùm idem aer, partes divellendo lædit, undè tenſivi dolores, partium intumeſcentiæ, renixus ; nec aliundè *ructuum, flatuum, tympanitidis*, &c. cauſſæ meliùs repetuntur.

Multa hùc congerenda venirent, quæ morborum *ætiologiam ſolidorum* vitiis, indeque cohortis *fluidorum directionibus* mutatis ſuperſtructam, ulteriùs ſtabilirent : at *ex ungue*, ut aiunt, *leonem* ; quæ hactenùs allata ſunt, ut præcipua, elevandis præ *fluidorum* viribus, *ſolidorum potentiis*, candidis & æquis rerum æſtimatoribus ſatis erunt, plura quæ ex abundanti forent, rixoſis & inimicantibus nuſquam eſſent futura ſatis.

CAPUT VII.

De morborum ſymptomatis, *ubi de ſanguinis corruptelâ, ſuccorum* colliquationibus, humorum *proventu.*

SYmptomata ſunt naturæ vel morbi conamina. Horum ergò ſcientia, ad medelam iter eſt ; delinquentis enim ſunt aut magiſtræ naturæ greſſus, curationumve indices. Nam quod in corporibus colores, formæ, ſpecies, id ipſum in morbis ſunt ſymptomata quorum aſpectu internoſcuntur. Meliùs, idem ſunt quod in texendis hiſtoriis hominum geſta, rerum nempè geſtarum aut gerendarum ſeries & notacula, quæ medentium conſilia formant, dirigunt, caſtigant. Illa eſt, ſola digna artis & artifici tuta, obſervationum doctrina, quæ notat delicta naturæ, revelatque morborum tendiculas; ſunt enim *ſymptomata* læſionum admonitiones, ab hoc vel illo viſcere profectæ, quæ medentis manum invitant aut avertunt, quæ ex iis cavenda ſunt, quæve imitanda docendo. Omnis ergò artis diſciplina eſt, adhibita ex arte ſymptomatum diſcriminatio.

Diſcernenda imprimis quæ à natura ſunt, ab iis quæ ab arte intruduntur, ſua enim invehit præpoſtera medicina. Quæ nativa, tam ordinata ſunt, tam perpetua, quàm ſiderum curſus; *ſolutiones* morborum, *criticos* motus certò proditura, ipſaſque datura *criſes*, quas ætati præteritæ poſtera invidet. Hanc autem arti peperit jacturam de *ſymptomatis* præconceptus error. *Symptomata* habentes pro morborum umbris flocci fecerunt, tum eadem inter *fluidorum* germina numerantes, de ſaporibus illorum *concentrandis*, emendandiſve qualitatibus cogitarunt, unde umbram reverâ pro corpore amplexi ſunt. Tot incommodis remedio eſt *occillationum* doctrina, quæ *ſymptomatum* fontes revelando, eorum utilitates arti reddit & artifici.

Vitii ſanguinis aut corruptelæ progenies eſſe *ſymptomata*, dogma fuit aut fama ; unde ex fictis *fluidorum* vitiis, quaſi ſuppoſititiis coloribus, falſas ſibi pingebant morborum imagines. Interim à ſanguine motus ſalutares, fauſtos exitus, *criſeſque* expectantes, ipſi uni regendo ſtudebant, eò omnia medicinæ tela ſic collimantes ; ut cum quidquid mali commiſſum erat, ſanguinis culpâ contigiſſe putarent, remedii nihil, niſi reparando ſanguini meditarentur. Attamen ex liquoribus quibuslibet, vix aliquem comperias, qui corruptelæ minus pateat, quàm ſanguis, qui aperto aeri, ipſi etiam ſolis ardori per plures dies expoſitus, putredinis nulla dat indicia. *Aciditas* qua tàm facilè inquinari creditur ; fabella eſt qua *ventos paſcunt*, de cætero nullo ignis tormento obtinenda. Equidem ignium torturâ, acrimoniam ſalinam ab hoc elici aſſeverant, aſt ignei caloris creatura eſt, quam efferus quantumvis ac degener corporis calor nuſquam at-

attinget. In *oleosum, sulphureum*, sanguinem evehi clamitant, verùm isthæc non prodit sapor, nec odor; aliunde mediis aquis nasci, aut *exaltari sulphura* repugnat; porro cæteros sanguinis succos longè superat seri quantitas. Itaque sanguinem acescere, torreri aut *alcalisari*, in *sulphureum* aut putorem verti, verbo corrumpi, vulgaris erroris est. Alterum commentum est, vappidus sanguis aut marcidus, spiritibusve defectus. Hunc *chronicorum affectuum* authorem dicunt, sed suo systematis damno aut mendacio; sub illis enim sanguis eductus, pinguem, glutinosum, tenacem pelliceum, tandem *pleuriticum* refert: testimonio erunt *arthritis, chlorosis, rheumatismus, tabes*, qui omnes affectus, adeò ab effœto sanguine originem non trahunt, ut eum flammatum, vividum, vel *elasticum phlebotomia* prodant. Hæc autem nec temerè, nec perperam adducta fatebuntur ii, quibus cum *chronicis* morbis in medendo versari solitum fuit. Igitur in vappam abire sanguinem, *exaltari*, deprimi, sicque solvi compagem illius, corrumpive mendacium est.

Ad corruptelam propiùs accedit sanguinis colliquatio, qua partes illius dissociatæ videntur; quod sanè putredinis genus est; sic videas pluribus sub morbis, sanguinem eliquescere in *bilem, serum, pituitam*, febre comite, quæ, naturæ commissis ad tempus ejusmodi profluviis, aut arte permissis, ægrotantis saluti desinit. Posthac, inquiunt, an fide carebit, ab ejusmodi humoribus præsentibus committi febrem, quibus absentibus aut evacuatis, illa recedit? Hoc autem concesso, à *fluidis*, eorum saltem vitiatis qualitatibus, morborum *symptomata* manare necessarium erit. At ut eliquari sanguinem extra controversiam est, sic illius eliquamina in morborum causas facessere controversum. Immo isthæc febrium causas minùs esse, quàm symptomata suspicio est non mediocris. Tandem *fluidorum* culpâ oriri humorum illa profluvia tam incertum est, ut hæc & cætera, quæ post se trahunt *symptomata, solidorum* vitiis, aut vitiatis eorum *occillationibus*, primariò debeantur.

Causa morbi, materies ejus est & origo, id nempe unus morbus fit & enascitur. Sunt alia quæ morbis contribuunt, sed occasionis ratione non originis, comitatûs titulo, non ortûs. Hujus generis esse humores fidem excedit. Morbus motus est, quo in salutem nititur natura, at humores ex se motum non edunt. Re verâ, cùm ipse sanguis sui ipsius motûs non sit author, humoribus bene erit, si eodem quo sanguis, motú ferantur. Porro hunc progressivo motu incedere palam est, simili igitur id est alieno vehi humores consectarium erit: at cum *solida* sint unde venit sanguini motus, ab iisdem suum humores mutuari, concedendum. Itaque humorum profluvia, colluvies & reliqua, quæ post se morbi trahunt *symptomata, solidorum affectiones* sunt, plus nimiò inordinatè, & iracundè *occillantium*. Igitur ad solida primariò referendæ veniunt morborum causæ, quibus comites se dabunt humores sive fluida, quæ morbis occasioni erunt aut adjumento.

Causæ rationem meliùs non asserit humoribus colliquatio. Erroris hic ansa fuit, mendosus colliquationis conceptus. *Fermentationi, fluori, præcipitationi* comparavêre *colliquationem*, cui communem fecerunt *aciditatem* vel *acrimoniam*, quam illis attribuerant, quæ cum *aciditas* è sanguinis sinu prodeat, quo jure *fluorem* &c. liquoribus chymicis, eodem *colliquationis fluidis* corporis humani propriam dixerunt. Verùm valere jussis sanguinis *aciditatibus* & *fermentis*, aliunde colliquationis causa erit educenda; haud dubiè à *solidis*; cum enim *tritus* sit, ad *solidaque tritus* pertineat quod *fermentationem* dixere, *trituræ* effectum, *solidorumque* effectionem, colliquationem definire licebit.

Interea non diffitendum, quandoquidem *tritui* subjecta sunt *fluida*, hæc quoque morbis fomites, & materiam præbere, ita tamen ut agantur, non agant, mo-

moveantur, non moveant. Itaque morborum cauſsas eſſe *materiales* aut *occaſionales* eſſe *fluida* concedendum, at effectricibus annumeranda eſſe negandum eſt.

Reipsâ, febris labor eſt, quo nititur ſanguis in eum ſtatum, ſub quo ſanitas florebat. Is autem erat facilitas circuitûs, æquabilitas, perennitas, quam tuetur ſuccorum liquabilitas immenſa, non intellecta liquiditas; quam exequitur in ſanis *ſolidorum tritus*, eandem in ægris reſtituit *tritura*. Hinc naſcentibus morbis ingeminant ictus arteriæ, nativa ſcilicet *tritus* organa, quibus tardatos, hærentes, & minùs ſubactos liquores ferient ulteriùs, terant, comminuant.

Laborantium, ſtatim ineuntibus morbis, *ſolidorum*, hoc aliud argumentum eſt, vacuationum nativarum ſubitanea ſuppreſſio. Excandeſcente enim febre ſiccatur *ſaliva*, *ſputa* ceſſant, *urinæ* morantur, *menſes* deſinunt, *ſudores* vaneſcunt, ſiſtitur *alvus* ſimili de cauſsa, palleſcunt *morbilli*, *variolæ* ſubſidunt, concidunt *apoſtemata*; cum enim *ſecretiones*, de quarum numero vacuationes, *ſolidorum* ſint, quæ illarum cauſsa ſtringuntur, aut dehiſcunt; eorumdem *ſolidorum* muneris ſunt evacuationes, nutu quorum ſiſtuntur, aut prodeunt. Hæc vera adeò comperies, ut quæ *ſolida* ſolvunt, & laxant remedia, ſuppreſſas vacuationes reſtituant. Sic qui ſubſtiterant menſes, *narcotica* revocant, eadem ſub *nephritide* urinas, ſub *pleuritide ſudores*, *ſputa* ſub *aſthmate*, ſub *variolis ptyaliſmum*, *alvum* ſub *colica* ſolvunt; hac de cauſsa quòd *opiata* in ſolida agant: è contra ſub iis morbis *menſes emmenagoga*, *diuretica urinas*, *bechica ſputationes*, *ptyaliſmum cardiaca*, *ſudores ſudorifica*, *alvum purgantia* ſiſtunt. Coortâ enim febre, eo impetu in ſubigendos hærentes ſuccos inſurgit *ſolidorum* vis *ſyſtaltica*, ut in *ſpaſmodicam* ſponte rapiatur. Quod enim eſt in horologio manuali perſeverans fidaque in reddendis horis conſenſio, hoc ipſum unanimis functionum ſanitatis concentus. Punctum eſt vel *momentum*, millenorum organorum pondus aut *æquipondium* ſuſtinens; organorum autem *elaſticorum*, in contractionem tam facilè propendentium, ut leviſſimè vellicata ab æquilibritatis puncto abripiantur; eò longiùs, quò magis ſimplex eſt, & individuum punctum; citra quod videlicet, vel ultra tantillum evagari, enormis diſſenſûs periculo fit, eoque majori, quò exquiſita magis erat, nec mutabilis rerum conſonantia. Poſthac quis obſtupeſcat ad *opiatorum* eventus? Cum ſpaſmodicam *diatheſin*, unde morbi pendent ſedaſſe, ut plurimum curare ſit. Reverâ quæ *peruviano cortici* ſoli febres obſurduerint, eidem *Narcoticis* ſociato morem gerunt.

Sed inquiritur in evacuationum cauſsas, quibus minùs convenit cum *ſpaſmodica diatheſi*, idoneâ magis, ut videtur, retinendis quàm laxandis ſuccis. Interrogant ergo unde ille humorum proventus capacitates cumulans, & viſcera mergens? An illorum fontes aperiunt *criſpatæ* partes, corrugatæ, conſtrictæ? Contrarium certè meliùs ſuadere viderentur, interea nihil feliciùs ſervit aggerendis, profundendiſve humoribus, quàm partium contractio. Subitaneo aeris frigore contracta cute, atque corrugata, *urinæ* prorumpunt, oculi *lachrymantur*, *ſputatio* ſuccedit, *fluxionum* cataractæ ſolvuntur, ſtrictior alvus humiditatum catervæ corpus objicit; os enim *ſaliva* mergitur, currunt *urinæ*, creſcunt *ſudores*. *Menſibus* ſuppreſſis ſuccedunt *diarrhææ*, *vomitus*, *ſputamina*, *hæmorrhagia*, *arthritis*, *catharrhorum* omne genus. Introacto *albo fluore*, ſequuntur *vomitiones*, humentia *aſthmata*, *hydropes*, totius corporis *cacochymia*, ſordium omnium fœda parens. Memineris autem emiſſaria eſſe ſingularum partium puncta, ſeu patentes vaſculorum hiantium exitus; his contractione occluſis, enormem intromitti excernendorum ſuccorum copiam animadvertis.

Co-

Cogites iterum à centro corporis ad *peripheriam*, & viciſſim, continuam eſſe vaſculorum ſeriem, immensâ ergo ſuccorum colluvie undequaque refluâ, non multis diebus cumulanda eſſe majora vaſa concedes, ſicque mergendam humoribus confuſaneis ſanguinis molem. An alicunde *cacochymiæ* fons uberior? An *catarrhorum*, *Rheumatiſmorum*, *fluxionum* promptuarium locupletius? Ampliùs, ſub hoc reflexu ſi conciperis retrogradas fieri partium *oscillationes*, rationem habueris tot *ſymptomatum* (ad quæ vulgò ſtupent) doloris, *anxietatis*, *vertiginis*, &c. quæ inopinatò veniunt à rerum externarum occurſu, affrictu, inſultu, &c.

Ita ſe habet univerſalis ab habitu ad centrum corporis ſuccorum converſio, ſed & ſingulares ab hoc, vel illo viſcere humorum reverſiones ad majora vaſa, non rarò contingunt ab *hepate*, *utero*, *liene*, *renibus*, &c. unde varius, & multiplex humorum proventus. Horum expoſitioni præludet indubitata hæc ex mechanicis petita obſervatio. Ut immensè exporrecta eſt vaſculorum, ad ultimos viſcerum fines, longitudo, ſuccos qui vehuntur, indiligentiùs in finibus quàm in eorum medio progredi neceſſum eſt; hanc juxta regulam, eò minorem eſſe *potentiam*, quò longiùs ab *hypomochlio* recedit. Inertior autem longè continget ille regreſſus, ſi admiſſioni obſint majora vaſa. At hæc caſu aliquo conſtricta ſpaſmodicè (quod ab animi *pathematis* uſu venit) ut *diametrorum* ſic *capacitatum* minùs acquirunt, unde ſuccorum reditui impedimento erunt. Similiter aucta plus nimio intra vaſa ſanguinis moles, hæc opplendo nimiùm, ſuccis redeundis obſiſtunt. Attamen in hoc uno malum non conſiſtit, inde quoque fit, ut retineantur ſecernenda, remiſcendave excludantur. Simili de cauſſa, ſucci bilis proventui debiti, intra majora vaſa confuſi, ab hepate declinando, ad habitum corporis feruntur *icterum* prodituri. *Phlogoſes* viſcerum, *inflammationes*, *obſtructiones*, *ſcirrhi*, hinc etiam prodeunt; enim verò ſi hæc ad ſingula viſcera transferantur, vix intelligendo es, quot morborum, ſymptomatum quæ hactenus delituerant rationes in medium veniant. At & humorum miram inde creſcere luxuriem liquet. His enim ſuccorum miſcellaneis turgens ſanguinea moles, enormem eorum copiam ad viſcera dimittit. His tumentia *ſecretoria vaſa*, madoris loco (quem rorandis partibus exhalare debuiſſent) *ſerum*, *lympham*, *pituitam*ve plorant. Tandem vaporis vice qui partium tractabilitati ſerviat, ſeroſum profundunt imbrem, qui ſtagnat aut cumulat partes, quæ tardatis ſuccis ingurgitatæ aquam undique ſudabunt.

Hic abutuntur ſæpiùs hyatuum, aperturarum, eruptionum nominibus, quaſi ſanguiferorum vaſorum, gementium ſub pondere, cederent *anaſtomoſes*, &c. aut *lymphaticorum* ſurculi rumperentur. Hæc utpote cum immedicabiles morbos pariant, præſentis inſtituti non ſunt: ſed cauſſas eorum inveſtigamus, quos medicandos offert injecta liquoribus mora. Specimen ſingulare exhibent pectoris morbi. Sub his ingruunt pedum inflationes hydropis aut mortis prodromi. In ſeroſos latices, quos in diſſitas quatenùs ignobiliores partes, ſaturi pulmones exſpuerent, cauſſam refundis? Perperàm. In pulmone lenteſcentis humoris culpâ, in inferioribus partibus has committi ſuccorum tarditates intelligito. Suffocato enim ſtrangulatove intrà pulmones ſanguine, præ mole diſtentorum nimis vaſorum laſſus *elater* fatiſcit; ſic fractâ, in præcipuâ circuitûs ſuccorum officinâ, impulſionis vi ad ultimos vaſorum fines propagandâ, ſuccorum reverſio ad cor fit ignavior; cumulatàque in *ſecretoriis vaſis*, quæ in vaporem externum aut internum *tranſpiranda* erat materies, in *ſerum* cogitur, ceſſurum in *hydropis* materiem; materiem non cauſſam, quæ in impeditam *ſolidorum ſyſtalticam* vim referenda eſt. Proſapiæ ſimilis eſt pe-

dum crurumve tumor, qui *hepati*, *lieni*, *utero*, *veſicæ* obſtipatis aut laborantibus ſuccedit, hunc enim invehunt nutantes, deviæ aut impeditæ his in viſceribus ſolidorum *oscillationes*, undè *fluidorum* tarditudo, ſegnities, humorum denique colluvies. Nec abſimilis impedimenti ſoboles eſt, faciei tumiditas, graviorum maximè deliteſcentium, cerebri affectuum aſſecla, quam infert compreſſus in cerebrò interdùm duplicem inter cranii lamellam, ſanguinis circuitus. Hinc patet quàm graviter hactenùs peccatum ſit, *fluidis* imputando morborum cauſſas, quàmque graviùs à legitimo *indicationum* ſcopo erratum, in aſſignando telis artis exterminandam humorum ſaburram, ſiccandamve ſeroſam colluviem; ubi laxandis *ſolidis*, ſolvendis conſtrictionibus, molliendis fibris, ſedandis *erethiſmis*, pacandis *ataxiis*, ordinandiſque *oscillationibus* laborandum erat.

CAPUT VIII.

De humorum *ſaburrâ*, *de* bilis, pituitæ & ſeri *colluvie*.

INterim rudioribus his conceptibus parcendum erat, ſi de ſanguine ipſo à ſordibus purgando cura futura fuiſſet; at ulteriùs itum eſt, ad humorum *acervos*, *congeſtiones*, *cumulos*, *colluvies*, *ſaburras*. Enim verò non ſecùs ac flavum quodcunque vident infecti bile *ictericorum* oculi, ſic cœno litæ medentium mentes, nihil niſi ſorditatum conſpiciebant. Hinc quaſi ſordes inter ac fæces fuiſſet illis incedendum, de fæculentiis everrendis, de liquandis mucis, viſcis, glutinibus, de averruncandis craſſamentis unicè ſategerunt. Nec à ſymbolâ abiit dulciſsimè vana chymicorum ars, quæ ſpiſſamenta de ſuo quoque contulit, *tartaros*, *coagula*, *capita mortua*, *terreſtreitates*, ſimileſve craſsioris minervæ fœtus, quibus artem ut ut digniſsimam periculoſiùs fœdavit: id autem præter animalis œconomiæ ritum, inconſultâque naturâ, quæ ut ſimplicitatis, ſic munditiei ac nitoris apprimè ſtudioſa eſt. Revera, ſemel elapſa, aut poſt liminiò relicta inteſtinorum ſentina defæcando chylo, nullibi tot inter receſſus, tramites, anfractus repoſitas invenire eſt fæcum colliquias. Inter eundum quidem tenuatur, dolatur, lævigatur, nequaquàm ulteriùs purgandus; hic illic conditurus ſui particulas in alimoniam partium, nervorumve lymphàm, exuvias nullibi poſiturus.

Incertandis ejuſmodi congeſtionibus ſatis erat ciſternarum defectus, quibus haud dubiè providiſſet natura, ſi condendi illi fuiſſent liquores. His itaque cum abſtinuerit, de coacervandis alicubi humoribus cogitaſſe nuſquam argumentum eſt. Reipsa non benè conveniunt humorum circuitus & congeries, ſecum repugnantia non minùs quàm motus & quies, motus inquam perennis, qualis eſt circuitui debitus, qui vel momento intermiſſus eclypſes apportaret microcoſmo minaces magis, iis quæ macrocoſmo terrori eſſe conſueverunt. Equidem favebat congeſtionum dogmati, de nidis morborum ſeu fomitibus habita opinio; ſuccos enim ſub morbis hoſpitari alicubi, eoſdem ſub ſanitate reſidere poſſe ſuadebat. Ejuſmodi nidamentis authoritatem quòque fecerat *fermentorum* celebritas; quid enim ſonat aliud materiarum ſuo tempore *evehendarum*, reconditæ glandulis maſſulæ, quàm nidificia liquorum, ab opere, motu proindè, vacantium? At peſſumdatis, quæ ſors illorum nunc eſt, *fermentis*, fomitibus iſtis ſimul pereundum eſt. Tandem iiſdem ſtabiliendis ſerviit non mediocriter *obſtructionum* doctrina, humorum coagulis ac fixitate fulta; ſic enim hærentes liquores, à reſidibus, locòque fixis, abludere non admodùm videbantur;

tur ; eò minùs quò magis ore omnium confeſſa erat iſthæc medicina . At in verbo erratum fuit , ſtagnatas partes , obſtructas dixêre ; ſuccos enim ſegniùs à viſcere redeuntes , aut tardiùs circuitui redditos , ibidem quieſcere quaſi motûs expertes opinati ſunt . Inconditum hunc conceptum caſtigavit circuitûs ſanguinis dogma . Revelavit cor eſſe liquorum omnium confluvium, quò ſcaturientes ex ſingulis viſceribus ſuccorum amnes corrivantur , ſic interim , ut dùm univerſim ſimul & ex condicto cordi redduntur , ſinguli citiùs , ſeriùs , tardiùs, celeriùs à variis , quibus variè viſcera conſtant vaſorum mæandris ſeſe expediant. Contingat igitur , ut qui ſuccus *deciès* ſingulis horis intrà viſcus quoddam rotatus cordi reportandus erat, in arcano viſceris ſinu fortè tardatus , *duodeciès* & ampliùs veniat rotandus , antequàm ad cor confluat, viſcus pervadendo lentiùs, gravat,opplet , ingurgitat . Tunc temporis obſtipari illud aut obſtrui concludis? Errare eſt , impeditur lenteſcentibus non quieſcentibus ſuccis , iiſque vaſorum alveo concluſis adhuc , nedùm egreſsis , denique circuitûs legibus adhuc ſubjectis.

Hæc interim cautè accipienda ſunt , ut potè aliena ab eorum mente , qui morbi cauſſam ex mole etiam æſtimantes , ſic in parvum contraxêre , ut eam avellanæ cavo non majorem definierint. Hoc ridiculo , *fermentorum ſyſtemati* præluſerunt , ut invehendis in medicinam *fermentationibus* fidem præoccuparent . Verùm ut ut feliciter ſucceſſerit iſthæc antecapio, ab hujus & *fermentorum* deliriis reſipuerunt poſteri , benè conſcii illas *fluidi* portiunculas , ut ut actuoſas per omnia vaſa , vi ſuâ , non poſſe diffundi , vel eliquari . Id autem expectandum potentiæ à ſolidis , quibus unis in immenſum materiem exporrigere datum eſt . Hoc enim aliud , quod obiter dictum ſit , *obſtructionum* dogmati vitium accedit, quod *fluidis* donet, quod *ſolidis* proprium eſt . Docet enim *fluida* figi ſeu *coagulari* ab *acido* ex ipſorum gremio emergente , cùm omnis *fluidorum* lentoris & deſidiæ cauſſa deforis veniat , à *ſolidorum* ſcilicet *oscillationibus* vitiatis , duris , inordinatis , crebrioribus , tumultuariis.

Cæterùm quæ hactenùs allata ſunt , non eò ſpectant ut pauciſſimos eſſe credas ſuccos , qui ſub morbis vitiantur, immo enormem eſſe eorum copiam evincit nunquàm æſtimanda ſatis *tranſpirandæ* materiæ retrò verſa quantitas ; hæc autem intrà vaſorum alveos reflexa , per omnem ſanguinem diſpergitur nullibi coacervanda . Igitur in univerſis corporis partibus multi ſunt ſucci , in ſingulis pauci; diſpertiti in omnibus, in nullis collecti. Cum his conferas ſaburræ ideas, his accommodes purgantium energias.

Hæc ut ſuccedant alvinam regionem habent nihilominùs quàm publicam corporis cloacam , omnibus apertam immunditiis , quaſi illùc univerſa viſcerum , ſuccorum & ſanguinis deturbarentur ejectamenta . Porrò , inquiunt, inteſtina ut capacia ſunt , toti objecta corpori , ſuccis undequàque depluentibus , purgaminibuſque nulla non ex parte derivatis ſubjecta ſaburrari neceſſe eſt . Commune impluvium erit , aut patens retrimentis omnibus emiſſarium. Hæc certè prohibuit vetus , probavitque recens medicina ; aſt ubinàm tantùm utraque allucinata eſt ? Reclamabat tamen *anatomica* obſervatio , ſenſuſve feriens partium alvinarum ſtructura . Quæ inteſtinorum eſt , monſtrat innumeras patentium oſcillorum vias , vaſorum nempè lacteorum admittendis foràs intrò ſuccis hiantes , oſtendens cæteras eſſe cæcas , nullas ſaltem apertas intrò foràs eliminandis ſanguinis impuritatibus . Pronunciatum , ut videtur , audacius ! Saltem verum , quàm inſolitum eſt . Refragarentur *bilis* & *ſucci pancreatici* tubulorum in inteſtina exitus , ni aſſertioni annueret exituum locus . Hic gracilia occupat , non craſſa inteſtina, ut ſcilicet chylo remiſtus uterque ſuccus, undè deviarat , cordis iter relegat . Etenim hos ad craſſa inteſtina dimitti pro-

vidiſſet natura, in ſeceſſum abeundos, ſi illorum evacuationi ſtuduiſſet. Reipsâ tam pauxillum eſt, quod ex illis alvo excernitur, ut invitos, ex neceſſitate, declivitateque locorum coactos magis, quàm providentiâ naturæ prodire foràs manifeſtum ſit: dùm enim ad *libras* aliquot inteſtina confluunt, ad *uncias* tantùm pauciſſimas fæculentiarum, aut pondere gravati, aut glutine impliciti deturbantur. Dehiſcunt quidem adhuc intrà inteſtinorum alveum *ſecretoria* vaſcula, quæ *lympham* ſtillant, locorum madori ac tractabilitati debitam; at qui indè coit ſuccus, ſenſim aggeritur, in mucum ceſſurus, glutinoſum, parietibuſque cohærentem ne effluat; bombycinum indè coaleſcit indumentum illud, quo inteſtina ſuccinguntur, in tantùm non evacuandum, inteſtinorum è contrà tutelæ neceſſarium adeò, ut ſi eradi, lacerari, ac deturbari illum contigerit, dolores, tormina, caſſi egerendi conatus, *dyſenteriæ* ſuccedant: ſic vaneſcit omnis ſaburræ materiatura; quos enim in hanc vulgò cumulant ſuccos, aliò deſtinavit natura.

Caduca eſt non minùs *colluviei ſeroſæ* ratio. Cùm à *ſtrictura* quæ *ſpaſmus* eſt, primam morbi trahant originem, ſequitur ingentem excernendæ materiæ copiam intrò reſorbendam venire; hanc autem fore *ſeroſam*, cùm *ſerum ſecretionum* baſis ſit & materies. De quantitate illius æquè conſtat, tantâ futurâ, quanta *tranſpirationis*, quæ maximâ ſui parte ſub morbis ſupprimitur. At qua opera repellitur *tranſpiranda* materies, eadem ſanguini remiſcetur. Hinc enim increbeſcens villorum *occillatio*, in *tritum* fortiùs nituntur, vegetiorque factus vaſorum *elater*, concluſos ſuccos preſſiùs arctat, arctiùſque comprimit, undè ſuccorum turbatio, tumultus, confuſio; hanc *efferveſcentiam, ebullitionem, fermentationem* nominare placuerat, quæ meliùs ad *occillationem* referendam eſſe oſtendit partium *mechanice*, ſimplexque rerum hiſtoria. Porrò ſi *ſerum* intrà vaſa reſiliens, in unum recollectum, cuneo quaſi facto partem aliquam unicè impeteret, ut molis impetum æmularetur, congeſtionis ſpeciem referret: at ex interna vaſorum ſuperficie qua longè lateque diffunditur, ſtillatim depluens, tam diviſum eſt quàm imbris ſtillæ. Igitur per ſanguinem ſerum diffundi verum eſt, in unum congeri falſum. Sub hoc ſtatu ſui non eſt, nihil ſibi proprium, nihil niſi aſcititium habens, ſanguini confuſum, cujus mole corporatur, agitatur motu, impetu pellitur. Illinc arte quavis educi cures, quodlibet artis telum eò dirigas, è ſanguine extricandum erit; itaque id operis aut officii *purgantibus* delegare, alea plenum eſt, obſcurum ſaltem, quod pluribus aliàs diſcutiendum veniet.

Attamen eſt, ubi ſerum, intrò ſe recipiendo, in congeſtionem abit, in quo conſiſtunt *hydropum, aſcitis, anaſarcæ*, & *leucophlegmatiæ* rationes. Eò ſpectant adhuc tumores plurimi, *hydatides*, *inflationes*, &c. quæ *colluviei ſeroſæ* exponendæ lucis non modicum afferunt. Tunicæ ſunt ſeu membranæ à quibus fit ſeri ſtillatus; glandulis enim ut ſunt perſtratæ, humore ſtillant. At licet ad *ſerum* pertineat id humoris genus, non ſemper ejuſdem occurrit naturæ. Aliquandò tenuius, pinguius aliquandò eſt, aut ſuccoſum magis, undè fit, ut hic *ſerum*, illic *lympha* audiat. *Sero* igitur vel *lymphâ* madentes membranæ, ſi *ſpaſmo* compreſsæ ſunt, hos ſuccos affatim plorabunt, qui locis, aut cavitatibus ſubjectis excepti, *ſeri* aut *lymphæ* congeſtiones aut proventus ſtupendos exhibent. Teſtes ſunt ſub *ophtalmiâ lippitudines*; *ptyaliſmi*, *ſputationes* ſub catharris; ſub *aſthmate phlegmata*; *glutinamina* ſub *vomitione*: *viſci* & *muci* ſub *alvi fluxu* & *purgatione*; *mucilagines* ſub ſtranguria; putridæ tandem, purulentæ & lactiformes *lymphæ*, ſuccorùmve nutritiorum excretiones, quæ ſub affectionibus *pulmonum, veſicæ, renum*que, puris facie imperitorum mentes & oculos ludunt; cùm revera nihil ſint aliud præter tunicarum vellicatarum *ſpaſmo*,

compreſſioneve ſtrictarum ploratus & collachrymationes. Quod adeò verum eſt, ut ſub harum excretionum facie, ſua ſic corpori pereat alimonia, ut ægrotans in maraſmum præceps ruat.

De *ſero* non item, ut illius immenſa quantitas intrà cavum abdominis congeri poteſt, integris adhuc functionibus, hæc eadem nullo virium diſpendio per *paracenteſin* vacuari poteſt. Quod interim ut ita ſuccedat, aqueum illud limpidumve exeat oportet; enimverò ſi cruentum ſit, impensè rubrum, bile ſaturatum, lacteum aut *puriforme*, perniciem minabitur; cùm lapſi *excretoriorum elateris* argumenta ſint, tam ineptè conniventium, ut unà cum ſero, ſuccis nutritiis ipſique ſanguini concedant exitus.

Errore non abſimili naſcitur peregrina materies, nunquam definienda, quæ turgent *pituitoſi tumores* & inſueti, *meliceridum, atheromatum, ſteatomatum* nominibus venientes. Succorum enim alibilium, confuſaneorum, miſcellaneorum ſubactorum præpoſterè, inopportunè colatorum ſoboles ſunt, qui *aſſimilationi* ineptiores facti, barbaris ejuſmodi & inconditis congeſtionibus ſerviunt. *Hydatidum* ortus & cauſſas hinc ſubodorari in promptu eſt, verùm locum præoccupat utilior obſervatio.

Spaſmo laborantes & ſtrictæ *membranæ*, ſuccum aliquem in ſubjecta loca tandiù colare pergunt, quandiù earum *occillationes*, nativas ſuas, (versùs nempè extremitates vaſorum) *directiones* ſequuntur. Contrarium advenit, ſi acriùs vellicatæ *membranæ*, *excretoriorum* oſcilla, comprimendo fortiùs, occludant. Tunc indè nati obicis occurſu reſilientes, quæ à partibus undulando deſcendebant *occillationes*, impetum mutant, ſeriemque & *directiones*, alioque derivatis ſuccis, qui excernendi deſcendebant, ſubjectæ cavitates fruſtrantur. Nec indiſcriminatim; aerii enim vaporis cavitatum incolæ, liberior factus & ultrà modum expanſus *elater*, partium parietes plus nimiò premit, tendit, divellit; undè *emphyſemata*, ſufflationes, inflationes, *hydropes* ſicci, *ventoſi* tumores, quæ tamen remiſſo tandem pauliſper partium *ſpaſmo*, aut tantillùm laxatis viis, ſerum admittunt, in quo cauſſam habes propter quam rari ſunt adeò *hydropes* ſicci, aquæ prorsùs expertes.

Hæc eſt cauſſa propter quam *ſpaſmodica* partium *diatheſis*, ſerum modò, modo aliquid ſero minus, flatum nempè elabi facit; non abſimilis ea eſt propter quam, *pituitâ* tumores implentur. Hanc interdùm ſuppeditat loci conditio, partis videlicet, quæ *lymphâ* ſeu ſucco pingui magis quàm aqueo ſucco madere conſuevit. Exemplum præbet *articulorum ſynovia*, quæ copia luxurians ſui generis tumores dabit. Aliàs in pituitam abit ſerum ipſum ſpiſſeſcens, aut ſucco nutritio gravidatum, qua ultima de cauſſa, viſcida fit *ſaliva*, glutinoſus evadit ſtomachi latex, urinæ lacteſcunt, &c.

Ut ut ſit nullibi non animadvertere eſt, cujuslibet *ſeroſæ colluviei* cauſſam eſſe *ſpaſmodicam diatheſin*, quæ *occillationum* ſeries, *directiones*, *determinationeſque* turbat aut mutat, ſiſtit, aut interpellat. Indè *ſerum* aut *lympha* plùs minùs ſincera, aquea aut roſcida, intrà vaſorum modò, modo intrà partium cava cogitur, *catarrhos* cujuslibet generis, omniſque conditionis & naturæ *tumores* datura. At quod medenti obſervandum maximè venit, hoc ultimum eſt, quod hæc eadem *ſpaſmodica diatheſis*, quæ *ſeri* intrà cavitates egreſſum cogit, ejuſdem regreſſum illa eadem prohibet. Hinc tendi partes aut in *meteoriſmum* attolli contingit, quo *intemperiei* apicem ſummum aut ultimam manum poni, veteres vocitabant: tùm enim non *humores* tantùm, ſed & partium exin vitiari opinabantur; adeò ſenſerant quæ noverant nondùm, *fluidorum* qualitatibus præpotentiores eſſe *ſolidorum* energias.

CA-

CAPUT IX.

De evacuationibus.

TOt artibus vacuari corpus aut tot evacuationibus allaborare; has ſub ſanitate undequaque manare; has ſingulis ſub morbis vel ab arte celebrari, vel inſtitui à natura; tandem morbos aut allevari iis utiliter, aut ſalubriter abſolvi; certè aſſidentium humorum aut præſentis colluviei argumenta videntur indubitata; non exiſtentium enim ſuccorum evacuationes fieri ut abſurdum, ſic diſſimile vero. Atqui evacuationes quæ ſanitatis ſtatum tuentur, tam multæ ſunt, tamque obviæ quàm quæ maximè. Præter illam quæ *tranſpirando* fit, præ cæteris ſolemnem & copioſam, nares & os *ſerum* profundunt, pulmones *pituitam*, bilem *hepar*, ſuum *ſuccum* pancreas, mille ſordes alvus, renes *urinam*. Tantaque eſt harum evacuationum neceſſitas, ut ſi alterutra delinquat, ſanitatis detrimento vertatur. Siccis, verbi cauſſa naribus, *catarrhi* ſuccedunt; ſalivæ defectui, *ſtomachi cruditates*; aridis pulmonibus, *tuſſis*; obſtipato hepati, *icterus*; pancreati obſtructo, *diarrhæa*; moranti alvo, *cephalalgia*; tardatis urinis, *vomitio*; ſuppreſſæ *tranſpirationi*, morborum ilias. His ſi accenſeas alios quos invehit ſanguis utero imbibitus, omnium ægritudinum, quibus ſubjacet corpus tenes origines.

Conſonat evacuantium numerus. Singulis enim humoribus ſua data ſunt, *cholagoga* bili, ſero *hydragoga*, *phlegmagoga* pituitæ, humorumque miſcellaneis *panchymagoga*. Sua quoque ſunt ſingulorum viſcerum, cerebro *errhina*, *maſticatoria*, *apophlegmatiſmi*, *veſicatoria*; pectori *bechica* & *expectorantia*; ſtomacho *emetica*; inteſtinis *purgantia*; renibus *diuretica*; *emmenagoga* utero; toti corpori *ſudorifera* & *diaphoretica*; tanta cura, tam ſolerti induſtria evacuandi neceſſitati ab arte proviſum eſt! In ſuperfluis fermè luxuriante, ne deficiat in neceſſariis. Cæterùm illa omnia artis commenta non ſunt, aſt ſincera naturæ imitamina. Judicio ſunt *criſes*, in tantùm fidæ & ſalutares, in quantùm liberales & copioſæ. Hac de cauſſa inſidioſæ non decernunt, quæ nempè excernunt pauca, ut ſtillas ſanguinis & urinæ, ſudatiunculas aut *ephidroſes*. *Quæ* enim *parvâ copiâ apparent*, *velut ſtillæ ſanguinis*, *urinæ*, &c. *malum denunciant*, potiſſimùm *in lateris dolore*, *in pulmonum morbis*, *in omnibus febrium initiis*, & *in longis morbis*; *in his enim omnibus damno eſſe ſanguinis ſtillicidia*, pronunciat *Hippocrates*, undè ſigillatim notat *Philiſcum*, *Epaminonem*, *Methonem* & *Silenum*, quos oborta *ſanguinis ſtillicidia* perimerunt. Similiter, inquit, *tenuiter exundantes ex tenuibus ſudoribus*, *in gravibus malis*, *ii malè habent aut malignè*, cui aſſertioni fidem fecit *Eraſini* hiſtoria, *qui ex acutiore morbo intrà quintum diem peremptus eſt*, licet *ad extremum uſque febres cum ſudore adeſſent*. Tam periculoſa ſunt, quæ pauca alvo egeruntur, niſi copioſiores aliundè evacuationes veniant ſubſidio: *multis enim uſu venit ut non ab uno judicarentur*, *ſed ut plurimùm per omnia* (critica ſigna) *percurrerent* & *gravius habere viderentur*, *qui omnes* incolumes evaſerunt. Hùc ſpectant *graſſantes populariter inteſtinorum difficultates*, teſte eodem Hippocrate, *ſub quibus ex quatuor maximè ſignis ſervabantur ii*, *quibus aut ſanguis è naribus profluxiſſet*, *aut urina multa*, *quique per alvum purgati fuiſſent*, *aut in inteſtinorum difficultatem delapſi*.

Hanc ob rem fallaces tam ſæpè per *abſceſſum criſes*, humorum enim evacuandorum copiæ impar locorum capacitas, *anadrome* facta ægrum peſſundat: inde *parotidum*, ni geminæ ſint ac prominentes, inſidiæ, quæ retrogradæ in *lethargum* aut *convulſiones* ægrum miſerè conjiciunt. Abſimile quid *Temenei nepti*

con-

contigit, *cui ex valido morbo quoddam in digitum firmatum eſt, qui cum morbo ſuſcipiendo non eſſet ſufficiens, ex interno recurſu obiit.* Sic *tumores præter naturam allevando impoſturam ſignificant; quale quid Andronici filio intrò recurrens eryſipelas portendit.* Igitur *criſes* inter, aut ſolæ ſecuræ ſunt, quæ evacuando proſunt, qua conditione graviſſimos affectus perſanare conſpiciuntur, aut ſi *abſcedendo* juvant, ii ſint oportet tam multi *abſceſſus*, aut tam ampli, ut omnem morboſorum ſuccorum copiam exhauriant & complectantur. Præbent exemplum *variolarum* innumeræ puſtulæ, quæ febrem ſummè malignam quam conſequuntur, feliciter & *criticè indicant.* Nam bona ſunt ..... *quæ in cutem abſcedunt, foràs erumpentia tubercula, velut putreſcentes & purulenti quidam tumores: aut reliquæ ejuſcemodi in cute efflureſcentes puſtulæ, quæ referto & repentino quodam confluxu, non autem dimidiato & ſemirepentè abſcedunt.* Itaque ut ritè ſuccedat *criſeos* negotium, aut illicò materiem omnem evacuari neceſſum eſt, aut multiplicibus locis eam committi maturandam tandem & evacuandam.

Non tamen diſſimulandum, hanc alteram judicandi viam, eam non eſſe, quam premere natura conſuevit. *Morbi enim omnes ſolvuntur aut per os, aut per alvum, aut veſicam, aut alium quendam ejuſmodi articulum, ſudor verò omnibus communis eſt*; quæ ſigillatim vera prodit coſtans obſervatio.

Variolarum, maximè *confluentium*, aut malignarum *criſis* eſt *ptyaliſmus*, aut *ſalivatio* putida, ac ingens, tam neceſſaria, ut ſi parciùs aut breviùs reddiderit, de ægro actum ſit. Sunt inter *morbos cutis, qui judicantur ſanguine è naribus fluente.* Sic *inerant*, referente eodem Hippocrate, *in febribus ardentibus affectiones ejuſmodi, ut qui benè & largiter ſanguinem profudiſſent, ii ex eo maximè ſervarentur*, neque enim ullum *cui ſanguis benè proſtuxiſſet hoc in ſtatu mortuum videre licuit.* Sputis ſolvuntur aſthma, peripneumonia, pleuritis, tuſſes ac benè multi *pulmonum affectus, in quibus omnibus ſputum celeriter promptèque exſpui convenit.* Hepatitis, icterus & ſimiles hepatis morbi, *alvo commotâ* ſolvi ſolent, quos *etiam ſublevat per veſicam expurgatio aut longa narium hæmorrhagia.* Hoc ipſum *Heraclidæ contigit*, qui ictero laborabat, *quippe qui largum è naribus ſanguinem profudit, & alvum conturbatam habuit, & per veſicam purgatus eſt. Vomitu vomitum ſedari pronunciatum eſt*, eodemque *alvum coactam ſolvi* ut & *longa alvi proſluvia*; undè vomitionem ſtomacho criticam fieri nemo eſt qui non intelligat. Sequitur *diarrhæa* ſolemnis illa & publica evacuatio, bonorum fermè omnium effectrix, morbos aut prævertens feliciter, aut feliciùs ſolvens, *morbi enim laterales, pulmonum inflammationes, febres ardentes, & quicunque morbi acuti cenſentur, rarò contingunt, neque invaleſcere poſſunt ubi alvi liquidæ fuerint.* Inſuper *ſurditati, ophtalmiæ, leucophlegmatiæ* ſingulariter mederi viſa fuit; his enim ſuperveniens, ſolutioni eſt. Non minoris in judicandis morbis efficaciæ ſunt *ſudores, qui optimi ſunt per omnes morbos acutos* non tantùm ſed & malignos, teſte *conſtitutione morborum Perinthi*, de qua idem Hippocrates, ubi *judicatio cum ſudore facta eſt.* De *hæmorrhagiis* prodigia quoque narrantur, è naribus enim, utero, hæmorrhoidibus profectæ, innumeris morbis præſentaneo ſunt auxilio. Illa quæ narium eſt, præter imminentia mala à quibus tutatur puberes aut liberat, *menſes* ſupplet, per febres *alvum humectat, ſurditatem* adimit, liberat ab *abſceſſibus, cæcitatem* ſolvit & *cephalalgiam.* Menſium profluvium ut etiam avertit non paucos pubertatis morbos, vomitum curat, totque ſolvit affectus, quot invexit eorum defectus; imprimis *chloroſin*, hyſtericos affectus, cæteroſque fermè qui puellas & mulieres affligunt. *Hæmorrhoidum* ea vis eſt, ut erumpendo contumaciſſimas ægritudines expediant; in ſpecie viros à morbis præſervant, *atrabilariis* medentur, renum

& lum-

& lumborum affectibus ſuccurrunt, curant inſanientes; verbo tanti eſt medendi peritis *hæmorrhoidum* conſideratio, ut in inveſtigandis morborum cauſſis, ſedulò non minùs viros interrogent de *hæmorrhoidibus*, an iis ſint fuerintve obnoxii, quàm feminas de *menſibus*, an naturæ votis & neceſſitati reſpondeant.

Sub his tam multiplicibus evacuationum formis, medico pingi naturam volunt, evacuandi, ut ajunt, unicè ſollicitam, cùm in hoc uno, omnes illius fines & conſilia poni videantur. Interim quid ſi hinc medentibus imponeretur? Erroris occaſioni fuerint præpoſtera medicantium de evacuationibus interpretamenta. Succos evacuando naturam, *impurum à puro* ſegregare illam opinati ſunt, purgationem nihil aliud, quàm *depurationem* aut defæcationem eſſe docentes. Sed quò uſque exceſſerit iſthæc credulitas, oſtendit *Hippocratis* monitum, reprobantis *ſinceras vomitiones ut pravas*, *ſputum ſincerum*, *ſinceras* ipſas *dejectiones*. Patet igitur non ſelectos, non ſingulares, non impermixtos eſſe ſuccos qui vacuantur, ſed confuſaneos. Proindè purgatio non erit *ſecretio*, ſed *excretio*, excretio autem ſuccorum nocivorum minùs, quàm vacantium aut exuberantium, utpotè qui qualitate, putredine, ſalſedine peccent minùs, quàm quantitate, mole, impetu, multitudine; porrò ſuccorum nocivorum aut inutilium tam parùm, ut in alimoniam cui dicabantur cedere potuiſſent, in *tranſpirationem* poſteà abituri ni impedimento fuiſſet *ſpaſmodica diatheſis*, *tritura* vitium, & *occillationum* inverſura. Immo de utilium numero hos eſſe ſuccos admonet evacuationum labor, verenda imprimis quæ illas ſtipatur aut excipit virium proſtratio. An tot periculis hominem objiceret inutilium jactura? Puris deliteſcentis, collecti, & à vitalium ſuccorum conſortio ſegregati evacuatio, ægrorum ſit ſolamini, pultaceæ materies intra *panos* & *atheromata* coercitæ, ſine ullo virium diſpendio ſcalpello educuntur; denique *ſerum hydropicorum in aſcite* citò, tutò & jucundè per *paracentheſin* ad libras plurimas evacuatur, abſque ulla ſpirituum jactura, ideò quia ſucci inutiles ſunt ac ſejuncti; quod adeò verum eſt, ut facto (ſcalpello vulnerante) ſeroſis ſuccis effugio, quos ebiberant ſub *anaſarcâ*, *leucophlegmatiâve hydropicorum* carnes, citiùs non rarò ſatiſcant ægri, adeò ut ſæpè paucis diebus exſucci pereant & emarcidi. *Seroſus* enim ille latex à ſanguine recens, illi adhùc cohærens propiùs, nedùm intrà cavitates exilio planè damnatus, vitalem flammam, qua totus calet adhuc, prodeundo efflat.

Præconceptum errorem de extricandis, ſeparandis, *præcipitandiſve* ab impurato ſanguine humoribus evacuandis, manifeſtat obvia medentium oculis obſervatio. Videre eſt ſub graviſſimis morbis, quorum pars maxima de *inflammatoriorum* genere eſt, ſcalpello eductum ſanguinem, viſcido glutine pelliceo, tenaci, albido obductum, cui ſeparato ſubditur rubicunda pars. Curiosè ſcrutantur glutinis illius naturam & cauſſas, quas revelat tradita hîc morborum *ætiologia*. Hæc edocet aggeſtionem eſſe ſucci nutritii, qui ab impedita *tranſpiratione* intrà vaſa coercitus, quaſſatus; verberatùſve arteriarum *ſyſtalticis* ictibus, in gluten ejuſmodi ita coivit, ut in gelaſcentem ſuccum, craſſiorem, ſanguini malè cohærentem, vixque compactilem abeat. Qui ergò morbum alunt ſucci, ſanguini adeò non miſcentur aut confunduntur, ut ab illo ſejuncti ſeparative, volvantur in vaſis; proindeque non è ſanguinis ſinu evolvi opus habent aut extricari ut evacuentur, ſed tantùm è vaſis excerni; eritque evacuandorum humorum excretio, exitus è vaſis non è ſanguine emerſus. Quorsùm evadat nova hæc evacuationum expoſitio, ſigillatim hîc tradere non attinet; innuit quàm iniquè ſe gerant cùm evacuandis ſuccis, qui è ſanguinis ſinu eos evellere prætendunt. Docet inſuper quanta, in evacuando, *ſolidorum* ratio habenda ſit; cætera, ubi de *purgatione* ejuſque legibus, revelabuntur.

CA-

CAPUT X.

De evacuationum *fuco.*

UT *quid* autem *perditio* iſta humorum qui evacuantium opera eliminantur, ſi ſanguini non inſunt ? Undenàm aliundè ſcaturient tam numeroſi *fordium* egeſtus, *bilis* proventus tam copioſi, per os aut alvum aſſatim prodeuntes. Undè manarent exundantes *ſeri colluvies*, quas *hydragoga* depromunt ? *Pituitæ* glomeres quos obtinent *emetica* ? *Phlegmatum* aut *glutinum* acerui quos *bechica* produnt ? Nunquid iſthæc erunt phantaſiæ luſus, nùm mentis præſtigiæ aut ludibria artis ? Certè tot evacuationum utpotè ſenſibilium molem vel aggeſtus ſanguini ineſſe, harumque ſuccis ſua in corpore dari ſecluſoria manifeſtum eſt. Fidem addunt oris amaror, linguæ ſpurcities, nauſea immanis & ſpontanea vomendi cupido, *hypochondriorum meteoriſmus*, abdominis prominentia, *clyſterum* molliorum faciles & uberes proventus, tot indubitata catulientium humorum argumenta. Nùm ementita erit ſuccedens hinc evacuatio, an ſuppoſititii prodeuntes humores, fallaceſve ſucci ?

Fucoſæ merces ! Adulterini nidi fœtus, morbi mala progenies, mera vacuantium genimina. Nam quod fluminibus, id ipſum humoribus, uſu venit; punctum eſt aut paucum undè illa naſcuntur, immenſum quò evadunt. Similiter dictu immane quàm obſcura ſunt aut *parva magnorum morborum principia*. Ultrà fidem eſt, quàm latè eluxurientur. Quo tempore *fermentis* ludere moris erat, cauſsæ morbi nomine intelligebant *fermentum*, ſui mirabiliter *multiplicativum*, & nihil non in ſe tranformans. Exoleta quidem ſunt *fermenta*, unàque evanuit inconditus ille morborum conceptus, conſtat tamen non minùs à parvo proficiſci morbos, ab uno nempè *occillationum* ordine inverſo, quem halituoſa materies, inconſpicuum *miaſma*, aut animi *pathema* commiſerit. Exlege aut abnormi hinc facto ſanguinis circuitu, hic vel ille ſuccus qui primò pauxillus eſt, excerni ceſſat, tùm invaleſcente *occillationum* tumultu, præpoſtera aut ſedula nimium accedente medentis manu, ad invita cogitur natura, ſic ut peſſundatis illius motibus, male ſubigantur ſucci, vitioſè *terantur*, perverſè coquantur, miſceantur, adulterentur. Indè ſpuria egerminant mille ſuccorum nidamenta, illas ſpuriorum ſymptomatum turbas, illâſve evacuationes datura, quibus morborum hiſtoria interpellatur, dùm eorum quæ nativa ſunt & neceſſaria turbatur ordo, aut vertitur ſeries, quæ morborum naturas & ingenia repræſentaret. Sub his videas non ordinata naturæ, ſed indigeſta morbi opera; non artis errata, ſed artificum delicta. Igitur pullulantes hinc adulterinos ſuccos in cauſsas morborum cooptare, alienam à natura viam premere eſt, hiſque evacuandis unicè ſtudere effectus morbi aggredi.

Hinc autem medenti mille ſe dant offuciæ, aperta allucinandi pericula, & ad errorem patens iter. *Liquidis* enim unis curandis, medici mens affigitur, quod *primus* ad fucum gradus eſt. *Secundus* eſt, eadem *fluida* in morborum cauſſas ſtabilire. *Tertius* indè venit, humores nempè ſeu *fluida* illa prodeuntia per alvum ægri ſolatio, vacuata à natura videntur. Agmen claudit *quartus* qui erroris complementum eſt, illa enim (imitamine malo) purgantibus vacuanda eſſe concludunt.

Revera, omnium errorum, abuſuum, ac delictorum in medicina fons eſt invaleſcens nimium ergà humores ſollicitudo, in quibus corrigendis, temperandis, *exaltandis*, evacuandiſve impenſius ſudatum eſt. Allucinandi tam graviter anſa fuit, de ſanguine altiùs imbibita hæc opinio, ſuum illi & proprium

adesse motum, proprias ergò vires, quibus ferveret & progrederetur. At quàm iniquo judicio, ostendit illius ad *solida* habita proportio; cum enim *solidorum* potentiæ, ad *fluidorum* vim facta comparatione, hæc cùm illis sint ut 1. ad 1000. nihili esse *fluidorum* potentiam, deducitur; hac primùm indubitata ratione, quòd 1. ad 1000. minimi sit ponderis; tùm hac altera, quòd immaniter aucta (ut fieri solet) sub febribus *solidorum* vi, tam depressa jaceat *fluidorum* potentia, ut nihil eis agendum, immò patiendum nihil non superstit. Exemplo est cordis pulsus, qui dùm in sanitate *ter milliès*, intrà horam iteratur, duplo & ampliùs sub febribus increbrescit. Insuper, cùm nullatenùs obtineri possit, ut depressa *fluidorum* vis sic erigi contingat, ut solidorum vim assequatur, nedùm superet, ad *solidorum* curationem convertendam esse totam medentis sollicitudinem, monitum est, aut imperium.

In alterum erroris gradum facilis fuit descensus; positi enim in assiduo prospectu humores medicandi, vitiati hi aut exuberantes facti præcipuam medici curam principis instar morbidæ causæ, postularunt. Hinc *refrigerantium*, *invertentium*, *absorbentium*, *edulcantium*, *evacuantium* facultatibus honos habitus est. *Evacuantium* imprimis, quibus nomen singulare fecit *cacochymiæ* dogma; solo enim *anathemate* aut exilio dignandi veniebant, qui hostiles audiebant aut inutiles succi. Porrò *evacuantium* speciem medico definire natura visa est, in eo quod nihil ferè laudabile evacuando moliebatur, nisi alvum movendo, undè factum est, ut in *purgatione*, salutis & artis summa collocata fuerit.

Ast hæc consectaria sunt, præconceptæ opinionis de *humorum* omnipotentia. Interim quæ pupillorum est, eadem fluidis seu *humoribus* obtigit conditio; ut illi uno tutorum permissu sua exercent jura, solo hæc aguntur *solidorum* regimine. Reipsa ad malum ut bonum ex æquo mancipantur. A *solidis* est quod nativam servent indolem, ab iisdem venit, quod hanc amittant: à motu reguntur ad sanitatem, ad morbum ab eodem jubentur, utrinque enim motus est, æquabilis qui sanitatem, inordinatus qui morbum alit. Atqui motûs proprii expertes sunt sanguis & humores, qui precariò agunt, sponte sua immoti, lentescentes, & in quietem proni, è contrà *elastica*, motiva, *oscillantia* aut *oscillationi* nata sunt *solida*; adde *contenta* esse *fluida*, subditàque *solidis* à quibus continentur, coguntur, mancipantur: *fluidorum* ergò mutuatitius est motus à *solidis* veniens, jussus, influus. At *solidis* vindicato, quod *liquidis* attribuitum hactenùs fuit motûs imperio, morborum causæ *solidis* imputabuntur, hisque debebitur præcipua medentis cura. Cæterùm cave credas de remediis actum esse, si aliò quàm afficiendis humoribus dirigantur, præjudicii altera appendix est, qua officiis casura remedia putant, nisi humorum ardoribus compescendis, infringendis saporibus aut edulcandis destinentur. Tot bona supplent aut superant remedia afficiendis *solidis* addicta; nàm perindè erit, si remediis in *solida* agentibus, refrigerium quod vocant, aut humorum tranquillum malaciamve, succedere comperiatur. Porrò ea est remediorum facultas *solidis* adhibita, ut humoribus pacem æquè reddant & temperiem; exasperatas enim alicundè concipito *solidorum oscillationes*, quæ *in ataxias* aut tumultus versæ sint, tunc crebriùs verberatus sanguis, resilit frequentiùs, alternans utrinque elaterium agitatur, comprimens & compressum, undè partium concussus, humorum turbæ, tumultus. Hæc compescere si cupis, medium quid interponito *fluida* inter & *solida*, quod illa deprimat, his autem obsistat, tunc *solidorum oscillatorios* ictus hebescere intelligis, non secùs ac interpositis ex lana aut gossypio stragulis, arietantium instrumentorum impetus frangi, aut intermedio facto molliori corio, hebetari solent aut molliri malleorum ictus hæc attenden-

si

ti revelabunt *refrigerantium*, *absorbentium*, &c. agendi rationes. Molles & spongiosas moleculas ex *herbis*, *terris*, &c. depromptas, intrà *occillantium* impensiùs vasorum cavitates recipi curas; tot molliora erunt repagula, quæ dùm sanguinem à parietum *resilitione* fortiori cohibent, vasorum vividiores ictus morantur ac temperant. Exindè quòque colligere est, *aqueorum*, *invisçantium*, *edulcantium*, &c. efficacias. Illis *salium* aculeos mergi, aut *elixiviari*, his concentrari eosdem aut retundi fabula fuit, meliùs rem tibi interpretabitur *solidorum* dogma. Aqueis enim ac diluentibus *solida* elata laxantur, mollito eorum *elaterio*. Hoc aliundè elangueſcit adhuc intromiſſis glutinoſis, *mucilaginoſis*, quibus interiùs lubricantur vaſorum parietes; in quo pones *invisçantium* energias; quantùm enim molleſcat *elaterium* unguine litum, confeſſum eſt. Verbo æquilatationem ſeu cava vaſorum *ſpaſmodicè* ſeu febriliter *occillantium*, micautiùmve fortiùs impleant aut occupent ſucci lenteſcentes, glutinoſi, rareſcentes, aut tomentoſi, quales ſunt ex animalium lactariis partibus, ex *hordeaceis*, *avenaceis*, *orizaceis*, quorum familiaris uſus eſt in febribus hecticis; iſthæc *temperandi*, *edulcandi*, *infringendi*, *abſorbendi* votis ſatis eſſe concipitur. Horum *ætiologiam* ut aſſequaris, ſub his concipies *machinulas* ultrò *compreſſiles* & *contractiles*, molliter reſilientes, quæ interioribus vaſorum parietibus interjectæ, ſuum quod molle eſt elaterium duriori & fortiori quod vaſorum compreſſionis *ſyſtalticæ* eſt opponant. Sic horum *occillationes* vividiores temperari, mollirî, frangi tandem & in ordinem redigi concludes. Hanc veritatem aſſerit, inſtituta ex contrariis ſuccis, quales carnium ſunt, diæta, à qua ſub his & *inflammatoriis* febribus, incaleſcunt ægri; altera de cauſſa quòd pingues ut ſunt & oleoſi illarum ſucci, non reſilientes nec *elaſtici*, denſari immò & atteri faciles, illicò deprimi ſe patiuntur; hinc elatiùs ſe gerendo occillantia vaſa, iracundiùs verberant hos ſuccos, & in compacturam ſolidant, quæ retinendo inſuperabiliter, ab *occillationum* ictibus adeò non vincitur, ut illos eludendo vincat.

Fuco fuit non minùs memoratus ille error de erigendis humoribus in morborum cauſſas; ut enim idem *fluidis ſupereſt* ſub morbis titulus, qui ſub ſanitate fuit, utrobique pari eorum conditione, *ſolidis* ubique *fluida* ſerviunt non imperant. Nam automata inter, quibus corpus comparant, ad clepſydram propiùs illud accedere credunt. Igitur quod eſt in *clepſydrâ* pauxillum aquæ, hoc ipſum in corpore, ſanguinis ſeu *fluidorum* ſummula; neutrum non aqua nec ſanguis, motûs cauſſa princeps, utrobique *momentum*, æquilibritatis author. Neque uſquam ſub morbis cauſſæ principis locum *fluida* obtinebunt, quantùmvis furere videantur, patiuntur enim ſemper, nuſquàm agunt. Reipsa cauſſæ muneris eſt, effectum præcedere, at humores qui *fluidorum* ſunt appendices, adeò non præcedunt morbum, ut illum conſequantur, *ſolidorum* cùm ſint vitiosè *occillantium* effectus. A *ſolidis* igitur, non à *fluidis* aut humoribus, morborum cauſſæ. Eſto interim, cauſſæ titulo dignentur, an *evacuantibus* ſolis curarî poſtulabunt? Si *evacuantibus*, an unis *purgantibus*? *Hippocratis* exemplo norunt artis periti, graviſſimos affectus inedia ſanari aut anteverti; quod *evacuandi* genus eſt, quandoquidem *ſiccando fames & labor evacuant*. Nam *evacuationis* nomine manifeſtam ſolùm & tactilem humorum eliminationem ſibi fingere vulgariter ſapere eſt. Corporis *evacuatio* ad mentem *Hippocratis*, fit etiam *curſu*, *quiete*, *palæſtrâ*, *multis obambulationibus*. De harum numero quoque eſt *equitatio tabidis ſpecifica*, *colicis*, *dyſentericis*, ac benè multis *chronicis* affectibus, qui vel *herculeis* præſidiis obſurduerant, mirabiliter proficua. Licèt enim *Herodico* medico ſuis olim noto periculis non accedamus, qui *febricitantes multis obambulationibus*, *curſibus*, *fame*, *lucta conficiebat*; nihilominùs tamen conſultius eſſe putaverimus corporis exercitatione & inedia morbis præire, quàm purgationibus,

quibus ad eos præcavendos miſerè abutuntur ; nec abſimilibus , natis iiſdem conſulere liceret ,ſuccorum ſcilicet *commoderatione, maturatione,* coctione. Cùm enim aſſeverante Hippocrate,*multi morbi ex humorum incommoderatione oriantur, eodem modo ſedantur & commoderati & concocti* . Igitur coorto morbo, medicum ad Hippocratis mentem eruditum deceret hæc prima cura , oblitos naturæ tramites relegere , id eſt motuum undè deviavit ordinem retegere , abnormeſque ſuccos ſuis reddendo legibus , commoderari : facta enim eorum *contemperatione coquuntur,tùmque febres & moleſtiæ deſinunt*: ſic *ſpontaneas morborum deſinentias* reperire concederetur . Quò referenda eſſe medentium conſilia vellet *Hippocrates* , ſuadètque obſervationum uſus ; eò enim ſpectant curationes ſtupendæ difficillimarum ægritudinum, quæ cæli mutationibus , peregrinationibus , tempori, &c. dant manus, medicationi cuilibet inconceſſas . Artis enim ſæpè ultima in naufragio tabula eſt à remediis vacare , quò ſe recolligat natura aut in ſe revertatur , eluctetur ve ut ad relictos aut prætermiſſos calles redeat.

His non obſtantibus , utpotè quæ vulgi palato non adeò ſapiunt , à natura diſcant ii quos vacuandi cupido tenet , purgatione ſola id operis non eſſe ſuſcipiendum . *Morbi enim omnes ſolvuntur* non tantùm *per alvum* , ſed & *per os* , *aut veſicam* , *aut ſanguine de naribus fluente* ; *ſudor verò omnibus communis eſt* . Itaque artis quòque eſt , odorari *quò vergat natura* , ut eò *ducantur humores.* Sic illorum error eſt , qui naturæ viarum contemptu , *criticaſque* vacuationes ludibrio habentes , ſuas ad nutum obtrudunt , quaſi quod de *ſudore* pronunciavit *Hippocrates* , eum ſcilicet eſſe morbis omnibus communem , ad *emetica* transferre liberum eſſet , adeò in *emetica* effuſi ſunt . In ſimilem incidunt ſcyllam , qui *ſudoriferorum* libidine capti , cæterarum evacuationum loco ea ſufficiunt . Illorum is furor eſt , qui *in ovo* , ut ajunt , *variolas* præfocare prætendentes , harum eruptioni *ſudoriferis* potentioribus obviam ire audaci mendacio pollicentur . Hùc quoque alii impingunt , qui omnem *variolarum erumpentium* ſævitiem , ſudoriferis cicurari confidentiùs prædicant , harum enim puſtuloſam materiem *ſuppurationi* debitam , *ſudore* exterminari jubent . Non abſimilia facinora ſunt *pleuritidem* , *ſudore* ſolvi natam , *purgantibus* & *emeticis* miſerè tractare ; pulmonum morbos ſputis ſanari ſolitos , purgatione aggredi ; denique *hydropem* , *perirrhæâ* aut urinæ profluvio expediri conſuetum , *hydragogorum* turba infeliciter laceſſere . Nam non emovenda miſcent , movenda non promovent ; adeò numeroſæ ſunt *evacuantium* fraudes , & *evacuationum* impoſturæ !

CAPUT XI.

Pergitur in evacuantium *impoſturis oſtendendo infida eſſe* humorum ſaburræ *ſigna* ; *mendacia alvi ejectamenta* ; *contraria cadaverum indicia.*

IS fucus eorum eſt , quæ ad evacuationes ſpectant , ut undequaquè mentibus imponant . Ipſamet ſigna inſidiantur , mendoſa nempè humorum interpretamenta . *Lingua* , monente Hippocrate , *ſerum quale ſit indicat* . *Pallida ex bilis redundantiâ fit* ; *nigra ex atrâ bile* ; *alba ex pituitâ.*

Indubitata certè humorum teſtimonia , at humorum nullibi congeſtorum in primis viis , nec illic ſtabulantium , quæ vulgi hæreſis eſt . Igitur medenti indicio eſt *lympha ſalivaris* , ſanguinis ſerum , *ſtrictura* ſeu *ſpaſmo* vaſorum reſes factum atque lenteſcens , hæc vitia cepiſſe , ſicque alienari , ut *bilis* & *pituitæ* ſpeciem mentiatur.

Ad-

Addit Hippocrates; *in omnibus morbis, partes ad umbilicum & imum ventrem, craſſitudinem habere bonum; valdè tenues eſſe malum . . . . . ad infernas purgationes*. Similiter, *quibus hypochondria elevata ſunt, murmurantia, his alvi humectantur*. Hinc *borborygmos* habuerunt non ſecùs ac ferventium, exireve geſtientium humorum teſtes, ac alvi ſolvendæ prænuncios aut anteambulones: tum *ex hypochondriis craſſitudinem habentibus*, & ex abdomine prominente, ſordibus ſaburratas eſſe primas vias pronunciarunt. At quam inepte, docet *craſſitudinis*, de quâ *Hippocrates*, natura. Hæc ad *ſolida* pertinet, non ad *fluida*; illorum non horum affectio eſt aut qualitas, quæ vaſorum, quibus compinguntur partes plenitudinem innûit, non humorum coacervatorum colluviem. Ejuſdem fraudis eſt abdominis prominentia; hanc enim fieri ab acervo humorum qui intra *inteſtina*, *hepatis* fornicem, aut *meſenterii* receſſus, præ copia tumentes, ſuperpoſitas & adjacentes partes ſuſtollant, eruditum delirium eſt. Totis hebdomadibus morata alvus vel minima craſſitie, abdominis molem auget; contra humore vacuum, at *tympanitide* laborans abdomen immenſe tumet. Imò non infrequens eſt, altius eo ac durius inflari abdomen aut intumeſcere, quo uberius ac crebrius *draſticis*, *hydragogis* aut fortioribus *purgantibus* laceſſitum fuit & evacuatum. Abdomen igitur prominere, inſuccatarum aut *ſpaſmodicarum* illius partium indicium erit, non autem latitantis infra humorum acervi argumentum. Saltem, ajunt, ſordeſcentes quaſi digito monſtrare videntur vias, *appetitus dejectus*, *oris ventriculi morſus*, *os amareſcens*, quæ *ſurſum purgante opus eſſe indicant*.

Quare hæc purgationem ſuadeant, alias exponetur, quam parum humorum repræſentent, hîc declarabitur. *Appetitus* ut famis cauſsa eſt *occillationum* modus, *ſolidorum* proinde, ſcilicet nervorum affectus. Idem dixeris de *ventriculi morſu*, qui *ſolidorum* morbus eſt, tum & de *amaroris* ſapore, qui *ſenſatio* eſt, ad mentem pertinens; verbo omnes ſunt *nervorum* vibrationes, *ſolidis* inſidentes. His autem *ſolidorum* affectionibus parum adeo contribuit humorum ſeu *fluidorum* moles, ut hac *emeticis* ac *catharticis* pluſquam exhauſta, ſæpe creſcant adhuc, & exaſperentur. Quantum verò dependeant ab ipſis *ſolidorum occillationibus* evincitur ex animi *pathematis*, mœrore imprimis, quæ appetitum enecant, turbantque adeo omnem *ſtomachi* œconomiam, ut illico in nauſeam & *apoſitiam* præcipitent. Hæc dicta tamen accipiat nemo, quaſi *fluida* nullatenus veniant in partem horum *ſymptomatum*; ſuppreſſis enim *menſibus* & *hæmorrhoidibus*, ægritudinibus ejuſmodi torqueri *ſtomachum*, medentibus obſervatum eſt: imprimis ſiccato perperam *fluore albo*, hinc enim nauſeas oriri frequens eſt: at ut id concedendum eſt, aliunde liquet à *fluidis* intra vaſa coercitis, nullibique congeſtis, hæc *ſymptomata* committi.

Quod ab alvo ſequaci, ſponteque clyſteribus obſequente ducitur argumentum, inviolatam, nedum perverſam *ſolidorum* habitudinem, id eſt inteſtinorum *ſyſtaltici motus* ſervatam adhuc directionem oſtendit.

Tam infide ſignificant humorum alicubi factam colluviem, laudabilia urinarum *ſedimenta*, quæ ſuccos intra vaſa *tritu* ſubactos, victoſque & in circuitus ordinem redactos teſtantur, nullibi cumulatos indicant. Igitur tot inter ſigna quæ ad *purgationem* invitant, ſingula vacuationis felicitatem ſpondent, nulla vacuandorum aggeſtum aut ſaburram confirmant.

Subleſtæ fidei ſunt non minus alvi ejectamenta, quæ quo luxuriant magis, variis tincta coloribus, eo turpiùs ludunt medentium oculos. Fucati ſunt enim ſucci, juſculorum, potulentorumve incoctilium adulterata ſoboles. E carnibus eduliorum, quibus ægri plus ſatis indulgent vitium eſt, quæ cum *tritu* difficilia ſint, *trituræ*, quæ *coctio* eſt, reluctantur; maximeque ſub *febri-*

bus,

bus, ubi cum in *ſtomacho*, ut & ubique corporis partium, male ſe habeat *tritus*, in fœda eliquamina peregrinoſque ſuccos præcipitantur. Hac de cauſſa in *diarrhœas* tam pronæ ſunt alvi ſub morbis, quod a ſimplici priſcorum diæta deſciſcens hodierna medendi ratio, pultibus ex *hordeo*, *oriza*, &c. juſcula ex animalium carnibus ſuffecerit. Inde redit corpori incommodum multiplex, cum enim *teri* ſe minus patiantur iſthæc alimenta, plurima nutricatus portione defraudatur corpus, dum aliqua eorum parte perperam ſubacta, quæ vaſa ſubit, inficitur, afflictaturve. Quam varius autem venturus inde ſit ſordium proventus, innuit multiplex quæ hinc exoritura eſt cruditatum, ſuccorum nempè incoctilium copia, de quibûs, dum affatim iis primæ viæ exundant, delibat fortè non nihil ſanguinis maſſa. Idque incommodi ingraveſcit eo magis, quo ſuccoſa magis & copioſiora juſcula carnium offerentur; quæ cum jurulenta ſint, & ad *libras* plurimas diu noctuque crebrius repetita ingeri conſuetum ſit, numeroſas inde humorum copias inteſtina verſus amandari neceſſum eſt. Iſthæc erunt *purgantium*, *ſtibiatorum*que pabula, quæ eorum opera amplius eliquata, humorum *ſeroſorum*, *glutinoſorum*, *bilioſorum*, *phlegmaticorum* formas mentiuntur, dum revera chyli ſolius præpoſterè ſubacti, fucata ſunt genimina. Quæ cum ita ſint, morborum cauſſas adeo non attingunt *purgantia*, ut tantum aſcititios depellant ſuccos, alienos à cauſſa morbi, alienos, inquam, utpote â *purgantibus* ſoboleſcentes. Ultra fidem enim eſt, quam læta corruptelarum ſeges à purgatione veniat. *Helleborum ſanis periculoſum* pronunciat *Hippocrates*, id ipſum de *purgatione* quavis affirmaveris; illibata corrumpit, laudabiles labefactat ſuccos, quoſque pravos non reperit, facit illico, velutique manibus fabricat. Quem enim vel è ſanis robuſtiſſimum, in humores non eliquaret *purgatio*, quæ obvium quemvis, à morbo etiam immunem, immensè vacuabit. An aliundè plures fraudes aut præſtigiæ? An fallacia magis ſimulachra? Quæ factitia ſunt & ſuppoſititia; eo periculoſiora, quo veriſimilioribus coloribus ſuccos induunt; *bilioſis* præcipuè, cum enim *bilis* quantulumcunque integris aquæ amphoris tingendis par ſit, in proclivi eſt ſuccos, quotquot è ventriculo in inteſtina irrumpent, bilis colore veſtiri. Poſthac non erit undè ſtupeas, quod hæc inter humorum nugalia luſitando medicina, ſæpius impingere videatur; utpote quæ cum umbris hactenus luctata ſit, quaſi cum unis rerum imitamentis aut imaginibus res ipſi futura eſſet.

Nihilominus tamen non hæ ſolæ hinc medentibus paratæ ſunt inſidiæ, alter ecce dolus quo luſerunt animos alvinæ ſordes. Harum copiam, quæ purgationi ſuccedit, in primis viis acervatim cumulari creditum eſt, unde ſaburræ colluvies; fomitum ideæ præjudicium progrediendo ulterius, ſuccorum quorumvis qui alicunde manarent, acervos aut aggeſtus illic deliteſcere perſuaſit: quo errore factum eſt, ut omnes partes ſordidatæ habitæ ſint, ſaburrataque omnia viſcera, undè *una* & *eadem*, ut ajunt, *fidelia*, purgatione videlicet, quaslibet ægritudines aggredi cœptum eſt. Interim aliud ſuaſiſſet, vel leviter meditata hæc materies. Omnia enim in corpore plena ſunt, ubi demptis ſtomaco & inteſtinis vacantia ſpatia vix ulla ſunt, raraque humorum conditoria, adeò ut quas viſceribus nonnullis natura dedit apothecas, excipiendis eorum inutilibus aut meritis ſuccis, eæ tam arctæ ſint, ut vix minimæ portioni profluentis illinc quantitatis continendæ capaces fuerint. Teſtimonio erunt immenſæ ſuccorum jacturæ, quæ a *genorrhœis* & *fluore albo* contingunt, ſic ut ſubito contabeſcant ægrotantes, licet promptuaria nulla continendis tot ſuccis paria, in affectis partibus animadvertas. Rem ſtabiliunt *epiphoræ*, *ophtalmiæ*, *coryzæ* exempla, hic enim *nares* & *oculi* ſecluſoriis deſtituti, enormem lymphæ copiam ſiccant. Tam profuſi humorum affluxus rationes aperit exquiſitus

excer-

excernentium partium ſenſus. Is nempè eſt, qui peregrinæ cuiuslibet rei appulſum ferat tam intoleranter, ut illicò exſpuat. At verò ſub his caſibus aſſiduò vellicatæ, ſuctos inceſſanter proliciendo, perenniter profundunt. Artis illius umbram exhibent *errhinorum*, *apoplegmatiſmorum*, *veſicantium*ve operationes, quibus acriùs titillatæ partes ingentem lymphæ copiam plorant. Attamen inſperati illius ſeri proventus eſt altera cauſſa. Quæ vellicantur partes *membranaceæ* ſunt, tot vaſculorum hyantium oſcillis quot punctis meabiles. Salientes mille fingas, qui lympham intrò ſtillent, tot patentes tubulorum exitus, qui continuò laceſſiti, ſero pluunt indefinenter. Collectorum ergo ſuccorum molem ſuſpicari in viſceribus, ex eo quod evacuantibus obſequantur aut morem gerant, craſſa allucinatio eſt; in hos cadens, quos fugit opulenta naturæ paupertas, quæ multiplex in omnibus, in ſingulis ſimplex eſt, at ubique dives. Ut ut ſit qui ſimul & affatim educuntur humores, præſentis ac iteratæ vellicationis fructus ſunt, qui continuò exprimuntur, emunguntur, eructantur. Qui ergo ſummatim prodeunt evacuationum ſucci, ſucceſſivè & ſigillatim, ſed vi torquente partes ac ſtimulante, excreti ſunt; quo loci humorum fucum, evacuationum dolos vacuantium diſcrimina, tormenta partium, ac medentium auſa obſervabis.

Hic autem *omne tulit punctum* cadaverum anatome; nihil enim falſitatis tam arguit aut mendacii ſaburræ dogma, quam viſcerum eorum qui morbis denati ſunt ſcapello facta luſtratio. *Malignæ febres tartari ſtibiati* furoribus ac tyrannidi damnatæ, nil minùs quàm humorum acervos aut colluvies exhibent. Illas à tergo ſequuntur *inflammationes*, *ſphaceli*, *abſceſſus* in hepate imprimis, quod frequentiſſimum eſt, in *liene* qui ſimilia ſæpè oſtendit, tùm in *pulmone*, ipſoque *cerebro*: *ventriculus* tandem & *inteſtina*, quæ hic promptuariorum nominibus deſignantur, iiſdem notaculis reſperſa obſervantur. *Meſenterium* humorum nidulationibus damnatum, ſimilibus inficitur vitiis, quæ produnt quoque *pantreas* & *renes*, adeò *inflammatoria diatheſis* viſcera quælibet ſub *febribus malignis* invadere ſolet; hoc tamen addito diſcrimine, quòd *inflammationis* nota inuſta videatur, maximè eorum ſtomacho qui vomitibus per morbum obnoxii fuerint. Ejuſdem ſortis ſunt, quæ poſt *febres peſtilentes* cadavera produnt, *inflammationum* argumentis ubique perſtrata; quæ talia ſunt, ut in *ſtomacho cauſticorum ſtigmata* & *eſcharas* repræſentent.

Inflammationes adhuc ſunt & abſcedentia quibus notantur viſcera eorum, quos è medio ſuſtulerunt *febres continuæ*, à quibus ex æquo abeſſe videntur ſaburræ indicia. His autem eò magis deficiuntur poſt *febres ardentes*, quò lucuſentiora poſt ſe in corporibus relinquunt in *inteſtinis*, *pulmone*, *meningibus*, *inflammationum* ſignacula.

Saltem expectares ſordidari viſcera poſt *apoſitias*, *vomitiones*, *diarrhœas*, humorum enim colluviei ſpeciem præ ſe ferre videntur ægritudines ejuſmodi, quæ perennem ſuccorum copiam cumulant aut profundunt. Contraria tamen profert hîc adhuc cadaverum inſpectio.

Apoſitias ſequuntur viſcerum ſtomacho aſſidentium, quod ſæpè fit, vel diſſitorum, quod rarò, *ſcirrhi*, *tumores*, *apoſtaſes*. Poſt lethiferas *vomitiones* hæc videre quoque eſt viſcerum vitia, quæ *ſtomachum* infrequentius, *jecur* ut plurimum obſident, dùm *ſtomachi* cava terſa conſpiciuntur, vacua & nitida. Sed quod omnem fidem ſuperat, ab excrementis vacant *primæ viæ*, quas ſordidare debuiſſent *diarrhœæ*, aut *dyſenteriæ*, in his qui ejuſmodi alvi profluviis perierunt. Interim quæ his ſuccedere comperias vitia, *ſolidorum* magis ſunt quàm *fluidorum humorum* minus quam viſcerum. Poſt *diarrhœas* conſpicis *hepar purulentum* aut *inflammatum*; eroſum ventriculum ſanguineque reſide nigrican-

gricantem; *inteſtina* ejuſdem coloris ſunt ac ſimiliter vulnerata. *Pancreas* aut *meſenterium* aliquando vitium occupat, idque *tumoris* genus. Partium adhuc peccamina ſunt, non humorum, quæ *dyſenteriæ* poſt ſe relinquunt, *inteſtinorum* nempè corruptelas, *ſphacelos*, *ulcera*, quæ repræſentant quoque *ſtomachus* præcipuè, tùm *pulmones*, *jecur*, *omentum* & *meſenterium*. His graviora minùs quæ partes illas habent vitia, *inflammationum* veſtigia ſunt. Quidquod poſt *fluxus hepaticos abſceſſus* in hepate, poſt *teneſmum* eryſipelas in inteſtinis, tumores in utero, aut calculum in *veſicâ*, in *recto* nihil reperias. Deniquè *glandulas*, *ganglia*, *concretiones* in meſenterio produnt *fluxus cœliaci*; in eodem aut vicinis partibus apoſtemata, *lienterici*. Coronidis loco veniunt *chronici* morbi, qui partium ſaburratarum ſordes nuſquàm, texturas autem earum vitiatas ſemper oſtendunt.

CAPUT XII.

De cauſſis morborum chronicorum; *an ab* humoribus *fiant*, *horum nempè* epigeneſi *aut regerminatione*.

VIx quempiam ex *chronicis* morbis invenias, ex *acutis* non deciduum ac ſoboleſcentem. Æquè conſtat utrorumque communes eſſe exitus, eadem nempè eorum eſſe infelicia quæ viſceribus inuruntur, linquunturve notacula, *inflammationes*, *abſcedentia*, *concretiones*, &c. *chronici* igitur *acutorum* erunt appendices, quibuſcum in radice iidem ſunt; ab iiſdem *ſymptomatis* naſcentes, in eoſdem deſinentes exitus: immo *acutorum* & *chronicorum*, ſi infeliciter ceſſerint, una eſt & eadem *deſinentia*, *hydrops* nimirùm, quò tandem abeunt cujuslibet claſſis fuerint morbi. Poſthac à ſeipſis multùm diſſidere morbos, qui in tam multis conveniunt, nemo facile crediderit. Quæ hos inter major intercedit diſcriminis ratio, in hoc uno poſita videbitur, quod *acuti* celeriùs, tardiùs *chronici* ſua percurrant tempora; in hoc aliundè concordes, quod in humorum *ſtagnationes*, *ſyſtaſes*, *apoſtaſes* deſinunt. Undè venit conjectura non levis, in omnibus morbis, ut impeditur ſanguinis circuitus, unum ubique eſſe & eundem medicatricis naturæ ſcopum, ſanguinis nempè eriguandi, circuituſque illius ceſpitantis reſtituendi. Sic morbus erit per multa impedimenta eluctantis naturæ conamen, quo de tramite quaſi de orbitâ unde deliravit, in viam publicam redire nititur. Quod ſi viarum tricis ac difficultatibus intricata recto ab itinere deflectit natura, ac evagatur magis tunc vel multiplicatis obicibus dejecta laſſas dat manus, aut difficultates ſerius quidem, ſed re ipſa eluctata, tandem ad ſe redit, ſuis vincens ac imperans legibus. Tentamen igitur naturæ erit quilibet morbus, per vias breviores modò, modò longiores, ſanitatis iter relegentis. Viarum illarum repetendarum ambages oſtendit vaſorum ſanguini ſubeundorum trifida partitio. E corde arterias ultrà exiliens ſanguis, albâ ſui parte *ſecretoria* & *lymphatica* vaſa ſubit, in nutricatum partium, nervorumque *lympham* ceſſurus, deciduis à nutricatu ſuccorum reliquiis per tranſpirationem vaporantibus, dùm altera, quæ rubra portio eſt, iterùm tenuanda, terendave venis reddita, cordi remandatur. Perſeverante hâc ſuccorum *œconomiâ*, continetur *harmonia* ſanitatis, peſſundata morbus enaſcitur, reſtituta ſanitas redit. Hujus autem *harmoniæ* authores ſunt concordes *oscillationum* ictus, modificati ſic, ut ſingulis

vaſorum

vaſorum *diametris* ſuam dent molem ; at quàm multoties ab illâ conſonantiâ deflectere periclitantur *occillationes*, ex *occillantium* partium conditione perſpicuum eſt. Nerveæ ſunt, tàm faciles emoveri, quàm tinnire citharæ fides. Illas ergò miſceri, turbari aut confundi, non ſepiùs prodigium eſt, coorto in dies tam frequenti corporis & animi motuum turbine. Indè ſaltèm proveniunt quotquot ſunt morborum cauſſæ ; facto enim *ſolidorum ſpaſmo* ſtring int vaſa, decreſcit eorum capacitas ; ſuccorum proindè diſtributionis æqualitas perit. Verùm hâc de cauſſa anguſtiora fiunt *excretoria* vaſa, dùm capaciora eſſe perſeverant venoſa. Vaſis ergò à *ſpaſmo* contractis, tantò defraudabuntur *ſecretoria*, quantò venæ *ſecretoriis* capaciores erunt; abſorptâque venis illâ ſanguinis portione albâ, quam *ſecretoria* non admiſerunt, *lympha* cumulabitur in *venis*, glutini albidi facie, quo totiès veſtitur ſanguis, morbi futura materies. Interìm ſurgente hìnc intrà vaſa mole majori & obice, *occillando* fortiùs inſurgunt, vincere nitentes, undè febris, tritum naturæ inſtrumentum quo ſæpiùs utitur, abutitur nonnunquam in rumpendis ſuperandiſve obicibus. Quod ſi citò obtinuerit, febris *acuta*, ſi ſerò, *chronica* dicetur. Porrò hæc erit, ſi ſuccorum copia aut major, aut numeroſiori vaſorum labyrintho irretita, à *ſecretoriorum* oſcillis non admiſſa, venas ſubierit. Tùnc enim ut copioſior ſubigenda venit & extricanda materies, diutius in *occillationibus* pergendum erit. At vero cum ſucci diutius & inopportune everberati, ab indole ſuâ deſciſcant, horum peccamina, non ſecus ac humorum proventus in cauſſas morborum venêre ; eo veriſimilius, quo diutius occillando, fortiùs ac perperam perſeverantia vaſa, ſuccos labefactant; undè ſcaturigo ſordium ingens, *epigeneſis* aut regerminatio. Interim veriſimiliorem morbidæ cauſſæ rationem ex *hydraulicis* mutuatam audire juvat. Amnem trifidum fingas, qui æquabiliter tandiù currat, quandiù intrà trifaucem alveum æquabiliter dividetur. Obſtipatis autem duobus alvei canalibus, quæ tribus deſtinabantur aquæ, in unicum refluentes eluvionem committunt. Non abſimilis origo eſt colluviei liquorum, quæ morbis attribuitur ; qui ſimplex eſt corporis centro ſanguinis alveus, in trivium deſinit ; igitur qui unus erat & indiviſus à corde proficiſcens liquor, tripartitus fit, in ſuccos ſecretorios, in *lympham*, tùm in ſanguinem venis refluum. Æqualis facta hæc tripartita diſtributio, ſanitatem alit, inæqualis morbum. Quod autem in fontium fiſtulis *epiſtomii* munus eſt, aquarum molem moderandi, hoc æmulatur in ſanguinis tubulis *elaterium*, quos modificando, ſtringendo ſcilicet, laxandove, capacitatibus auget aut minuit : at ut inæquales naturâ ſunt tubulorum *diametri*, inæqualiter etiam immutantur, adeò ut quamvis in genere dilatentur, arctenturve univerſi, ſinguli non æqualiter dehiſcant aut ſtringantur. Addendum contigiſſe non parem ſingulis *ſyſtalticam* vim, undè fit ut ex illis tubuli ſint præ aliis ſtringi minus faciles. Tales ſunt *venæ*, quæ aliundè duobus alis vaſculis patentiores erunt, quandoquidem ipſis *arteriis* capaciores comperiuntur. Venas ergo utpote naturâ ſuâ patulas magis, excipiendis ſuccis, ab aliis non admiſſis, patere ſemper meritò concludes. Hinc autem quantum creſcere poſſit ſanguinis moles, quantum hinc *occillationibus* enaſcatur *reſiſtentiæ*, quantumve diuturnitatis morbis inde paretur, hâc computatione conjicies. *Arteriis* capaciores quadruplicato ſunt *venæ* ; totius ergò ſanguinis maſſæ quadruplum hæ continebunt. At ſanguinis *quadrantem* retinere *arteriæ* deprehenduntur, ſaltem ergò triplo ſanguinis aut ſuccorum illius continendo pares ſunt *venæ*, proindeque illius dimenſum, quo *ſecretoria* & *lymphatica* vaſa alluuntur, exiguum erit. Verum *ſpaſmo* arctatis vaſorum fiſtulis, iis imprimis, quæ *contractiles* magis ſunt, quales ſunt *arteriæ* & *excretoria* vaſa, tantò creſcet intrà *venas* patulas

magis & minus *contractiles* ſuccorum copia, quantò decreſcent *excretoria* & *arteriæ*; nec temere hæc allata credes, eo uſque enim *arteriæ* ſub morbis deplentur, ut in cadaveribus exangues conſpiciantur, dum *venæ* copioſo ſanguine nigricante concreto, immò *polypis* oppletæ ſunt.

Sub hoc morborum proſpectu, quem offert ipſa rerum natura, fabrica nempè partium, ac liquorum œconomia, humorum ſaburras morbis attribuere, fingere eſt. Morbi ſunt liquorum diverticula, quæ *ſolidorum ſpaſmodicæ oscillationes* committunt, Quo longius autem latiuſve illa proceſſerint, quove flexuoſa magis fuerint & recondita, eo graviores, difficiliores, breviores aut diuturniores erunt, quæ naſcentur ægritudines. Hinc pertinaces comperiuntur, periculoſi & difficiles pulmonum morbi, eo enim per vaſorum anfractus ac labyrinthos ſe ingurgitans ſanguis, à recto alveo alienos adeo, ut in viam publicam mille laboribus vix veniat reducendus.

At non unius generis tantum aut viſceris morbos invehunt liquorum diverticula, naſciturum hominem præoccupant, quem nedum natum utero nempè concluſum, immerentem adhuc plectunt. *Nævi* ſimiliave cutis ſtigmata, ſuccorum errata ſunt. Eadem recens natum inſequuntur, ſub his enim vitæ primordiis, cum dilatandæ ſunt partes & evolvendæ, ſi ſuccus vaſculorum glomeres ingreſſurus, à *directionibus* ſuis forte erraverit, ægritudinibus ortum dat: ſic *rachitis* ſucci nutritii diſtorſio eſt; ejuſdem ſucci erroribus, gibbi, cæterique oſſium tuberes debentur. Hæc quæ corporea ſunt infert mala, exlex & indocilis ſuccorum errantia, at pejora afferent comites facti mentis aut cordis errores, hoc eſt animi *pathemata*, quæ cum exſtimulari incipiunt aut accendi, ſuccorum ordinationes turbant, determinationes mutant, *directiones* interpellant, aut avertunt. At miſsâ hâc infelici acceſſione, evidentia vixque eluctabilia feminis affert liquorum diverticula, ſexûs & ætatis conditio; morbos intellige qui à menſium erroribus proficiſcuntur, cùm ab utero ad cæteras corporis partes ſanguis evagatur. Similiter *epilepſia*, quæ impuberes pueros aggreditur, liquoris in ſemen evaſuri evagatio eſt; hoc argumento, quod ut illis menſes erupti, ſic his aſſecuta pubertas remedio eſt. Congener eſt in puerperis ſubitanea *lochiorum* ſuppreſſio, quâ quæ modò ſana erat ac vigens, ægreſcit illicò ac infirmatur. Cauſsam ſi rogas, indigitat ſanguinis cursûs inverſio. Idem de *hæmorrhoidibus* ſiccatis interpretaberis.

Liquorum autem diverticula committit non ſolùm factus alio quam convenit, ſanguinis vorticum impetus; illa invehit quoque incongrua liquorum mixtura. Hæc erit vel ſuccorum confuſio quâ fit ut qui diſtinctis vaſculis excernendi erant in unicum confluant; vel qui propria ſibique debita ſubire debuerant, aliena ingrediantur. Sic *urinæ* loco ſub cruento mictu, *ſeminis* vice in gonorrhœâ, *lactis* loco in lactantibus, pro nutritio ſucco in *plicâ*, pro ſudore in ſudore cruento, pro pituitâ in pulmonum morbis, ſanguinem reddi obſervabis, & pro ſanguine pituitam in *fluore albo* profundi; hîc enim partem vacuando ſanguini dicatam à natura, lymphæ prodigendæ damnatam à morbo intelligis. Miſcellaneorum ſuccorum ſpecies exhibent, colores, odores, ſapores, ſuccis, qui iis carere ſolent, aſcititii. Saliva amareſcit, flaveſcunt ſputa, rubent, aut nigricant; lacteſcunt urinæ, rutilant, albeſcunt; virore, albore, rubigine, nigrore tinguntur alvinæ dejectiones, tibi tot erunt confuſaneorum ſuccorum teſtimonia; hùc eo magis ſpectantia quod in morbis chronicis maximè ſe prodant. Hùc aliundè pertinent, quod ejuſmodi ſuccorum turbationes, *liquidorum* non ſunt effectus; ſuccos enim illos ſuopte motu ſic alveis exilire, & evagari tam parùm crediderit phyſica mens, quam *liquidum* quovis proprio impetu poſſe transferri. *Solidorum* potentiæ hoc opus eſt, quæ

ſpaſmo-

ſpaſmodice & inordinatè *oscillantia*, à ſerie nativa & *directione* recedunt. Hinc dejecti ſucci à via terendâ deflectunt, ſedes mutant, alveumque proprium tranſilientes, peregrinum invadunt. Hos *oscillationum* errores, hæcve liquorum diverticula, tam manifeſtè monſtrant *chronici* morbi, quam parùm manifeſtant humorum ſaburras, quas nequidem oſtendunt aperta morbis chronicis denatorum cadavera.

Hùc facit *Ballonj* peritiſſimi medici ac meritò celeberrimi monitum. *Neſcio qui fiat*, ait, *ut morborum cerebri notitia difficillima ſit, quoniam multi convulſi ſunt, pavoribus conſternati, phrenitide, apoplexiâ, epilepſia ſublati, lethargicis affectibus oppreſſi, ſideratique, in quibus nullum ferè veſtigium mali, aperto cranio, inventum eſt; nec ſanguis, nec aqua, nec ichor, quanquàm medici certò affirmarent ſe inter membranas aut in cavitatibus, &c. aut abſceſſum, aut ſanguinis aut aquæ copiam deprehenſuros, &c.* . . . . . Hanc obſervationem confirmat altera de epilepſia à celeberrimo *Schuerdero* tradita. Infantium, inquit, *epilepſiâ extinctorum cerebra perſpexi, ſæpiùs nihil unquam in iis notavi*, &c.

Sed & aliàs medenti molitur inſidias, animis imbibitum altiùs de humorum congeſtionibus præjudicium, quas dùm in parte quæ paret morbi ſedes pollicetur, illarum loco inflammationem in altera deprehendis. *Morbi lethargi appellati*, inquit Hippocrates, *idem ſtatus ac peripneumoniæ*, &c. undè pronuntiat illos *empyicos ut plurimùm futuros, qui â lethargo convaleſcunt. Cujus ratio*, monente eodem Ballonio, *tenenda eſt ad unguem, quoniam Medici valdè decipiuntur.* . . . . . *Utraque enim comatoſa ac lethargica mortua eſt, affecti valdè pulmones reperti ſunt.*

Cæterum, quæ in corporibus poſt ſe reliquerunt cerebri affectus veſtigia, præterquam quod cerebrum ipſum non ſemper obſident (in ipſis enim imi ventris viſceribus ſæpè conſpiciuntur) *fluida* rariſſimè, *ſolida* ut plurimùm occupant, hæcque non ſub humorum aggeſtûs ſpecie, ſed *tumorum, apoſtematum*, &c. forma, à ſanguinis *ſyſtaſi* dependentium.

Spe cadunt non infrequentiùs, qui intrà pulmones aſthmatis & ſimilium morborum cauſsas, haſque ſub excrementitii phlegmatis ſpecie, intrà pulmonum fiſtulas collecti, in cadaveribus quærunt. Ovium eſt *dyſpnœas* omnes naſci viſcerum diſſitorum vitiis, quæ ſtagnantis ac morati ſanguinis indicia referunt. In ipſis tamen pulmonibus crebriores deteguntur infelicium ejuſmodi affectuum cauſsæ, ac unicè referendæ ad *polypos, tubercula, tumores, inflammationes, inflationes*, ipſius pulmonum *parenchymatis* aut ſubſtantiæ; aliquando à ſeroſa putrive colluvie intra pectus aut *pericardium* collecta; at quæ, alterutram ex præfatis concretionibus, *polypoſis* aut cretaceis, &c. vel ſanguinis *ſyſtaſin*, *ſtagnationem*, concretionem, ingurgitationem, &c. comitantur.

Tædet plura recenſere, miſſis enim quæ de *diarrhœis, dyſenteriis, vomitionibus* dicta ſunt, vix ex mille cadaveribus, quibuſvis ægritudinibus denata fuerint, vix, inquam, unum & alterum reperias, quorum luſtratæ cujuslibet regionis corporis partes colluvies humorum aut ſaburras repreſentent: contrà nullibi non conſpicere eſt *ſtagnationes, inflammationes, abſcedentia*, in quæ nulli non morbi definere comperiuntur. Evidenti argumento, in incondito, inæquali ac devio *liquidorum* circuitu morborum primordia poni. Hic enim *liquidorum* nomine, alii à ſanguine ſucci intelliguntur, ut autem *ſpirituum*, ſeu nervorum *lymphæ* ſuus eſt circuitus, hic ut & ille qui ſanguinis eſt, impeditus, ſuſpenſus aut inæqualis, ſuas profert ægritudines. Imò unus & idem eſt liquorum omnium circuitus, qui incipiens à *corde* in ar-

terias, ex his in *lymphatica* & *nervos* desinit. Facto autem alicubi sanguini obice, cæterorum qui hinc sequuntur liquorum filum rumpi necesse est. Eo magis quod ejusdem impulsoris seu *emboli* vis sit, idem à corde continuatus ad extrema vasorum impetus, vasorum omnium continua *occillatio*. Corpus ergò, utpotè *nervorum* plicis ac curvaturis contextum, reticulum erit, maculis distinctum, *epidromis* instructum, seu *contractilibus* funiculis, secùm sic consentientibus, ut alicubi constrictæ, diffitas illicò retrahant; eò efficaciùs quòd vel minutioribus vasorum furculis sua sit *systaltica* vis, nequidem omissis vel ossium canaliculis; *elasticum* enim *periostium* quo vestiuntur, *compressilis* vagina est, *occillationis* instrumentum. Hinc patet cur à sanguine incipiens morbus, in ossa tandem serpat & nervos, quave de causa affectus non pauci, *spirituum ataxias* accersunt, *erethismum* eò usque interdùm provehendo, ut ossa ipsa affectent; undè *hypochondriacarum, melancholicarum, hystericarum* & *scorbuticarum* affectionum causas sobodorari licet; quarum titulis ac nominibus plus nimio abutentes ac decepti medentes, mille modis peccant & allucinantur, obliti primigeniæ morbi causæ, quæ dolose per varias partes propagata, formam mutat magis quam naturam. Hic ubique videas memorata liquorum diverticula, quæ viscerum non solum recessus & *glandularum*, sed & *nervorum* id est ipsorummet corporis staminum anfractus profundè subierunt, undè *morborum chronicorum* versutiæ; symptomatum enim inconcinno migmate incautis imponunt, fallacibus quas mentibus & oculis prætexunt offuciis.

Posthac, mirum minùs videbitur, quod tam varias ac multiformes *apostases*, in visceribus committant morbi, tam diversas, quam differentes sunt partes, in quibus adacti cuneantur liquores. *Phlogoses* erunt, *inflammationes aut abscessus*, si sanguis; *tubercula*, *concretiones* & *scirrhi* si *lympha* fuerit impedita, ipsa ossium *caries* ac putredo, si eò usquè ädactus succus eorum nutritius, *stagnatione* sua, ea corrumpat. At quantùm conspicua sunt quæ à tactilibus liquoribus veniunt stigmata, tantùm obscura sunt notacula quæ profert incorporalis ferè nervorum *lympha*, si hærere illis contingerit; quamobrem nihili ferè sunt aut nullius molis signacula quæ occurrunt in cadaveribus eorum qui *spasmoditis* morbis denati sunt.

At quod semper & ubique in cadaveribus observatum est (cujusvis ordinis aut naturæ fuerunt morbi quibus occubuerunt) ab omni saburrarum conceptu mentes abducere debuisset; nimirùm ex omnibus quæ morbis supersunt causarum vestigiis, occurrunt fermè nulla, extrà vasorum cavitates aut pomœria. Ubi videas *obstructiones*, *oppilationes*, *ingurgitationes*, *coagmentationes*, *concretiones* quibus vasa cumulata corporantur ac solidescunt. Si quædam vasis egressa deprehenduntur, tot ac tam crebris ejusmodi concretionibus stipantur, ut hinc expressa manantiave evidenter appareant. Hujus sortis est *serosa colluvies*, quæ tantùm famæ ac fidei morbidas inter causas sibi fecerat; nuspiàm enim illam reperias, concretionum, in visceribus aut sanguine exortem. Sic in iis qui *ascite* denati sunt, unà cùm ingenti aquarum mole in abdomine collectà, *hepar*, *lienem*, *renes*, aut ipsos *pulmones* concretionibus sartos comperies. Idem de *anasarcâ*, *tussi*, &c. *sero* adhuc vulgò attributis *autopsia* docet; imò ubinam non adsunt *stagnationum* argumenta? Ubinàm non desunt saburræ indicia? *Chronicis* igitur tam parùm, quàm *acutis* morbis convenit saburræ dogma, repugnat omnibus, competit nullis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De purgatione.

HÆc omnia quanquàm vera ſunt, malo animo hùc adducta nemo crediderit, quaſi purgationem ejurandam velimus, aut exauctorandam. In arte enim, qualis medicinalis eſt, quæ tenuiora bona lucro apponenda habet, id præſidii genus, quod ab omni ævo principale habitum fuit, & *egemonicum* deſpicatui habere, ingrati eſſet animi, aut calumnioſi crimen incurrere. At cùm id remedii (quæ audaculorum in medendo hæreſis eſt & imperitorum jactantia) malorum omnium non ſit everriculum, immò quandoquidem ſæpiùs auſu inſano, quaſi Delphicus enſis fiat, quo in ægritudinum minùs, quàm ægrorum exterminium abutuntur; talium malæ artes ut dedocendæ, ſic laudabiles reſtituendæ veniunt purgandi leges.

Igitur de purgationis utilitatibus, commodis & proſperis eventibus contendere nec animus eſt nec conſilium; generoſa enim inter remedia præſentiſſimum, inter utilia neceſſarium nobis habetur. Aſt ejuſmodi utilitatum rationes expiſcari convenit, quò arti redeat uberior fructus & ſecuritas major. Rationes autem intellige, non quas ante inventam medici quærunt, ſed quas poſt inventam medicinam inveniunt. Confeſſis ergò purgationis utilitatibus, ſæculorum tot ac medentium obſervationibus ſtabilitis, rimari juvat, undè fiat, ut tam *odibilia* laudabile *medicamentum* opera faciat. Nullum enim dari in medicina antiquius conceditur; nam miſſa *Melampi* fabula, quæ fabula eſt, ſpretiſve quæ *heroica* ſunt, temporum *heroïcorum* figmentis, ſtabilitus jàm vulgatùſque purgationis uſus *Cnidiorum medicorum* ætate, quæ *Hippocratem* tempore multo præceſſit, nedùm novitiam fuiſſe tunc temporis purgandi notitiam, indigitat. Alterum ab antiquo cogniti purgantium uſûs argumentum profert, multifaria, ac multis cautionibus jam inſtructa *Hippocratis* tempore purgantium uſurpatio: tritum enim rei uſum oſtendunt, rei utendæ datæ leges, rei autem cognitionem, ejus uſura. Porrò arti, quæ nihil niſi à *poſteriori* compertum habet, commendabilius nihil aliundè contingit, quàm ab uſu; hinc artis & purgantium honos, artis nempè medendi, quàm qui invenit, provexit uſus, quam proindè amplificare debuit tandiù explorata feliciter purgantium uſurpatio.

Interim aliter ceſsêre medicæ res, mentibus fucum fecit purgationis eventus, qui cùm in evacuatione humorum poſitus videretur, humores ſtabilierunt in morborum cauſas, evacuationem in remedium. Hinc accidit ut quæ curationis tantùm pars erat purgatio, artis ſumma evaſerit. Sic mutato in initium medicandi fine, cauda in caput verſa eſt. Tandem quæ medendi futura erat, vacuandi ars facta ſuit. Ulteriùs invaſit animos præjudicium; cepit in humores cæcus amor, miraque propenſio aut ſingularis affectus, adeò ut in illos curationis omnia tela converterint; nam cùm viderent ab humorum exitu proſperos ſequi morborum eventus, in illis ſpem omnem collocandam eſſe rati, illis unicè abblandiri ſategerunt, quò faciles darent manus, ac toleranter vacuari ſe paterentur. Seductionis anſa fuit medicationis iſtiuſmodi ſucceſſus; votis enim conſentiente *abſorbentium*, *edulcantium*, *humectantium*, *refrigerantium*, *diluentium* uſu, talium energias, in humores *acidos*, *ſalſos*, *ferventes* aut craſſos exerceri credidêre. Eò proceſſit præconcepta hæc de humoribus opinio, ut ab illorum qualitatibus, *diatheſi*, aut potentiis, naturæ motus, *criſes*, *judicationes*, artiſque ſucceſſus expectandos eſſe firmum, fixùmque fuerit. Tantùm potuit ſuadere malorum mendoſa vacuationum interpretatio.

At itetùm confesso vacuationum successu, earumdem agnita necessitate, harum causas humores esse negat vacuandi ratio, aut corporis œconomiæ ritus. *Liquida* sui juris non sunt, quidquid agunt à motu habent, quem aliundè mutuantur, undè ex eo quòd motûs genus sit *evacuatio*, aliena vi peragi illam concludendum est. Adhæc, quas *liquida* alunt *dyscrasias*, *salsas*, *acres*, *acidas*, aut otiando illas contrahunt, quod aliena culpa, *solidorum* scilicet *spasmo tonico* contingit; aut vitiosè everberata eas acquirunt, quod adhuc operationis alienæ est. Nimirùm hæc omnia præstant *solidorum oscillationes* perversæ, inordinatæ, deflectentes, dejectæ; *oscillationum* ergò ordinationes, series, tranquillum ac *directiones* restitutæ, his omnibus castigandis, reducendis ac reconcinnandis remedio erunt. Itaque quæ *liquidis aut humoribus edulcandis, refrigerandis, tranquillandis, diluendisve* dicantur, vocum ac conceptuum facta conversione, intelligantur *de solidis mulcendis, leniendis, molliendis, laxandisve*, sic eodem manente remediorum successu, emendata in meliùs & ad naturæ mentem artis consilia securiùs dirigentur, utpotè quò decet directò collimata. Equidem confidentiæ ac celebritatis non parùm *liquidis* aut *humoribus* indè derogari patet, at quæ authoritatis illorum damno fit, artis lucro vertitur. Feliciora enim erunt artificum opera, quorum rectiora erunt consilia, cùm quem destinaverint scopum meliùs attingent: neque interim meta laborum artis mutabitur; hæc enim si evacuatio fuerit, *solidis liquidorum* loco tractatis, tutiùs eò collineabitur. Revera cùm *solidorum systaltica* vis aut *elaterium*, clavis quasi sit & *epistomium*, quo stringuntur aut referantur evacuandorum emissaria, eò promptiùs succedet ac libentiùs evacuatio, quò paratiora fuerint ac obsequentia magis *solida*. Imitamine à natura ducto, ut enim connatus *solidorum tonus* est, qui naturales excretiones modulatur (vis nempè *excretoriorum* oscilla comprimens molliter ac succos exprimens) ille ipse *solidorum tonus* medentium scopus erit, quò suos omnes referant labores: illius nempè restitutio, ut à *strictura* solutæ partes detentis humoribus effugia concedant. Certè nativa videtur hæc medendi norma, simplex enim est, vivendi causis ac legibus consona. Dissimilis autem altera, quæ *fluida* medicanda proponit, infida proindè ac insincera, sanguis enim & *liquida* functionibus serviunt, non imperant; harum materies & instrumenta sunt, non causæ; non regunt enim, ipsa reguntur.

Insuper, tam verum est *solida* esse quæ curari indigent, ut sola sint quæ remedia contingere valeant, immò verò adeò *solida* morborum solæ sunt causæ, ut vix *fluida* in morbidas causas evadere possint aut assurgere. Argumento sit *aciditas*, solemnis illa, omniùmque calculo publica ægritudinum origo; qua enim mala arte aut infelici casu, foris intrò adveniens, vasa subire possit, aut qua ratione intrà sanguinem queat emergere, vix concipiendo es. De *acido* fabellam narrant, sanguini connato, at in illo desiderari uno ore chymicorum jam asseritur. Interea supersunt ex iis qui de sanguinis *fluore* ac vappa mussitant adhuc; at quàm molli pede fulta sit isthæc opinio, declarat illorum affectuum indoles, quos à vappido sanguine gigni contendunt, quos è contrà alit sanguis *inflammatorius*, ut potè quos comitantur ardores, terminant *inflammationes*. Esto tamen, consentitur *acidum* è sanguinis gremio exoriri posse, morbis fovendis id fortè par erit, generandis impar, hos enim sequitur non accersit.

Non facilior patet *acido* externo in sanguinem ingressus; illud enim inspiratione per pulmones sanguinem permeare mendacium est, sic enim undequaque externis rebus impervia sunt etiam pulmonum vasa, filo interrupto nullibi sic continua ut exilioribus minutiis aditum præcludant. Publicum autem

tem eſt, liquorem vaſe coercitum, quod aeri impervium ſit, ab azore tutum eſſe. Patula quidem ſunt *excretoriorum* oſcilla, ſic autem ut emittendis non immittendis rebus aptentur; liquorum enim motus cui ſerviunt, intrò foràs, non foris intrò dirigitur. Quæ ergò vacuanda *purgationi* pollicentur ab *acido* cogente ſanguinem ac *præcipitante* ſuccorum eliquamina, figmenta ſunt; in hæcque dirigere purgationis tela, inanis labor & alea plenus. Sed aliud iterùm ex hac infelici opera diſcrimen venit. Enim verò ex vaſis ſanguineis elutriari contendunt humores, quibus emittendis nullibi pervia ſunt; quos enim vehunt ſuccos ab arteriis in venas indeſinenter decapulari ſinunt, nuſpiam egurgitare. Quas ergò hinc committi fingunt effluentias *ſeri, pituitæ*, &c. corporis rerum ineruditæ phantaſiæ deliramenta ſunt. Quæ ſperantur ex vaſis ſuccorum egeries, ex ſolis *excretoriis* expectandæ ſunt, una enim horum oſcilla ſunt, quibus ſecernendis ſub ſanitate ſuccis, excernendis autem ſub morbo humoribus paratæ ſunt effugies. Atqui *ſyſtaltici excretoriorum* motûs operæ ſunt *ſecretiones*, ejuſdem ergò *ſyſtoles* futurum opus, *humorum* excretio.

Aliud ſuadere videretur illa, quam circumferunt purgantium efficientia, qua ſanguinem colliqueſcere prædicant. Sanguinem enim lacti, vaſa mulctræ, liquefactis coagulis purgantia comparant, quæ ſanguinem ingreſſa glomerant & in ſerum ſolvunt. In his hactenùs jucundè deliratum eſt, at reſipiſcere jubet caſtigata hæc de ſanguine facta aſſertio. Cogi enim poteſt, glomerari non poteſt; denſatur, ſpiſſeſcit, induratur, in coagulationes aut glomeramina non diſpertitur. Has fortè æmularentur albidi flocci innatantes aquæ, in quam ſanguis è pede miſſus eſt, tenaces enim laciniæ ſunt ac glomeramina à ſanguine decidua. At ſanguinis albidæ partes ſunt, ab aqua calente diſſociatæ, tàm parùm in vaſis glomerabiles, ut pellicea ſuperficie ſanguinem veſtiant, in ipſiſſimis morbis ubi ſanguis fundit ejuſmodi lacinias. Sanguinem ergò à purgantibus colliquefieri, ſeu in grumos glomerari, abeſt à vero. Vellicatio eſt *purgantium* operatio; vellicatio autem *ſolidorum*, non *fluidorum*; in *ſolida* igitur *purgantia* agunt, non in *fluida*, vaſa intelliges, ex hiſque *excretoria*, utpotè quæ ſola ſtimulantium purgantium incitamentis obſequi valeant, dehiſcunt enim ſola oſcillis mille, in inteſtinis, ubi titillata ſuccos, quibus turgent, ſpontè fundunt; eò lubentiùs quò decliviora ſunt directione naturali vehentia ſuccos in inteſtina. Contrarium contingit cæteris vaſis, quæ nullibi dehiſcunt, ſemper & ubique contigua non ſolùm, quod error fuit, ſed continua; quæ ſanguinem à corde exceptum, nullibi elapſum, ſerie continuata, cordi revehunt. Augurio non incerto, in illis condendos non fuiſſe, nec conditos morbidos humores, cùm remedia nequirent illa ſubire; *quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in morte vivorum, creavit enim ut eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes, & non eſt in illis medicamentum exterminii*. Porrò *ſanabiles* non eſſent homines, *exterminii*que *medicamentum* evaderet *purgans*, ſi noverca hac ex parte facta natura fixiſſet illic morbidæ cauſæ ſedem, quò penetrare nequiret remedium.

Igitur, quod fidem hactenùs vix inveniſſet, non tàm intrà partium cavitates operantur purgantia, quàm in earum ſuperficies; *tunicas* nempè ac *membranas* quibus veſtiuntur. Vaſorum enim oſcilla quibus hæ pertuſæ ſunt, ſollicitata dehiſcunt, quoſque vaſculis quibus texuntur continent ſuccos exſpuunt. Purgantium ergò vis præcipua, exteriora vaſorum minùs quàm interiora laceſſit. Reverà non deſunt quibus alvum movet *catharticorum* aura; alios invenias quibus frigidum per pavimentum inceſſus inteſtina ſolvit: infantibus familiare eſt purgari *fotibus* abdomini admotis. Totam autem hanc rem aperit *eretbiſmi* natura; ubivis enim ſentitur, undè ſucco quo tantùm

tùm maderi debeiet ſtimulata pars, mergitur. Sic oculi *lippitudine*, *muco* nares, *phlegmatis* pulmo, *pituitâ* ſtomachus, *glutinibus* veſica, *icboribus* uterus, dùm ab acri aut peregrine materia punguntur, diffluunt : ad hunc typum, inteſtina intuendo, quàm immenſus ſuccorum proventus manandus ſit ex illis intelligetur.

Inteſtinorum fiſtulam habes rotundam, proindèque maximè latam, altitudinem corporis ſeptiès longitudine ſuperantem, longam ergò maximè; planè membranaceam, omninò igitur vaſculoſam; multo ſucco madidam, copiosòque litam muco, perpluribus ergò foraminibus, quæ excretoriorum exitus ſunt, terebratam : mille ſalientes hîc conſpicis, qui roſcidum imbrem undequàque fundunt, ſeu infinitos aquarum rivulos, ſuccis egurgitantes. Quotos vix numerabis, his enim definiendis non ſufficit humana mens, ſed quantùm innumerabiles ſint evincit enormis copia tubulorum illorum, ex quibus telarum ſuarum fila araneæ depromunt. Ea enim eſt, ut intrà puncti latitudinem tubulorum milliaria diſcernere detur. Porrò tot tubulorum nerveorum extremitates excretioni paratas ultrà modum vellicatas cogitando, inteſtina ſuccorum imbribus ruitura intelliges, totàque ſero perſtillantia. Si etenim pyrethri mica ori (quod præ inteſtinorum capacicate, perexiguum ſpatium eſt) commiſſa, ingentem ſalivæ copiam elicit, quanta alluvies mananda non erit ex pluribus purgantis *tincturæ unciis*, quibus capaciſſimum inteſtinorum ſpatium reſperſum erit? In mentem revoces miram cùm nervis inteſtinorum ſympathiam ac ſocietatem, concipies ſuccos partium ſuperiorum debere conſecutionis neceſſitate deſcendere vacuatas versùs inferiores partes, quave ratione viſceris unius evacuatio occaſioni eſt corporis univerſi evacuationi.

Vaſa autem *excretoria* eſſe, quæ hanc omnem humorum copiam ſufficiunt, manifeſtat evacuatorum qualitas; *ſeroſi* ſunt imprimis, *ſerum* enim quod *ſecretionum* baſis eſt, *excretionum* quoque fit materies. *Seroſi* autem laticis conditoria tam verè ſunt *excretoria* vaſa, ut eò ſpontè confluant quæcunque *ſeroſa* ſunt; præterquamquod enim elices ſunt ſucco nutritio, qui *lympha* eſt, à natura dicati, aqua ſyphonis ope in arterias injecta, in *excretoria* vaſa tranſit, adeò aquaria ſunt. Nec te moretur, quòd *glutinoſi*, *pituitoſi*, *phlegmatic*ve ſæpè videantur vacuati humores, ejuſdem enim liquoris, tituli diverſi ſunt ac multiplices formæ; cùm *glutinoſum*, *pituitoſum*, *phlegmaticum* ſeri laticis ſpecies ſint aut effectiones. Idem ſerum eſt quod tingunt *colores flavi*, *virides*, *nigri*, qui ſero inſidentes coloratos exhibent ſuccos, ſpecie diverſos, re ipsà *ſeroſos*, ſed à mora, *ſtagnatione* variòque verberatûs gradu modificatos. Talium exempla colorum repræſentant *aſthmaticorum*, *pleuriticorum* & *Phthiſicorum* ſputa, quæ ab una *lymphâ* putri, reſide, diutiùſque verberata in pulmonibus formantur. Interim non immeritò hujus vel illius humoris in corpore dominatum ex coloribus concluditur; licet enim hujus vel illius remiſti aut reſorpti humoris certa parùm fuerint indicia, ſaltem admonent hoc adeſſe in corpore *occillationum* turbamentum, hàncve confuſionem, ut ſedibus ac locis mutentur; ſic ut quæ *hepatis* v.g. propriæ erant, *pulmonum* aſcititiæ factæ ſint miſtæque ſuccorum officinæ; verbo, eò veniſſe delirantium à modulatione ſua, aut deflectentium *occillationum* potentias, ut quibuslibet ſuccis non hic vel illic tantùm, ſed ubique procudendis impares non ſint. His, ut ut vera videantur, repugnare ferè diceres purgantium naturam. Revera horum non pauca *ſalinum* aut *acre* reſipiunt, quæ mordendo, ſtimulandòve partes vellicabunt! His accedent adhuc quæ triſtis ſunt, ſed manifeſti ſaporis; at dantur, neque pauca numero, quæ inſulſa ſunt, fatua aut inſipida, cujus conditionis ſunt non *eccoprotica* ſolùm, *oleoſa*, *laxantia*ve, ſed *draſtica* inter (non

ſe-

ſecùs ac inter *venena*) reperias, quæ dulcia ſunt, mellaria, injucundè ſaporata; hæcque vulgaria, ut *caſſiam*, *manna*, *mechoacam*, *ſtibiata* ipſa, complectuntur, quæ ſapore aut nullo aut ingrato non acri condita ſunt; an talia *ſtimulantibus* annumerabis? Fundunt intereà, eliquant, evacuant, &c. At hîc, ſi alicubi, animadvertere datur ſenſuum aberrationes ac fallacias. Alius enim eſt *linguæ*, alius *oculorum*, alius *ſtomachi* ſenſus. *Oleum* amicum *linguæ*, mordet *oculos*; *ſtibium oculorum* mitigatorium, *ſtomachum* turbat: ſimiles veniunt ex eduliis inſidiæ, *muſti*, *mellis*, *lactariorum*, *melonum* pericula comperta ſunt non minùs quàm delectamenta; tumultuoſa nempè tantùm, quantùm voluptuoſa. Igitur ſenſifera *acria*, *amarulenta* non tantùm, aut quæ linguam vellicant, ſed ſuavia quòque delectabilia, ipsàque inſipida, turbas dant & tumultus. Sed à verbo venit dubitandi ratio; vellicari enim, & irritari, pungi putant, quaſi nihil niſi aculeos ac ſpicula ſonarent iſtius modi voces, qui conceptus ſic caſtigabitur. Vellicationis nomine intelligenda eſt citatior facta *occillatio*; undè *trituræ* niſus aut fortior aut crebrior. Citatur autem non à punctione tantùm, quòd ſtimulus eſt, ſed ab interveniente obice, quod eſt incitamenti genus, & niſûs occaſio. *Undulatio* enim, quò pertinet *occillatio*, in vetitum nititur, adeò ut in obicem vel leviſſimum incidens undulando liquor inſurgat & enitatur, ſic ſecluſo omni ſtimulo, *vellicationem* concipere datur, in inteſtinis maximè, quæ ut ſenſûs ſunt exquiſiti, facilè horrent & objecta reſpuunt, imprimis quæ incongruentia, qualia *eccoprotica*, quæ pinguia ſunt & laxantia, &c. hæc igitur ſtomachi vi ac ictibus ſubacta inconditè, in inteſtina deſcendunt, ubi *lacteorum* oſcillis incongrua, inopportuna loco, & peregrina; illis partibus delicatulis incommodant, quas inimica præſentia, moleſta mole, incongrua natura, ad *excretionem* ſui & expulſionem provocant. Sic quæ faciles & patulas ſe præbuiſſent oſcillorum in inteſtinis hiantium aperturæ, horrent, nauſeant, contrahuntur, retrorsùm occillant, & oblata exſpuunt.

Hæc ſatis erunt exponendis vellicationibus, miſsa etiàm *ſtimulorum* opera, ſed aliundè ſuos celant aculeos leviora purgantia, ſuòque ſinu condunt aſpritudines, quas occaſione data, pandunt. Pinguia enim ſint, quale eſt *oleum amygdalinum*, quo ſolvitur alvus, pungunt ac mordent. Ut enim *oleoſa* ſic vellicant *oculos* ut lacrymas proliciant, cutèmque *eryſipelate* deturpatam ita exaſperant, ut exulcerent; inteſtina, quæ cute ac oculis teneriora ſunt, ab *oleoſis* pungi, morbidèque titillari poſſe veroſimile eſt. Porrò qualis energiæ ſint *oleoſa* proliciendis *ſeroſis* humoribus, de quorum genere ſunt *humores*, quos *purgantia* educunt, monſtrant butyro lita *betæ* folia, quæ provehendis *veſicantium* evacuationibus adhibentur. Igitur *cathartica* quævis, non in *fluida*, ſed in *ſolida* agunt; neque *fermentando* aut *præcipitando* evacuant, ſed irritando, provocando, vellicando humores profundunt.

CAPUT XIV.

De vomitione.

VOmitio eſt humorum ſtomacho per os exſilientium impetu facta ejectio. Evacuationum enim obtigit nulli tanta proſiliendi vis; quæ cùm compreſſionis, aut *embôli* virtutem reſipiat, ad *ſolida* pertinere vomitionem, argumento eſt. Adhæc declivia amant liquores, inuſitatum enim naturæ, artique inexpertum ad aliquam altitudinem, invito pondere, proprioque impetu, aſcendere liquorem. Itaque quòd ore, aliquò multùm à ſtomacho diſtante

humor evacuetur, alienæ virtutis eſt aut potentiæ. Hanc manifeſtant locorum ſitus, natura, ac ordo. Oeſophago ſubjacet ſtomachus; hic autem canalis eſt ad *perpendiculum* deſcendens, & directò imminens ſtomacho. Hac ſub poſitura, declivitatem, qua ultrò per os effluat ſtomacho concluſus liquor inveſtigare, *nodum in ſcirpo quærere eſt*. At in aperto ſunt fibrarum ſtomachi motricium vis; partiùmque circumpoſitarum immane robur, imprimis muſculorum abdominis *contractilitas* immenſa, quæ omnes potentiæ unà conſpirantes, intròque ſimùl actæ, omnium fortiſſimæ compreſſionis, *emboli*que potentiſſimi vim æmulantur. His omnibus undequaquè comprehenſus ſtomachus, compreſſuſve, ſui cavo concluſum liquorem non reddit, ſed expellit, ejectat non effundit. Hac autem compreſſione humorem à ſtomacho extundi, cogit hujus formatura, adjacentium partium habitudini comparata. Stomachus cavus eſt, ſolidæ circumpoſitæ partes. At qua ratione durioribus molliora, eadem *ſolidis cava* cedere neceſſe eſt. Porrò ea eſt *ſtomachi* cavitas, ut illius parietes vi adacti mutuò ſe contingere poſſint; eos igitur à potentiis vicinis compreſſos, ſic anguſtari neceſſum eſt, ut qui liquor illorum intercapedine interponitur, collidi debeat & explodi. Itaquè *emboli* vim appellaveris, eam quæ vomitionem committit, hoc nomine dignandam eò magis, quò fortiores ſunt obices quos rumpendos habet vomendi niſus. *Muſculus* eſt œſophagi tubus, iis motricibus fibris inſtructus, ut deſcendentibus tranſitum concedant, negent aſcendentibus; ſtomachi *ſphincter* eſt atque ſigillum, eum ab hiatu protegens, ne alimentorum digeſtio, ab admiſſo extraneo miaſmate interturbetur. Rimis enim & hiatibus (*regiſtra* dicunt) indigent chymicorum organa, quòd eorum operationes, utpote *fermentatione* abſolvendæ, aere opus habeant, cujus exſortes fermentandæ materiæ non efferveſcerent; è contrà *tritura* eſt digeſtio alimentorum, non aeris externi, ſed validiſſimæ *ſolidorum* potentiæ indiga. Poſthàc tot artes firmando digeſtionis organorum *tono* impenſas ne mireris, neceſſariæ erant ſtabiliendæ ſuccorum coctioni primæ, quæ cæterarum integritatem ſponſura erat. Verùm illæ omnes artes ſunt quas violandas, illi omnes obices quos frangendos habet vomendi niſus, hac de cauſſa habendus præcipuus inter eos motus, qui ad *ſolida* referuntur.

Id approbat medendi uſus. Morbi qui *ſolida* quales nervi ſunt, ſingulariter afficiunt, *vomituritiones* dant. Sic *hyſtericas*, *melancholicos*, *ſplenicos*, *nephriticos* videas irritis & aſſiduis vomendi conatibus fractos; irritis, inquam, nihil enim produnt humoris, adeò *ſolidorum* proprii videntur, non *fluidorum*. Ulteriùs procedit *obſervatio*; ex morbis videas nullos, in convulſiones, quæ ad *ſolida* pertinent, pronos magis, quàm vomitiones; ſic ſtomachum fortiùs aut inopportunè vellicaverit *ſtibiatorum* uſus; ſive ſub *cholerâ* morbo diutiùs aut maligniùs fuerit laceſſitus, per artus currunt dolores, anxietates, *ſpaſmi* vagantes & incerti; immo pedum manumve contractiones ſuccedunt, epoto *arſenicali* veneno, quod ſtomacho ac nervis ſingulariter inimicetur. Coronidis loco veniet ex *tabacino oleo* litus, qui externis tantùm partibus affrictus, ſtomachum turbat, convellit, conjicitque in vomitionem.

Nihil ergò rei cuilibet tam proprium eſt, quàm nervorum vellicationi vomitio; ea propter quæ vomitum promovent aut ſedant remedia, nervos reſpiciunt; prioris generis ſunt *pinguia*, *oleoſa*, quæ fibras laxant aut molliunt; alteriùs ſunt claſſis, *narcotica*, quæ ſedant.

Norunt adhuc medentes, ex ſymptomatis omnibus quæ præludunt morborum ſcenæ, nullum tam obvium fieri aut familiare, quàm *vomitum*, ea-

certè

certè de cauſſa, quòd ex omnibus *fibris* motricibus, undè ducta ſunt prima partium ſtamina, nullæ ſint moveri tam faciles, quàm *ſtomachi fibræ*: revera in longum exporrectæ ſunt, cingentes partem cavam, fluitantem, ſuſpenſam, ſubjecta baſi & adjacentibus fulcris deſtitutam, viſceribus omnibus condoleſcentem: certè fibras tam teneras, ferè vacillantes, aut malè fultas à ſuis *directionibus* aut *tono* facilè dejiciendas venire manifeſtum eſt. Atque ut debilior eſt & flecti facilior vectis, qui longior fuerit, ſic fibra curvari eò magis periclitatur, quò elongata fuerit magis, retinaculiſque rarioribus firmata. Hoc ipſum muſculorum fibris contingere ſolet, quæ quò breviores vegetius muſculo robur addunt, imbecillius verò, quò longiores. Hæc ad ſtomachi fibras translata, cauſſæ partem exponunt, cur tam proclivis ſit in vomitionem; ſed rem planè conficit altera hæc circà ſtomachi fabricam faciendi obſervatio. Cavus eſt, interioris ergò expers fulciminis: at quod curvari facile eſt ea parte curvabitur, qua minùs ſentiet reſiſtentiæ, ſeu qua fulcitur minùs. Intrò igitur curvabuntur ſtomachi fibræ, puta in hanc partem qua vomitur.

Hæc jam benè multa ſunt, quæ *vomitionis* cauſſam *ſolidorum* vellicationibus attribuunt; at eò efficaciùs, quò *frequentiùs vomitiones* ſtomacho eveniant, humoribus vacuo, à cauſſa vellicante externa aut remotiſſima. Permultis ſtomachum movet navigatio, non paucis vectio rhedæ; quoſdam offendas ad rei faſtidioſæ aſpectum aut odorem nauſeantes. Denique ſana ac vegeta mulier imprægnata, vomit; idem experitur virgo vigens aliundè, ſed menſibus, quos patiebatur, fortuitò defecta. Neque audienda quam prætexent humorum camarina, ſæpiùs enim vomitionis conatibus excruciatæ, vomunt nihil; aut tam infeliciter, ut tunc temporis exhibita *emetica*, augeant pœnam, dùm evacuationem minuunt, ni ſanguinem humorum loco proliciant: hæc *ſtibiatorum* ſors, quorum frequentiora martyria numerabuntur, quàm miracula, quoad aut novitiis manibus tractabuntur, aut humorum in ſtomacho ſtabulantium ſaburræ, quæ nuſquam eſt, evacuandæ dicabuntur.

At reſipiſcant incauti *ſtibiatorum* decoctores, ſtibiatorum improbitate vi, ac tyrannide deterriti. *Cathartico* horæ opus ſunt, antequàm alvum ſolvat; *emetico* ſat erunt momenta, ut *ſtomachum* evertat. Cauſſa palàm eſt, *cathartico* ad diſſita ferri indiget, *emeticum* ipſo in limine operatur. Illi univerſus inteſtinorum canalis peragrandus ac vellicandus eſt, quò humores proliciat; *emetico* ſufficit ſtomachum attigiſſe, ut illum intactis humoribus convellat. *Convulſio* enim eſt, aut ſpaſmus vomitio, *ſolidorum* morbus aut nervorum affectio. Hinc ad manum eſt, ſicque in expedito *emeticorum* virtus, ut illis ſufficiat partes attigiſſe ut eas fortiter ſtringant, ſic ut quos vehunt ſuccos arctiùs complectantur. Fulgurantia crederes, partes tam rapidè pervadentia, ut eas vel lambendo ſiccent. Hinc irrita facta fuit ac fruſtanea chymicorum induſtria, qui ſuo ac ægrorum periculo, *emeticorum* fraudes infeliciùs experti, in *cathartica* convertere *emetica* tentaverunt. Sed infido auſu & temerario, *mercurii* enim *fixationem* aut *tranſmutationem metallorum* aggredi erat; adeò *ſtibii* pernicitas omnes illorum conatus ludit, vel enim malè caſtigata ſtruit inſidias, aut nimis emendata fatiſcit & emoritur. An igitur exterminio ſic natum eſſet id pharmaci genus, ut illi facto mortis mancipio occidi, aut occidere injungeretur?

Immeritò ſanè & injuria, ſtimuli enim titulo quo terrent *emetica*, morſitatione qua formidini ſunt, iis ipſis à natura datum eſt ſuccurrere morbis. Id artis fugit eos quos mancipavit evacuandi cacoethes, norunt verò ii quos *occillationum* in negotio verſatos malam hanc artem dedocuit, *ſolidorum* do-

ctrina. Ita verò *ſtimulantia*, artificum, ſi artifices fuerint, manibus, ut decet, tractata, damnabilia non ſunt, laus immo maxima illa manet, at major adhuc utilitas. Et verò cùm liquorum evagationes undè oriuntur morbi, *occillationum* culpa fiant, *ſolidorum* officii eſt, in ordinem eos revocare. Id autem potentiæ *ſtimulantibus* datum eſt, quæ *ſolida* opportunè morſicando, eorum *occillationes* ad nativas *directiones* revocant, aut amicè cogunt. Equidem ab illatæ vis periculo metuendum erat, ſed huic aliundè ab ipſamet *ſtimulandi* potentia cautum eſt. Hæc efficit ut ad *excretoria* prolecti humores, vaſa depleant & egurgitent; partes à *ſtagnatione* defendant, *phlogoſeſque*, *inflammationes*, *apoſtaſes* & abſcedentia arceant. Enim verò *ſtimulantibus* quæ evacuantia ſunt commodum accedit, quo fruſtrata ſunt, quæ non ſtimulant *evacuantia*; illa quos movent humores, non promovent, utpotè quibus *emiſſaria* non aperiunt. Hinc *ſudoriferorum* incerta fides aut perfidia, humoribus enim quos protrudunt, molem quidem addunt & impetum, at exitum negant quem ſtimulatio dediſſet. Hinc ergò *ſtimulantibus* ſecuritas obtigit major, quòd excipiendis humoribus protruſis vaſorum oſcilla referant; immo illa referant primùm, tùm iis ſuccos appellentes dant evacuandos.

Cùm his ſi conferas vomitoriorum efficientias, ſtimulos eorum in tantùm non aſpernaberis aut extimeſces, ſed laudaveris magis, fortè an amaveris. Stomachum habes corporis centro ſitum tenerum maximè, univerſi corporis affectionibus conſonum, omnibus partium congaudentem bonis, nullis non malis compatientem; ut enim illa cupidè ſentit, hæc odioſè averſatur. Partem tam publicam, cohærentem omnibus aut conſociatam, pungis, vellicas, emoves? cæteras in conſortium trahis, omnes ergò titillas, laceſſis, exſuſcitas; attamen fortiùs illas quæ tenſiores fuerint, rigidiores, & breviores, tùm quia acutiùs aut altiùs reſonant, quæ magis tenſæ ſunt citharæ fides, tùm quia ſequax longè minùs eſt vel difficilè ductilis fibra, quæ jam contrahitur aut corrugatur. At hic corrugationis ſtatus, ille ipſe eſt fibrarum quas ſub morbis occupat *ſpaſmodica diatheſis*. Hæ ſunt igitur quæ ſingulariter & fortiùs ſentient, ſtomacho factas vellicationes. Hinc in apertum venit, quid præſtiturum ſit opportunè datum *vomitorium*. Equidem *evacuantis* medicamenti titulo laudatur, nec immeritò, ſed revera excuſſorium eſt; quo nomine, ut efficacius, laudabilius quoque eſt. Sub hoc reſpectu ſtomachi fibras ſtimulando evibrat, quæ non ſecùs ac ductarii funes, partes quibus cohærent, aut undè proficiſcuntur, emovent, *occillationeſque* aut ſurſùm abreptas, aut deorsùm ruentes divertunt. Intereà vellicata quotquot in ſtomachum deſinunt *excretoriorum* oſcilla, dehiſcunt, hæcque versùs deturbati humores, per aperta emiſſaria eliminantur. *Bonis* autem *avibus* aut felicibus auſpiciis, indicium enim eſt *ſolidorum occillationibus* obſecundaſſe fluida, laxatas eſſe & expeditas vias, diſcuſſam procellam, atque diſſipatas quæ imminebant *apoſtaſes*. Hinc *vomitiones exiguas, malum denunciare* monet *Hippocrates*, oſtendente humorum quæ ſuccedit paucitate, immorigeros eſſe, nedùm ductiles aut fluxos humores, *ſpaſmo*que ſtrictas adeò fibras, ut validè licet proritatæ ſuccos elabi recuſent. His in caſibus vomitus monente eodem *Hippocrate, cùm majore conatu & dolore contingit, anxietudo occupat, vox ſtridula eſt, ſingultus, convulſio, frigus cùm ſudore, ſitis*; humorùmque loco *vomitus ruber*, ſanguiſque ſtillans è naribus ſuperveniunt.

Malis autem vomitibus accenſet idem *Hippocrates* non tantùm eos qui *pauci* ſunt & *frequentes* parùm nempè egerentes & ex erethiſmo ortos, ſed & *bilioſos ſinceros*, quo loco laudat ut *utiles*, qui *bilem pituitæ quàm maximè permixtam habent*: rationem autem exhibet *vellicationum* ratio; ubi ſolus eſt unius

pituitæ

pituitæ exitus, ſingularem eſſe nimis, paucioribuſve partibus addictam vellicationem indicat, aut rigidum adeò ac renitentem fibrarum *ſpaſmum*, ut impeditæ *occillationes* vellicationibus aut obſurdeſcant, aut ultrà ſtomachi continia pandi recuſent. Contrarium ſuadet *bilis* cum *pituitâ* copioſa ubertas indicans ſiſti nondùm *occillationes*, perſeverare adhùc illarum excurſus, illàmque ſupereſſe partibus mollitiem, quæ vel vicinarum egurgitationem permittant aut polliceantur. Hic ubique vides non aſpernabilem eſſe humorum proventum; at ulteriùs docet Hippocrates obſervandos venire humorum illorum *colores*, *odores* & habitudines: *viridis*, inquit, *vomitus*, *niger*, *lividus*, *ruber*, *multùm craſſus*, *ſubputris*, *mali odoris*, *virulentus*, *æruginoſus*, *vitioſus eſt*; tot enim indè ducuntur argumenta labefactati, morantis, peſſundati aut perditi ſuccorum circuitûs in his vel illis viſceribus; horum proindè *cacopragiæ*, vitioſitatis & habitudinis violatæ notacula. Verbo, quod in morbis peſſimum eſt, à *fluidis* ad *ſolida* mali contagium non tantùm aut auram tranſiviſſe indicia ſunt, ſed ipſis eorum medullis ipſummet malum adhærere, adunari & concorporari; undè *ſecretionum* violatio, turbatio ſuccorum, *occillationum* perverſitas, mortis anteambulones aut prænuntii.

Eſto igitur impensè ſudent artis non incurioſi in cicurandis, corrigendis, caſtrandiſve *vomitoriorum* ſtimulis, in his enim certè cauto opus eſt; noviſſe verò ejuſmodi ſtimulos calcaris inſtar opportunè partibus addere, hoc opus, hic labor eſt; occaſionem enim, quæ medelæ omnis anima eſt, loco ſuo captare, artis ut artificis induſtriæ ſumma eſt quam ſapientia moderatur, quam vel unus obtinet uſus. Interim quantalibet fuerit ac prudens in uſurpandis *vomitoriis* dexteritas, omnes illorum proſperoseventus, univerſa miracula, eorum ſtimulandi vi accepta referenda comperiuntur. Revera minora longè occurrunt & infrequentiora *vomitoriorum* quàm *purgantium* pericula; ſic ut plures licet *hypercatharſi* extinctos videris, ne unum ex mille vel enormi vomitione jamjàm exanimandis, vomendo periiſſe obſervatum ſit. Experimentum habes in iis qui cùm maris inexperti animam exhalant cum vomitu, illicò tamen reconvaleſcunt, redditi terris. A ſpaſmo enim venit tota iſthæc vomitionis conturbatio, qua excandeſcens ſtomachus, in ejiciendum hoſtilem hoſpitem inſurgit, ut à moriſicante materia illicò ſeſe expediat. Ille autem, quantus ſit vomendi cruciatus, *cathartici* operatione, ut ut mitiori, periculoſus minùs eſt hac de cauſſa: adhæret iis partibus *vomitorii* ſtimulus, quas ſubire nequit, quæ enim à ſtomacho revehunt ſuccos vaſa, impervia ſunt, nullatenùs ſubeunda. De *purgantibus* non item; præterquàmquòd horum quàm *vomitoriorum* promptiores minùs ſunt ſtimuli (undè fit ut longiori tempore morentur in *inteſtinis*, & tardiùs agant) intrà inteſtina dehiſcunt *lactea*, quæ chylum *purgatrici* virtute imbutum ebibunt, eandem intùs quàm extùs vellicationem paritura. Exploratum eſt enim intrà vaſa ſyphone injectas purgantium tincturas, alvum quoque ſolvere. Igitur periculorum à *purgantibus* & *vomitoriis* imminentium differentia in eo ſita eſt, quòd *purgantia* vaſa ſubeant & ſanguinem afficiant, ſolas verò vaſorum ſuperficies ſtimulent *vomitoria*. Quæ perperàm in medium prolata ſuſpicari vetat facta de *vomitoriis* hæc obſervatio. Norunt artis prudentes, quanti ea ſint auxilii in *aſthmatinis* affectibus; undè *Nicotianæ* præcipua laus, quam ſyrupi forma opportunè exhibitam incantamenti inſtar his opitulari proditum eſt. Sua dubio procùl ſtimulatione ſola, *ſtomacho* enim exceptam vaſorum interiora ingredi non poſſe notum eſt. Hùc iterùm ſpectat non inutilis, ſub iiſdem morbis, *ſtibiatorum* uſurpatio; *Bechicis* enim & *expectorantibus* exigua doſi, addita, pulmones ſtimulando à *phlegmatis* expediunt. Nequè prætereunda *ſtibiatorum* uſurpandorum ars, qua

exili

exili quantitate, ſed multa aqua ferè obliterata (v.g. ad granula tria vel quatuor intrà aquæ libras tres) alvum non ſtomachum turbant. Sic enim diluta ſufficientem intrà inteſtina moram trahunt, ut ſanguifera vaſa ſubire ſibi liceat. Tandem alia medentium induſtria eſt, *purgantibus* potionibus *ſtibii* aliquid admiſcere, quotiès è re eſt ægrotantis, ut *purgans* medicamentum minores det turbas, citiùſque præterlabatur; ita enim *purganti* addito *vomitorii* calcare, velociter, quaſi currendo, partèſque delibando pervadit medicamentum *purgans*.

CAPUT XV.

De clyſteribus & ſuppoſitoriis.

AT *purgantium erethiſmum* nihil declarat apertiùs, quàm *enematum, glandiùm*que ſubdititiorum uſus. Equidem ſunt quibus iſthæc evacuantia everrendis, ut ajunt, aut exſtercorandis inteſtinis, facta unicè videntur, & hæc eſt vulgi, qui in medicina nimius eſt, opinio. Interim ab hoc errore tueri debuiſſent *Hippocratis* & vetuſtiſſimorum medicorum exempla, arti enim coæva comperiuntur hæc medicamina; at vel primo ab ortu ſuo in artem prodeuntia, *ſtimulandi* cauſſa uſurpata fuere. Hinc *acria* ſunt quæ deſcripta olim ad nos pervenerunt curando volvulo adhibita, revocandis proindè *humoribus*, ipſis immo fæcibus, quæ ad ſuperiora, os nimirùm aut fauces ſub hoc morbo viam affectant. Undè duplex comprobando *purgantium erethiſmo* redit argumentum, vis enim illa ſtupenda, qua ad os ab inteſtinis fœces ipſæ rapiuntur, *ſyſtalticam* partium vim, de qua hactenùs tam multa, ſub ipſos ponit oculos. Inſuper horrendo malo, vixque medicabili, quod inverſa ac præpoſtera committit inteſtinorum *periſtole*, adhibitum pungens & acre remedium, oſtendit ſtimulando juvare ea medicamina, quæ illi proficua indicata ſunt. Porrò quò uſquè procedat illa vis, evincit huic morbo ſuperveniens *ſedis ſtrictura*, tanta ſcilicet coarctatio, ut nihil, nequidem *clyſteris* fiſtulam admittat. Hinc volens miniſter medici (ita enim vocatur *Hippocrati*) *clyſterem* ſuffundere, reperit anum clauſum & intrò versùm retractum; quod extremi morbi eſt, & eventûs lethalis. At quæ hic conſpicua eſt conſtrictio, affectæ parti propria non eſt, neque ſingularis; immo verò *ſpaſmi* internas partes occupantis indicium eſt, occillationes invertentis adeò, ut viſi ſint *glandes* ſuppoſititii per os aſcendendo remeaſſe. Sub hoc partium ſtatu, vix alia à *ſtimulantibus* remedia concipere datur, quæ tali cauſæ ad votum ſuccurrant, abreptas nempè ſurſùm *occillationes* deorsùm deprimendo, præcipitandove.

Neque aliò tendit, ſub quovis morbo *enematum* uſus; quæ ubicunquè fuerint uſurpata, ſi alicujus proſperi fuerint eventûs, ſtimulando juvant. Succos enim proliciant aut fœces, utrumque ſtimulando exequuntur. Nequè hæc ex conjectura aut opinione dicta credideris, ſed ex rei neceſſitate deducta. Et verò, craſſa *inteſtina* quæ perambulant *enemata*, invia ſunt, à præterlabentibus non ſubeunda. *Lacteis* ſi donentur, tam infrequentia ſunt, ut admittendæ *purgatrici* virtuti imparia videantur. *Enematis* interim vellicata hæc *inteſtina*, humores profundunt; hi ergò dubio procùl iidem ipſi ſunt, quos inceſſanter ſub ſanitate *inteſtina* plorant. At qui ſub ſanitate ſtillant illùc ſucci, *excretoriorum* quæ vehunt non revehunt proventus ſunt; ſtimuli igitur extùs non intùs vellicantis hic vides effectus. Reapſe ex *enematis* vix reperire eſt ullum, qualicunque ſtimulo deſtitutum, omnia enim utcunque proritant. Ipſa enim

aquea

aquea titillant, vellicant emollientia, ſalina mordent, acria pungunt, *purgantia* torquent, omnia incommodant; peregrina enim ut ſunt & adventitia, ſola præſentia lædunt. Neque prætereundum, ſuam quoque eſſe inteſtinorum in ſentiendo *idioſynoraſiam*, quæ enim *ſtomacho* maximè ſenſifera ſunt, inteſtinis fatua deprehenduntur & ignava. Exemplo ſit vinum *ſtibiatum*, id enim ore ſumptum ſtomachum convellit & vertit, *enematis* autem ano infuſum, in inteſtinis reſes eſt, niſi *foliorum orientalium* forti decocto ſociatum fuerit & admixtum; ubi videre eſt quantùm ſtimuli opus ſit *enematis* etiam validiſſimis, quæ ſtimulo aliquatenùs defecta, inertia comperiantur & evanida.

Stimuli, quo nomine *enemata* commendantur, teſtes ſunt adhuc illæ evacuationes quas obtinent ab iis partibus quibuſcum nullis exituum communitatibus, ſed ſolis fibrarum commerciis aſſociantur. *Lochia*, *menſeſve* inopportunè cohibitos, enematis ex *melle mercuriali* & ſimilibus revocare uſus eſt. Cùm autem ad anum non pertingunt, *menſium*, *lochiorumve* viæ, ſed ad uterum, indicium eſt huc evocari vacuationes illas a clyſteribus eas ani fibras vellicantibus, quæ cum utero cohærent. At juvant *enemata*, non tantùm confines partes atque vicinas, ſed diſſitas quoque maximè, locis ac functionibus disjunctis auxilio ſunt. Evacuando dices? Suaderet hodiernus medendi ritus, qui *draſtica* ano infuſa immitti jubet; diſſuadet autem *Hippocratis* exemplum, qui *in morbo coxario*, *ſalis triti pugillum ad olei heminam & hordei decocti heminas duas* injici jubet; ut & *infuſum ex ptiſanæ cremore admixto melle*; ubi vides quam dabat *ſtimulantibus* præ *purgantibus* clyſmatis fidem ſupremus ille artis magiſter.

Nihilominùs tamen, quod ſupereſt antiquæ in medendo virtutis, *Hippocraticam* hanc reſipere videtur in exhibendis *enematis*, intentionem, *ſtimulandi* nempe conſilium magis, quam *evacuandi*. Moris eſt nec illaudabilis, acria *clyſmata* adhibere, reſolvendis affectibus *ſoporoſis* & *convulſivis*; ſic *apoplexiæ* aut *epilepſiæ* paroxyſmo correptum *enematis* acerrimis prolui volunt. Num ad anum humoris morbidi proliciendi cauſſa? *Syphi ſaxum volveres*. *Pleuritide* aut *peripneumonia* laboranti, mollia *clyſmata* ſæpius infundi curant, an his, quòd vulgaris ſermo eſt, humoris partem ſurripi prætendis? *Aquam è pumice poſtulas*. Iterum (ſtupendum enim quò uſque ſerpendo ſe produxit hic error) urente interanea febre ex aqueis *clyſmata* frequenter injici conſulunt, nunquid hac arte bilem flammatam ex vaſis ad inteſtina præcipitem agi expectabis? Spe cades; non ſic diſſociabiles ſunt corporis ſucci, neque ſanitatis cauſſa diſſociandi. Confuſio enim qua tumultuantur non venit ab *inteſtino* motu qui eos miſceat & in turbinem agat, ſed a *progreſſivo* retrocedente, qui *ſecernendos* retrovehit ac permiſcet. Has autem ut dant turbas inordinatæ *occillationes*, hæ in ordinem reductæ compeſcent; eoque tendit *enematum* uſus, deorſum enim revocando *occillationes*, quæ aliorſum ferebantur, *liquidorum* mutant impetus, motus emendant, ſuamque iis reddunt directuram.

Enematum autem eventum hunc ſpondent locorum quæ ſtimulantur declivitas & devergentia. Cum enim a vertice ad pedes ſeu a cerebro ad inferiora undulando repunt ſub ſanitate *occillationes*; eodem loci, deorſum nempe retrahendo, quoquoverſum ſub morbo devergunt, ſanitatis iter relegere eſt. Porro in denſa qua laborat ars rerum caligine, cum incompertum ſit quò directè reducendi ſint deflexi liquores, eos ſaltem exindè avertere tutum eſt ubi clademminitantur. Id autem ex *clyſmatum* opera expectabis, maximè cùm qui ſic aperiuntur tramites, ii ipſi ſint quibus graditur natura, ipſiſſimæ pronitates quibus ferri amat.

At ſtimulationem præcipuum quod ex *enematis* ſanitati redit bonum eſſe pro-

probat *glandium* ſuppoſititiorum effectus, adeo enim non *evacuando* proſunt, ut *evacuare* non poſſint. Incitamenti genus eſt, quò ſanguis, ſuis comitibus ſuccis circuitus iter pergere cogitur. Metus enim a morbis ſæpe eſt, ne ex *arteriis* exiliens ſanguis in *venarum* curvaturas aut divergia ceſpitando nutet, moriarique ac reſidere periclitetur, in extremis præcipue & inferioribus, qualia podicis ſunt, vaſis, ubi quaſi adverſo flumine ad ſuperiora conſcendit. Id mali ut prævertat benè provida medendi ars, id aptat auxilii, quo ſtimulata quæ imbecilior nata eſt venarum *ſyſtole* recolligat ſpiritus, exceptumque ſanguinem efficaciùs ad cor tranſmittat. Huc autem non deſinit *ſtimulationis* beneficium, præterfluentem ſanguinem fortiùs urgendo, *apoſtaſes*, abſcedentia, *hæmorrhoides*, triſtes nec innoxias morborum reliquias, præcavet. Prodeuntia tot ex *glandibus* commoda, rudem & ignaram fugiunt medentium plebeculam, quæ corporis *œconomiæ* & *mechanices* benè conſciis perſpicua ſunt atque comperta. Sic autem educatus medendi artifex, humores *glandibus* extorquere non tentabit, nedum cogitabit. Re ipſa tam parùm humoribus dicatur *glandium* operatio, ſanguini ſic aliundè addicta, ut inopportunè admota, humorum loco ſanguinem emulgeat, aut *hæmorrhoides* quas fugare potuerat, provocet. Hac de cauſſa in morbis *inflammatoriis* intutus eſt *glandium* uſus, iis è contrà propriùs qui *ſoporoſi* ſunt, *ſpaſmodici*, de illorum genere qui *phœnigmorum*, *epiſpaſticorum*, ac *veſicatoriorum* uſum admittunt. Sub ejuſmodi morbis *glandes* adhibiti, *veſicantium* operas imitantur, podicem enim morſicando ſevagantes *occillationes* revocant. Inſuper naturæ ſenſum divertendo diſpergunt, plurium enim partium fibris ſimul ſtimulatis, ſingularum irritatio ſit minor, faciliùs proindè venit ferendus naturæ, aut diſcutiendus nervorum *ſpaſmus*. Nihilominus tamen, quæ natura ſua ſiccæ ſunt *glandium* ſubdititiorum operationes, aut *evacuationibus* defectæ, caſu aut occaſione nata humeſcunt & fundunt humores. Re ipſa ex *inteſtinis*, *rectum* imprimis, expromendis ex ſe humoribus impar eſt, his ut videtur, non coacervandis, ſed exportandis idoneum. Itaque cellulis & plicis quibus contenta condantur aut retardentur deſtitutum eſt. Immo recto ductu fertur, textu denſo aut denſis motricibus fibris firmatum, quo appellentes materies citò eliminet. At ſuperioribus inteſtinis a quibus appendicis inſtar quaſi dependet, continuum eſt, ejuſdem cum illis *ſyſtaltici* roboris particeps. Acriùs ergo extimulatum, quæ *glandium* vis & effectiò eſt, ſic contrahitur, ut ſuperiores quibus adhæret partes retrahat, quaſque concinent adducat materies; igitur *rectum inteſtinum* cæteris, quibus ſubſtratum eſt, excipuli loco eſt, ultrò ea admittentis quæ deſursùm venerint. Sed longè diſſimilis eſt ſuperiorum inteſtinorum adhæſus, alia poſitura; a ſtomacho deſcendunt milleque locis adjacent undequaque ſero perſtillantibus. *Cyſticis* enim non ſolùm & *Pancreaticis* canalibus receptaculo ſunt, millenis adhuc patent *excretoriorum* oſcillis, quæ indeſinenter ſuccos eructant. Interim uberiorem adhuc humorum ſcaturiginem aperit ſtomachus; ſub morbis potiſſimùm, quo nempe tempore vitiata alimentorum digeſtio, ingentem & aſſiduam fundit eliquaminum copiam, eò copioſiorem, quò ſic tritis præpoſterè, craſſiùs ſubactis, & malè digeſtis alimentis, ab illa mole, figura, proportione, commenſu deſciſcunt chyli particulæ, quibus opus habent, ut in *lactea* tranſmeent aut *tranſcolentur*. Hinc denſatur ſuccorum mira ubertas, ſcilicet ex iis omnibus qui *lacteorum* oſcillis elapſi, reſiliunt. Attamen hæc copia adhuc creſcit eundo; diſſentanei enim & inſociabiles facti *pancreatis* & *hepatis* liquores, morbido chylo, qui a ſtomacho deturbatur, agglomerantur, ſucciſque inutilibus inteſtinorum fiſtulam cumulant, ac perſternunt. Interim quantumvis ſucci exuberent intra inteſtinorum cava, horum meandris ac di-

ver-

verticulis morati, affatim quidem confluent, nuſquam præterfluendo effluxuri; eos enim eliminare, virtutis *fluidorum* non eſt, at unicè *ſolidorum*, quibus coercentur, roboris & officii. Argumento ſunt & documento *colici* dolores *ſpaſmodici*, *hyſtericæ* abdominis inflationes, imprægnationem in virginibus mentientes, *tympanitis*, &c. ſub quibus ad dies plurimos ſilet & ſiccatur alvus, excrementis aliunde, potulentis, *clyſteribus*, potionibus ut ut *purgantibus* ingurgitata. In cauſſa eſt *ſpaſmodica* partium *diatheſis*; quæ adeo vera ſunt ut *purgantibus* admixta *narcotica* immenſam illam, quæ vi ſuæ relicta torpebat, ſuccorum aggeriem abundè & facillimè educant. Porro cum a fibris aut *ſyſtole* inteſtinorum pendeat alvina evacuatio, quantùm energiæ futura ſit *glandium* excitatoria virtus palàm eſt. Hac ſtimulata inferior inteſtinalis fiſtulæ extremitas, ſuccorum qui in ſuperioribus nidulantur deſcenſum prolicit. Potentior adhuc eſt *enematum* actio, quia diffuſior; quem enim podici interiùs affricti *glandes* ſtimulum ſingulariter admovent, eundem in ſingulas longioris & latioris inteſtini partes exercent *enemata*, quæ vel ſola mole ſua inteſtina provocant. Hinc moris eſt dimidiatos *clyſteres* injici, in *alvi fluoribus* & *dyſenteriis*, ne pondere ſuo laceſſitas partes & ſolvi proclives, ad excretionem ſtimulent. Tandem inter *hyſtericas*, nonnullas reperire eſt, emoveri tam faciles, ut *enemata* ex aqua tantillo aceto ſolùm medicata, *ſpaſmodicas* acceſſiones illis aut pariant aut revocent. Denique quid valeant ad evacuationem inteſtinorum fibræ, quidve recuſent, iterùm docuit uſus. Ex ægrotantibus enim invenias; quorum inteſtinorum *periſtole* conſtrictioni tam proxima eſt, ut paulò fortiori injecto *enemate* adeo non ſolvatur alvus, ut comprimatur arctiùs: contrà ſi ſic conſtitutis iraſcique facilibus inteſtinis, *enematis* mollioribus adblandiris, ultrò cedit & obſequitur. Tam verum eſt *periſtolem* inteſtinorum non ſecùs ac oſtiariam eſſe, quæ humoribus egreſſum concedit aut negat.

CAPUT XVI.

De purganda norma.

MEdicamina coacervari, non paucis mederi eſt; *purgare*, *cathartica* obtrudi; ſuccos enim extrudere, *purgare* vocant. Interim in nullo alio requiritur ars major quàm in *purgationis* negotio. Artium ars eſt in medicina eò difficilior, quò diligentes minùs quàm cautos, providos magis quàm felices exigat artifices. Horum enim ludit mentes ſuccedens purgatio, infida tamen ac fallax niſi artis reſpondeat votis, non auſis. Audere enim peccare eſt, ubi laceſſitus hoſtis inſoleſcit, qui adblanditus obſequeretur, duci amans non cogi. Igitur diſciplina eſt medendi ars, ſagacitas autem artis purgatio; meliùs, naturæ ſcopus eſt, non artis opus. Forſan multùm hinc minui putabis de medentis opere, at nihil de conſilio; fauſta enim, diu ſi non ſemper, obiter nuſquam meditata purgatio. Cæterùm meditationis nomine abſit intelligas doloſas falſiloqui ſyſtematis rationes, mendaces doloſi analogiſmi obſervationes, falſa medicaſtrorum documenta. Meditatam cogitabis *purgationem* a naturæ motibus, motuumque legibus expreſſam, quam oſtenderit medendi magiſter uſus. Sic inſtitutus medendi artifex purgationem operari prætendet nunquam, ſed ad hanc nuſquam non ſe comparabit. Dies ſemper, crebrò hebdomadas, menſes aliquando numerabit, *ſolidorum* habitudines perpendet, & *liquidorum* qualitates, non quas invexiſſe arte doloſa attentaverit, ſed quas monſtraverint ſponte nata malorum ſolamina, aut inartificialibus *purgationibus* ſuccedentes

morborum *desinentiæ*. Observaverit morborum naturas, ingenia, labores & phœnomena, quæ alvi fluore judicandos portendunt. Meminerit excretorum calores, adjuncta rerum, temporum circumstantias, in quæ inciderit facta a natura purgatio, similiumque imitamine, purgandi locum & tempus didicerit. Sua sunt enim naturæ signacula quæ ipsius prænunciant eventus. Hæc imitari decet semper, licet aliquando, observasse tamen tutius quàm effinxisse. In illo artis ludibrio, an cessabit medicus? Cessabit, si aliud a natura agere periclitabitur. Siccine ergo otiabitur? Sic, cum otiari præstabit, quàm nihil agere, emovendo scilicet omnia, promovendo nihil; quæ sors eorum est medicaminum, quæ ingesserit purgandi prurigo, qua inopportunè lacessitæ partes rigent, & arctantur magis, quique tempore suo cessuri erant humores, defœcandi nusquam remiscentur. Quid igitur tunc consilii? Præsens periculum urget, terret futurum, viscеribus impendent *apostases*, quas averteret adhibito purgante humoribus reseratum iter. Huic nodo sic solvendo eris. *Purgationem* proprio marte aggredi timidè cogitabis, at quam intendit ac meditatur natura, toto pectore adjuvabis, dabis illi dexteram, sic ut obicibus nullis inter operandum impediatur, ab iis abstinendo potius quæ dubitanter naturæ profutura erunt, quàm audendo, quæ inofficiosè oblata nocere possent. Revera, ordinata ut est natura, etiam cum deflectere videtur, utcunque verenda est. Itaque ei tumultuanti etiam auscultandum, fortè parendum est. Quid enim si ex hoc tumultu aliquid exeat boni? Difficiles & anxietatibus graves esse noctes quæ crises præcedunt, Hippocratis monitum est. Ex feminis sunt quas mirè torquent dolores, cruciatus, lassitudines, præfocationes febres aliquot ante diebus, quàm menses illis erumpant. Eò mitiores esse consueverunt; in infantibus *variolæ*, quas turbæ majores præcesserint, adeo ut *deliria*, *phrenitis*, *lethargus*, *insultus convulsivi* tam felicibus auspiciis iis præeant, ut benignas spondeant & extrà confluentium ordinem futuras: sub his omnibus casibus naturam interturbasse facinorosum est. Stupendum ergo quotiès intactam medico naturam esse conveniat: castam dices contactu polluendam minùs. Sacra fermè res est cui cespitandi manum admovisse, piaculo sæpe fuit: sic juvamini facta est, ut etiam nocendo profit. Hinc quos morbos non finit, mutat; quos non expedit humores, transfert, cumque partes omnes tutari nequit, ignobiliores invadit, superiores liberat, expedit internas, principes absolvit. Indè liquet quàm reverenda natura medico sit, cujus etiam utilia sunt peccata. Immo vero cujus *iniquitas* aut malitia *melior est*, quàm ipse medicus *benefaciens*. *Paralysis* enim, v. g. istiusmodi delictum est utiliter a natura commissum ut *apoplexiam* solvat. Verius dixeris delinquendi id juris propria naturæ laus est, indebitum arti; quidquid enim moliatur medicus ut horrendi illius morbi discutiat minas, obtinebit id delicti ab adjuvante natura, vel *apoplexiam solvere* impossibile confitebitur. *Tetano* correptum febris curat, quæ si desit *judicandi* ratio, febre pejora succedent, nusquam profutura. Similiter cum *quartanam* superveniente febre continua solvi, fando acceperint, ex his invenias, siniſtrè adeo nataram æmulantes, ut *cardiacis*, *sulphureis*, *volatilibus*, *refermentantibus* sanguinem accendant, quo malo dolo *quartanam*, non cum *continua* febre, sed cum morte commutant. Tam infeliciter æmulantur *sudores*, *perirrhœas*, *diarrhœas*, quas bonis ægrotantium rebus, movere novit natura. In causa est de humoribus præconcepta malè opinio. Hos evacuasse, paginam omnem impleviſſe autumant, licet in evacuandi modo, tempore, loco, sita sit evacuationum felicitas. *Sudores* enim movere facinus est, nisi morbi natura, symptomata, tempora consenserint. Idem dixeris de *urinis*; at ut in his & illis infelices esse solent medentium curæ propter posthabitas occasionum ac opportunitatnm rationes, æquè periculosæ in purgando hæ comperientur, si absuerint temporum, circumstantiarumve conditiones.

Duo

Duo ſunt quibus his conditionibus ſatisfactum fuiſſe ſignificatut, *primum* eſt *euphoriâ* ſeu ferendi purgantis facilitas, qua ab exantlata illius operatione levatum ſe ſentit ægrotans; *alterum* eſt *excretorum* natura. *Tertium* addit *Hippocrates* (horum ut & cæterorum author, quæ optima tenet medendi ars) locorum aut viarum convenientiam. *Humores* enim non quolibet, ſed quò decet, eò nempe quò *vergunt ducendi, per loca convnnientia.* Ad *alvum ergo* humores derivare, qui *ad habitum corporis, veſicam, uterum* ferri conſueverant, quadratis rotunda miſcere eſt. Suæ ſunt propriæ morborum *deſinentiæ*, utque ex his videas, quos *urinæ*, quos *ſudores*, quos *ptyaliſmus*, quos *hæmorrhagia* terminare ſolet, his admovere *purgantia*, a naturæ tramitibus delirare eſt. Quæ enim *evacuantur* non ex *quantitate* metienda ſunt; intereſt non *quanta*, ſed *qualia* fuerint, morbi nempe genio & conſuetudini conſona. Hinc conſequitur *euphoria* illa amabilis, qua ægrotans a ſarcina liber, a pondere levis, ab inutili vacuus, non exutus utili videtur. Si quid moleſti ab evacuatione ſupereſt, *ſitis* eſt, quæ ab Hippocrate bonis ducitur, non ſecus ac indicium feliciter adeo a purgante veſſicatas fuiſſe partes, ut excuſſis planè ſuccis, quibus præoccupatæ in *occillando* torpebant, exſuſcitatæ, ſuas *occillationes* ſic redintegrant, ut corrugari periclitentur.

Tam fauſto purgantium eventui neceſſarius quoque eſt, temporum & circumſtantiarum delectus; interim hujus nomine intelligenda non eſt, rara, captanda tamen, cum ſe dat occaſio *purgantis* præter morem uſurpandi, cum illicò impetus humoris aliquò inſilientis frangendus eſt aut avertendus. At iſtiuſmodi extrà ordinem *purgatio*, ut artis magiſtros decet, cum ea, qua cum hic res eſt, non confundenda; hæc enim ordinaria eſt, morbis ſingulis propria, omnibus communis. Tempus ergo & circumſtantias in genere perſequimur purgationis illius, qua morbum committens humor depellendus eſt. Illa autem ſunt, quæ vetuſtior uſus aut longa obſervatio revelavit. Exindè cautum eſt tempora purgandi non eſſe morborum initia; non illa ſcilicet, ubi tumultuantur humores, ardent viſcera, interanea uruntur; ubi os areſcit, ſitis urget, flammantur urinæ, ſicca eſt alvus aut clyſteribus ſurda; ubi *ferratilis* eſt *pulſus*, *hypochondria* dolent, tument, tenduntur. At pacatis rebus aut maxima parte ſedatis, ſuum *purgationi* locum adeſſe pronuntiatum eſt; ſic ut revaleſcentis, a morboque tuti, ſignaculum habita fuerit *purgatio*.

Si viſceribus morbi inſederint, purgari vetitum adhuc fuit, maximè ſi *ſyſtrophica inflammatio* partem obſederit, utpote cum tunc temporis de affecta ſede nihil a *cathartico* dematur. Eadem evacuatio prohibebatur ſub *catarrhoſis* affectibus, dum humor *anarrhopos* erat, egerminans adhuc & irrumpens in partes, ſic enim conſtitutus, *purgantis vires* eludens, furebat magis. In ſuccis verò purgandis tractabilitatem requirebant, eamque motûs mediocritatem, quæ a *purgantis* vi deturbari eos concederent.

Ex his omnibus conſequitur inconceſſam vulgò fuiſſe purgationem, niſi poſt exantlatos morbi labores. Interim non prætereunda *eccoprotica*, quibus uti ſolitum fuit veteribus medendi magiſtris, non ſolùm ineuntibus morbis, verùm etiam nullis non eorum temporibus. At ex veterum intentionibus in adhibendis *eccoproticis* intelligitur, quàm parùm ea pugnent cum iis quæ modò traditæ ſunt obſervationibus. *Eccoproticorum* nomine uſurpabant quæ frigida ſunt & humectantia. *Quæcunque*, ait Hippocrates, *ventrem refrigerant, eadem alvum ſubducunt; & quæ frigida ſunt & humida. Similiter, ex oleribus coctis per alvum ſecedunt, quæ natura ſunt humidiſſima.* Teſtimonio ſunt quæ *eccoprotica* habebantur, *mercurialis* v.g. *braſſicæ, betæ ſucci, juſcula, decocta*, quæ Hippocrati ſolita erant. *De ptiſanæ ſucco* huic quoque familiari idem concludere eſt; at rem manifeſtat *aquæ frigidæ liberaliter aſſumptæ* uſus, notus ex hiſtoria *Metonis*, cui vehementer

febricitanti, ex liberali aquæ potione, alvus rectè demisit. Hujus loci quoque est *Galeni* historia de adolescente febre tertiana correpto, qui frigida epota meracam bilem tum evomuit, tum dejecit. Verùm tantùm his convenit cum purgantibus, quantùm insipidis & fatuis cum stimulantibus & *salinis*. Interea horum *eccoproticorum* exemplo, in consuetudinem venêre *minorativa*, barbaræ vocis & originis pharmaca, ab *Arabibus* nempe oriunda. At imitamine malo *eccoproticorum* loco hæc suffecta sunt, quasi ideo *minorativa* dicerentur, quòd *eccoproticorum* more, de humorum copia minuerent tantùm aliquid. Aliundè autem ducenda est illius nomenclaturæ ratio. *Minorativa* vocantur, quia cum antiquis *catharticis*, quæ plurima *drastica* aut *mochlica* sunt comparata, minoris potentiæ comperiuntur, unde *minorativa* vocitantur. De cætero humores non tantùm minuunt, vel eorum portionem simpliciter eluendo, vel illis aperiendo exitus; sed quantumvis benigna aut mitia cogitentur, de *stimulantium* genere sunt, nequaquam *eccoproticis* annumeranda, *purgantium* verò indoli, conditionibus, legibus, subjicienda. Revera norunt artis sapientes, tyronum, aut audaculorum erratis meliùs eruditi, strages quas committit, quas infert anxietates, quos dat tumultus, perperàm aut diligentiùs propinata potio *minorativa*, adeo ut, sit venia verbo, feliciùs fortè in exhibendo *mochlico* peccatum fuisset. Immo tanta opus est erga omnia medicamina, quæ *catharsin* respiunt, reverentia, si *practicis* sapientium observationibus habenda fides, ut etiam in exhibendis *enematis* leges requirantur aut cautiones. Discriminis minùs aut nihil incurreretur, si purgandi humores, uno concluſi spatio, vi tantùm indigerent, quà foràs effluerent aut eliminarentur. Verùm diversus longè est humorum purgandorum situs, uno spatio non coacervati, mille tubulorum capacitates occupant, tam numerosas quàm multiplices tubuli sunt. *Cathartici* igitur dexteritatis est, singula singulorum tubulorum oscilla reserare, ut suos fundi sinant succos. E memoria enim excitet nusquam, eos unde morbi foventur succos, ipsissimos esse qui in alituram aut *transpirationem* cessuri erant. Porro retrogradi illi & a viis deflectentes succi intrà propriorum vasorum alveos retinentur ac remeant, nisi fortè, ut monitum fuit, ex *arteriis* exilientes pro *excretoriis lymphatica* vel *venas*, aut vicissim, ingrediantur. Hinc confusio succorum, qui alienorum vasorum non suorum cavitates subeundo, nodum Herculeum medico parant; meliùs, nodum vi ac præcipitantiæ insuperabilem nectunt, sagacitati, temporive extricandum. Hic igitur vi non opus est quæ extergat, evellat, aut extorqueat, sed industria quæ, succos discriminando, suos quosque suis reddat exceptoriis vasis. Verbo necesse fit ut illos, quos retinet sanguinis massa, aut quos resorbuit succos, suis emissariis reddat. Sic reparata succorum dispensatione, sua sanguini redit circuitus æquabilitas, *secretiones* suas reassumunt vices, stationes repetunt, functiones redintegrantur, sanitasque succedit. Cogitare igitur inconditam & exlegem esse *cathartici* operationem, quæ temerè & indiscriminatim humores extrudat, hospitis & peregrini est in animalis œconomiæ legibus. Irrita *catharsis* est aut frustranea, quandiu sanguinis gremio confusi volvuntur humores; cassa iterum est, quandiu alienis a suis vasis coercentur. *Biliaria* ad sui evacuationem *cholagogis* stimulare frustrà erit, si aliò deviarit *bilis*, succo enim vacua eructabunt nihil. Exemplum prodet *icterus* aut *hepatitis*, sub his enim affectibus *phlegmone* aut *spasmo* arctatum hepar, obstructum & *secernere* nescium, bilem respuit. Hinc in sanguine facta superstes eique confusa, catharsi non obsequitur; hac enim exinanita *choledocha*, quam non admisere *bilem* reddere recusant. Inde tot infelices aut casti *purgantium* successus sub his morbis, quandiu *bile* sua frustrari vasa perseverant. At hoc ipsum est quod *concoctionis* aut *cruditatis* nominibus subolfecerunt artis magistri, jubendo *concocta* non *cruda medicanda esse*, de quibus sit

CA-

CAPUT XVII.

De cruditate *humorum & coctione.*

Hîc mihi vide temerè ſuſpicantis philoſophiæ fallacias. Quæ obſervando revelat medicina, philoſophia definiendo obſcurat. *Coctionum* tempora, caracteres, indicia noviſſe medici ſapientia eſt; cauſſas, rationes, naturas ſcrutari ambitio philoſophi. At illi ſapere proficuum, huic erudiri glorioſum, medicus enim naturæ prudentis ac miniſtri, neutiquam ducis aut pædagogi nomine gaudet. Re vera tandiu profecit medendi ars, quandiu ſapientiæ addicta, operandi feliciter, non eruditè interpretandi rationes quæſivit; hinc, quòd artificum dedecori vertitur, progredi deſiit ars ex quo cœpit philoſophari. Qua culpa id obrepſerit mali, *Græcorum* poſteriorum, *Arabum* aut *chymicorum*, definire tanti non eſt, quanti monuiſſe.

Ut ut ſit, ex hoc eodem errorum fonte manavit falſa & multiplex de *coctione* opinio. Falſa inquam; ſtupendum enim incertam adhuc jacere *coctionis* notionem, unde pendet artis felicitas, & artificis honos. Acriter de *coctionis* natura variatum eſt, num in inſpiſſandis humoribus, num in eliqueſcendis conſiſteret. Illuc uſque tolerabilis error, at ut alterutrum a calore obtinendum ſibi perſuaſerunt, horrendum quàm multis pravis artibus acuendo calori allaboratum ſit. Immenſus qui interanea occupat calor, tantus ut canicularem vel in ſanis æquare compertus ſit, huic opinioni fidem fecit. Auxit naturæ ritus, qui humorem coquere aggrediens, febrem exſuſcitat, tam calidam ut *caloris* nomen obtinuerit. Cumulum addidit præconcepta de *cruditate* opinio; *crudum frigidum* ſibi finxerunt, *frigidum* autem a *ſpirituum* defectu, *ſulphurum* depreſſione, & a *vappeſcentia* natum. Unde cogitarunt dè *volatiliſandis* ſuccis, de *evehendis ſpiritibus*, de *exaltandis ſulphuribus*. Fraudi tandem fuit *analogiſmus*; *crudum* ſenſerant in fructibus & aliis, *acidum*, *auſterum*, &c. inde *acidum* de *crudis* humoribus pronuntiarunt; hincque *abſorbentibus*, *concentrantibus*, *alkalibus*, *lixivioſis*, populoſæque *invertentium* catervæ facta fides. At legitimum *cruditatis* conceptum offerebat meditata rerum natura. *Cocti* ſunt ſucci qui ſanitati ſerviunt, *crudi*, qui morbos ingenerant. Sub ſanitate, quo tempore cocta ſunt omnia, caloris ſenſus nullus eſt, qui, ingruente morbo, ubi *crudi* ſucci æſtimantur, æſtuando ſe manifeſtat. Inde patet, *calorem coctionis* adeo non eſſe parentem, ut *cruditatum* authorem ſe exhibeat. Ut igitur qualitatum juſta temperies & æquamentum, *coctionum* caracter eſt & argumentum, *coctio* erit temperies, coctique habebuntur qui temperati erunt ſucci. Atqui temperiei nota eſt, indubitata qualitatis cujuslibet ſenſûs abſentia; unde ſucci temperati ſunt, qui faciles & expediti, clanculùm intrà vaſa fluentes, nullibi impingunt, illidunt nuſquam, non arietant. Æquanimitas ergo eſt illa temperies, qua ſucci perfectè ſubacti, triti penitùs, planè comminuti, vaſculorum mæandros & anfractus inoffenſo pede permeant. Sic enim non vellicati nervi, nec præterlabentium ſuccorum tranſitûs admoniti, intacti filent. Hæc omnia quò tendant palam eſt; primùm ut intelligas, quid medico veniat *coctionis* nomine, tum ut *coctionis* rationem, cauſſas & *eſſentiam* aſſequaris. Scopum enim naturæ proſpiciendo, ea intuendo inſtrumenta quæ adhibet, quaſve ſibi ſumit materies; adde quid agant hæc omnia, quidve patiantur, naturæ manibus tractata, concedes miram illam ſuccorum temperiem quæ *coctio* eſt comminutionem eſſe *liquidorum* immenſam, ſed mollem, ſed exquiſitam, ſed levem, eamque a *ſolidorum* tractabilitate, *ſyſtole* & *oscillatione*

per-

Perpetua ſed levi, forti ſed molli, miti ſed efficaci elaboratam. Porro *coctionis* fructus eſt & ſignaculum, *ſecretionum* facilitas, ordo & ſinceritas, quibus fit ut ſuas *directiones*, tempora & vices ſervent. Unde concludas licet, definiendam venire *coctionem*, his verbis, quæ *Hippocratis* ſunt, conceptam, *humorum commoderationem, permixtionem & contemperationem; cruditatem* verò, ut idem loquitur, *incommoderationem humorum*. Re vera *digeſtiones* vocantur *coctiones*, artes nimirum naturæ, quibus eſculenta & potulenta quælibet, cujuſvis *ſaporis* fuerint, *odoris, coloris*, & habitudinis, digeruntur, pinſuntur, concorporantur in ſuccum *homogeneum*, qui *lympha* eſt, unici coloris, odoris, ſaporis, ejuſdem & communis conſiſtentiæ, miræ ſcilicet fluxilitatis, qua invia permeat & inacceſſa loca, *diametros* ſcilicet quos cogitare datur, figurare negatur.

Hæc cum vera ſint, *febris* ideam mutari, & a vulgari notione aliam eſſe conſequitur. Naturæ enim conamen erit, at minùs humoris exterminationem, quàm comminutionem, quàm *directionem*, quàm circuitionem molientis. Eò enim ſpectat omnis illius labor, ut diſcordes ab ordine & a circuitu defectentes ſuccos in viam reflectat; quod ut obtineat, hos acriùs ferit, vehementiùſque flabellat, quò ductiliores facti & ſequaciores filum circuitionis & ſeriem repetant. Undè *cruditatis* nomine, duo importari neceſſe eſt, deviantem liquidorum motum, eorumdemque trituræ defectum. At cum ad *ſolida* pertineat *tritûs* ac *circuitûs* opera, id eſt *progreſſivi* ſimul & inteſtini motûs negotium, a *ſolidis* expectanda erit *coctionum* operatio.

Suadebit fortè opinio de caloris neceſsitate ad coctiones peragendas, ea uſurpare remedia, quæ *ſolidorum elaterem* elevent, ut evecta *ſyſtaltica* vis arterias vegetiùs evibret; quaſi quò vividioribus *occillationibus* everberati ſucci, efficaciùs comminuerentur. Sed contrarium evincit ſanitatis ſtatus, ſub quo tacitè micantes *arteriæ*, ſanguinis circuitum, æquabilitatem, perennitatem, ordinem tuentur. Igitur ut molles arteriæ ac ſilentiò *occillantes coctionibus* ſervandis pares ſunt, iiſdem redintegrandis ſatis erunt, ad hanc mollitiem revocatæ. Coctibiles enim ſunt ſucci, non in quantum fortes, ſed in quantum commenſæ ſunt & adæquatæ allaborantes potent æ. Evibrantes enim fortiùs arteriæ rigent, hancque incurrunt *ſpaſmodicam diatheſin* quæ ſanitati ſimul & coctionibus repugnet. Hoſtiles æquè ſunt flaccentes arteriarum ictus, utpotè imbecilliores continendis ac reprimendis reſilentium *fluidorum* inſultibus ac *reſiſtentiis*. Æquamento has inter potentias opus eſt, aurea ſcilicet mediocritate, quæ ut virtutum author, ſic coctionum opifex eſt. *Coctio* enim non ſimplex eſt *conquaſſatio*, ſed tritus ſeu in tenuiſſimum *pollinem* comminutio. At ut non præceps aut temeraria eſſe debet terentis *porphiritæ* motatio, ſed lenta & ſucceſſiva circumrotatio, qua tenuandæ materiæ particulæ in ultimas ſui minuties reſolvuntur; ratione non abſimili arteriarum ictibus ſubigendi ſucci, iis indigent ictibus, quibus contundantur minus, quaſſenturve, at quibus ſenſim ac ſucceſſivè deterantur, tenuentur, frientur. Has ſequi agendi rationes, hos imitari naturæ *rythmos*, coctionibus indulgere eſt; his contra ire, cruditatibus eſt allaborare. Aliunde *coctionis* pars eſt lævigatio, *coctus* enim habetur ſuccus, qui æqualis eſt, & lævis; *Hippocratis* teſtimonio, qui notas inter & ſigna coctionis, lævitatem requirit & æqualitatem. At *levigatio*, non ſecus ac pumicationis ſpecies, ſenſim fit & ſucceſſivè. Inde eſt, quod ſub febribus, ſi vehementiores ſint, crudi ſint ſucci, celeriores enim arteriarum ictus ſanguinem crebrius tundentes, quaſſant non dividunt, ſpiſſant non tenuant, cogunt non ſolvunt. Adde mixtionum ad quas ſpectant *coctiones*, ſortem eſſe & conditionem, ut paulatim fiant, non raptim nec tumultuarie, ne æquabilis mixturæ loco, rudis, indigeſta, & in grumos inconcinnè diſtincta exurgat compactio. Huc iterum ſpectat conditio ad

pur-

Purgationem, Hippocratis judicio, ſumme neceſſaria. *Fluxilitas* eſt ſeu *fluiditas* humorum, quæ cum *ſolidorum* tractabilitate & *fluidorum* comminutione exquiſitâ convenit; quod hoc ultimo exemplo demonſtratur. Eò tendit omnis *coctionis* labor, ut ille qui concitur ſuccus, ad ultimos partium fines atquè receſſus pertingat exporrectus. *Coctio* igitur actio eſt, quâ ductilis fit, & ſequax ſuccus. At quò tenuatur magis, aut magis tractatur materies, eò magis in longum porrigitur. Argumento ſunt bombyx, ſericum, & lana, quæ quò tenuiora ſunt quòve preſſiùs nentur in filum textile, copioſiùs creſcunt, textique proventum ampliorem ſpondent. Similiter tritus artabrè chylus, intimè comminutus, preſsè tractatus & agitatus ab arteriis in filum tenuatum enormiter & immensè longum extenditur. *Superficiei* enim genus eſt in longum extenſio; ut autem quò magis tenuatur materies, eò plus *ſuperficiei* capit, res eò creſcet uberiùs in longum quò comminuetur magis. Has ut aſſequantur tenuitatis ac longitudinis conditiones, *tenuantibus* ſeu *volatilibus* mirè abutuntur, quaſi comminuere idem ſit ac *exaltare*. At quàm longè abſit à vero iſthæc comminutionis interpretatio, monſtrat in humano corpore comminuendi modus. Hujus operâ ſucci nutritii particulæ ſolvuntur non diſſolvuntur, uniuntur ac compinguntur non dividuntur aut diſſociantur, in longum ducuntur non panduntur in latum. Illas ergò infauſtas adeò medicandi artes ne mireris, rumpendo vitæ filo non producendo, natæ ſunt. Re ipsâ bonorum omnium in corpore opifex eſt *motus progreſſivus*, peſtis aut hoſtis *inteſtinus*, nam quò plùs tument in corpore ſucci, minùs progrediuntur. Hâc de causâ quòd quantum iis tumendo *latitudinis* accedit, tantùm decedit *longitudinis*. Hinc brevior fit & incompletus circuitus ſanguinis, qui copiâ minori ad corporis *peripheriam* pertingens centro hæret, ſtagnat, atquè lenteſcit. An uberiores aliundè ac potentiores *eruditatum* cauſæ aut occaſiones? Creſcente enim cùm mole *liquidorum* reſiſtentiâ, deſcreſcit *ſolidorum* vis, *liquidorum* proindè *tritus*, qui coctio eſt, minuitur.

Nequè perperàm hæc dicta ſunto; retrogrado enim ac morante ſanguine corporis centro, quæ *ſolidorum*, quæ *fluidorùm*ve culpâ exurgunt *eruditatis* ſigna, ſe produnt. Ea ſunt quæ morbis ſurgentibus adnaſcuntur, nimirùm corporis inquies, vomitionum inſultus, *hypochondriorum meteoriſmus*, artuum dolores, corporis laſſitudo, &c. tot indicia enitentis *ſolidorum* virtutis, renitentiſque *fluidorum* potentiæ. Idem teſtantur quæ ex *fluidorum* vitio manant alia *eruditatis* teſtimonia; os areſcit, ſiccatur alvus, nitent urinæ, feriantur *ſecretiones*, quorum ratio palàm eſt; refluis intrà præcordia & majora vaſa nutritiis liquoribus, his *ſecretoria* defraudantur; teſtantibus ſanguinis emiſſi colore conſiſtentiâ, ac habitudine, qui glutine tenaci & albo obductus, *lymphæ* exuperantis & regurgitantis undiquè aggeſtum repræſentat: imò hærentis & interceptæ lymphæ ipſas intrà arterias argumentum præbet quotidiana obſervatio. Non infrequens, ineuntibus morbis gravioribus, ſemel ac iterùm emiſſum ſanguinem, purpureum, mollèmque (ſanum imperiti putant) videri, qui tertiò, quartòve miſſus, putridus, ut ajunt, exit, albâ pelle, tenacique ſuperficie veſtitus. In causâ eſt, oborto de repente *ſolidis* ſpaſmo, ſic concluſus nutritius ſuccus intrà arterias, ut illi intrà venas omnimodè præcluſus fuerit aditus, adeò ut venarum ſanguis ſucci illius primùm exſors ſit, & videatur. Tempore autem vel vacuationum opera, laxato aliquatenùs aut emollito *ſolidorum ſpaſmo*, ſuccis, qui in arteriis retinebantur, in venas fit iter, adeò ut qui exindè mittitur ſanguis, albore viſcoſo ac pelliceo, qui *lymphæ* malè ſubactæ fructus eſt & indicium, incruſtatus conſpiciatur.

Concordat altera magiſtrorum artis obſervatio: admonent, omnis eſſe optimi, factam videre in ſanguine miſſo *coloris mutationem*, indicio videlicèt

non

non tantum exhaustam esse, at resorptam quoque *secretoriis* suis *lympham* quæ intrà sangrifera vasa retenta, morbo occasionem dederat & somitem, sicque fluento redditis qui a tramite deflexerant succis, jamjam redituram circuitus sanguinis æquabilitatem, restituendum deniquè illicò liquorum omnium motus æquamentum. Indè colligere est, *lympham*, seu succum nutritium materiem esse cruditatum, interim non qua frigidam seu calore defectam, sed qua deviantem à suis vasis exceptoriis, autiis suffuratam, ab alienisque & peregrinis, sanguiferis nimirùm suppressam, celatàmve. Hoc suadet crudarum urinarum in coctas mutatio. Illæ limpidæ sunt, *sedimentis* destitutæ, hæ succosæ, succis saltem gravidæ, qui facta quiete subsidunt. Hi autem succi albi sunt, chylo congeneres, tam apertè, ut sub *dysuriis*, *stranguriis*, similibusque vesicæ morbis, chylum ipsum repræsentent, oculisque subjiciant. Has urinas puriformes definiunt inexercitati, ulcerisque vesicæ inusti suspicionem movent, quos redargui t eventus. *Criseos* enim seu *coctionis* genus sunt, de naturæ saltèm industria, quâ succo untritio, quem arteriæ retinebant, retecta ad vesicam viâ, humori acri & crudo, qui *dysuriam* commiserat, mulcimentum advenit; pinguis est ac tomentosa chyli materies, quæ succi morbidi aculeos irretiendo vestit, *salinùm*que in lacteum transfigurat.

CAPUT XVIII.

De purgationis usu, tempore, legibus, periculis, cautionibus, &c.

ubi

de præparandis humoribus ad purgationem.

ITà coquere, sic evacuare, naturæ moris est; has igitur esse materies, illòsve humores qui purgationi subjecti sunt consequitur; hos proindè imitandos esse *coctionum* & *evacuationum* modos. Succus qui coquendus venit nutritius est, coquitur antem suis sedibus ac reconditoriis, sicque fluento restituitur. *Evacuatio* ab ejusmodi *coctione* manat, cùm enim liquores suis emissariis ac pronitatibus redditi sunt, tùm foràs eos elabi, necessum est. *Purgationis* ergò scopus est & usus, succum nutritium à cæteris extricandi, versùsque sua secretoria reducendi. Itaquè procùl hinc, valeàntque *præcipitationum*, *colliquationum*, *despumationum*, *depurationum* spuriæ voces, mera agnomenta, infelices aut infeliciter à *chymia* mutuatæ artes, notha functionum corporis simulacra; moribus aut ingenio naturæ tam parum, quam male conveniunt; detritaque. *fermentorum* aut *fermentationum* doctrina, exulare hæc omnia aut ruere consectarium est: stimulant enim *purgantia*, non *fermentant*, pungunt, non effervescunt, idque *solida* agendo, non liquando *fluida*. Aliunde humores non faciunt, sed inveniunt; neque eos ad nutum cogunt, ducunt autem quo *vergunt*, ad suaque loca *determinando*. Posthac quid *purgatio* sit si requiras, *determinationem*, *directionem*que humorum restitutam esse audies.

Nec quemquam morentur *bilis*, *pituitæ*, *melancholiæ*, serivè colores, his enim internosci volunt purgandos humores, & designari. At quisquis sis o curiose rerum, nimium ne crede colori, ostentat hic superficies, celat essentias;

aliundè

aliudè nullis non coloribus tingi lympham potis eſt, quæ ut omnium ſuccorum, qui ſanitatem regunt, radix eſt & initium, ſic omnium humorum, qui morbos alunt materies eſt ac baſis. Corporis autem rerum diſcriminalia de quibus interrogas, *diametrorum* ſunt varietas, *occillationum* differentia, vibrationum *rythmus*, ac modulatio, tot incudis veluti ictus, qui rebus formaturas dant ac ſignacula. Hinc cur ſub morbis ſuis a coloribus degeneres fiant ſucci anxius ne ſcruteris, mutatis enim una cum *ſolidorum occillationibus*, *liquidorum* circuitu, ac *directionibus*, ut horum *ſtagnatione* vertuntur ſapores, colores quoquè alienantur. Interim diverſis tingendæ *lymphæ* coloribus apprimè ſervit locorum, quò fertur, ingenium. Sic impedita *traſpiratione*, aut parili de cauſa intrò verſus ſuccus nutritius, loci quò rapietur, ut naturam, ſic colorem induet. Venerit ad hepar, *bilis*; ad pancreas, ad ſtomachum, &c. ſuccorum indigenarum ſpeciem capiet ac mores. Ita in *bilem* aut alios ſuccos verſa *lympha*, *bilioſas*, &c. purgationi materies cumulabit; in tantùm veniunt a ſucco nutritio humorum purgamina: verùm devius ille ſemel, & à ſuis tramitibus deflectens, ſtupendum quàm longè evagatur, quàm multiplicia, quàm tortuoſa ſubit aut ingreditur diverticula, è quibus ut ad ſua aut cognata *ſecretoria* revocetur, coctionis opus eſt ac labor. Labor autem arduus ſemper, ſæpè tædioſus, eo difficilior quò plùs in eo impendendum ſit induſtriæ quam operæ, manus quàm conſilii. Hinc eſt quod ſuſpenſo pede ad purgationem progredi conveniat, cujus locus, tempus aut occaſio, ut anceps ac lubricus eſt, ita lentè feſtinat. Tarditatis illius cauſa triplex; refluus enim nutritius ſuccus, vel ad viſcera, quibus ſua ſunt *ſecretoria*, pertingit, vel it ad partes *ſecretoriis* carentes, vel intrà vaſa ſanguini confuſus coercetur. Si primùm, qua cura, quali otio, quanto tempore medico ſudandum eſt, ut vel a diſſitis viſceribus, versùs ſua emiſſaria invitetur, vel ut intrà ipſa viſcera tam dexterè tractetur præpareturve, ut in eorum *ſecretoria* eliminandus deſcendat. Hic enim cauto maximè opus eſt, nam uſu venit ut *hepar* ea preſſum copia ſucci qui retrocedit, affatim adeò egurgitet, ut ſtatim in enormes *diarrhœas* ineunte morbo ſolvatur. Hos ut ad purgationem invitamenta accipere, impingere ac illudi eſt, nam cruda ſunt & intractata ejectamenta, quibus ſub pondere gemens *hepar*, ſe exonerat. Similia ad purgationem parant illectamenta, nec impares inſidias, in micturiendo *veſica*, *ſtomachus* in vomitando, &c. quibus diffidendum non minus, quàm fatuis ignibus, qui in præcipitia ducunt. Evacuatione illa duce, ad purgationem ibis, quæ moderante ac magiſtra natura, non coacta nec victa procedit.

Oſtendit uſus, docuitque facta cum ægris & morbis conſuetudo, dari morbos, ubi feriantur univerſa ſuccorum emiſſaria, ubi ſilet alvus, tardant urinæ, ſiccatur ſaliva, deficiunt ſudores; ubi tandem deſiderantur evacuationes, dum febris ardet; viſcera tument, rigent partes, tendines ſaliunt, cerebrum premitur, lethargus urget, ni phrenitis exſuſcitet aut pervigilium fatiget. Hoc ſub ſtatu laceſſita undiquè natura, luctando eluctatur nihil, deflectens enim ſuccus nutritius, inſiliit in partes *ſecretoriis* defectas, *nervos*, nempè, *membranas*, *tendines*, aut ſimiles *nervoſi ſyſtematis* appendices. Hos partium fremitus pro conaminibus naturæ colluctantis & affectantis evacuationem concipies? Fruſtratui eris, inſultus morbi ſunt & tendiculæ, maleque ſe tuentis naturæ molimina; quibus auſcultare, morbo parere eſt.

Tertium eſt, ubi videas æſtuantia viſcera, micantes arterias, febrem urentem, exacerbationibus ſævientem intrà vaſorum cancellos, ita tameu coercitam; ut viſcerum ulli inſidiari vix videatur. Non infeſtat catharrhus pulmone hepar phlegmone non obſidet, mens integra eſt, intactum cerebrum, ſe continet alvus, fluunt urinæ ſed rubentes aut rutilæ. Videris alias ſub febre ad ſenſum

miti, *homotono*, nullis recrudeſcente exacerbationibus, cùm pulſu, urinis, ſpiritu naturaſa æmulantibus, ægrum fatiſcentem, fractum viribus abſque cauſa, omiſſiſque evacuationibus. Illinc habes imaginem febris ardentis aut æſtuoſæ; hinc malignæ exemplar, utriuſque intrà vaſa fomitem habentis aut cauſam. Hæc autem cauſa eſt ſucci nutritii *retrogradi* intrà vaſa tarditas & ſuppreſſio. Hæc vaſa ſi *ſecretoria* ipſa fuerint, intrà quorum capacitates coercitus lenteſcat, hanc dabit morbo malitiam, qua educto licet purpureo & rutilante, ſano proindè quoad ſpeciem ſanguine, ſatiſcit ægrotans, viribus lapſus. Ratio ſe prodit, præterquàmquòd morante intra propria vaſa ſucco nutritio iiſque ingurgitato fultura aut nutricatu fraudantur alendæ partes, chylo dilutus minùs nec redintegratus volvitur ſanguis, advenit circuitus ſingularis; in ſanguinis enim portione rubra & intra ſanguifera vaſa perſeverat circuitionis motus, remeari tardante intrà *ſecretoria* vaſa alba portione; adeò ut crebriùs in ſanguiferis agatur circumrotatio rubræ partis, altera, quæ alba eſt, in *ſecretoriis* ſegneſcente & reſide facta. Hinc rutilat *arterioſi* inſtar, è venis emiſſus ſanguis, quòd ſucco nutritio intrà *ſecretoria* ſe ingurgitante ſpoliatus, impermixtus & vividus erit conſpiciendus in *venis*, qualis in *arteriis*.

Faciei diverſæ erit ſanguis, ſi ſuppreſſa nutritia *lympha*, in vaſis ſanguiferis hæſerit, hujus enim colorem aut ſpeciem referet venis emiſſus, glutine obductus albente aut flaveſcente plus minus, plus minuſve lento aut molli. Illius *lymphæ* intra vaſa ſanguifera hærentis præſentiam teſtabitur queque *pulſus*, ut enim ſuppreſſa iſthæc *lympha* denſa eſt ac compacta, chalybis lamellæ inſtar malleo tuſæ, elaterii non parùm contraxit. Mole ergò qua tumet, elatere quo valet, arteriarum parietibus contranitendo, illarum *ſyſtoli* impedimento eſt, dùm ſuam aliundè *contractilitatem* fortiùs exerentes *arteriæ* tenduntur, obſiſtentemque ſanguinem nituntur vividiùs comprimere. Indè fit durus aut *ferratilis* pulſus, ſanguis enim quatenus compactus, *ſolidi* intrà *arterias* contenti *elaſticique* vices gerit, quo intro ſuſtultæ, ac diſtentæ *arteriæ*, a pleniori *ſyſtole* cohibentur, dum ab eodem non ſecus ab extraneo corpore, ſtimulatæ crebriùs pulſant.

Ut ut ſit ubi hæreat ſuccus nutritius, utpotè procul & altè deliteſcens, in viam non facilè revocabilis erit, temporeque & dexteritate opus habet, ut vellicanti *cathartico* morem gerat. Statim igitur naſcente morbo purgantibus illum aggredi, ſurdo canere eſt. Flecti amat non cogi, extricari, quod coqui eſt, poſtulat, extundi renuit, præcoqui fructus exemplo primo tempore non decidui, at ſerotini inſtar, longo ſole indigentis ut percoquatur.

Nihilominùs tamen leges ſunt quibus obſequitur, conditiones, eæque *atalicis* mitiores, quibus obſecundat. Verùm enim verò quibuslibet, aut cujuſvis naturæ vaſis coerceatur ille ſuccus, meabilia ſunt, ejuſque conditionis & fabricæ, ut ad circuitionem ſuccorum ſint comparata, igitur ut expediendis iis quibus irretiuntur apta nata ſunt, ab iis ea expedire quoque potis eſt. Artificis autem animum nihil potentiùs erigit, quàm operis poſſibilitas; itaque in arduo illo, in viam revocandi deviantis ſucci negotio, medico animum addet, revocabilis ſucci fiducia.

Foras autem revocandis ſeu purgandis humoribus has dixit leges. *Hippocrates, non crudos eſſe medicandos; fluxilia eſſe facienda corpora; ducendos humores quò vergunt, ducendos denique per loca convenientia.*

Crudi ſunt qui altè longeque impacti ſunt, undè cum ſingularis circuitus opera reducendi ſunt, id moræ ſucco concedendum quo opus habet, ut ſuum circulum abſolvat; id quoque otii imperabit ſibi medicus, quod abſolvendi circuli tempus ſucco illi concedat. At quod ſanguinis motui in viſceribus moris

eſt,

eſt, id contingit morborum cauſis. Univerſam ſanguinis maſſam *trigeſies* horæ ſpatio ad cor remeare, confeſſa res eſt; at illam maſſæ illius portionem, quæ ſingula viſcera, *hepar*, *lienem*, *pulmones*, *cerebrum* circumeundo peragranda habet, *trigeſies* in ſingulis viſceribus orbem ſuum peragere negatur. Ratione non abſimili, ſuccis qui deflectendo morbos committunt, in viam redeundum eſſe certiſſimum eſt, ſed æquè conſtat eorum redituum non idem eſſe temporis ſpatium; certo enim *dierum* aliis, aliis *hebdomadum*, *menſium* non paucis, quibuſdam annorum numero opus eſt. Id autem ſpatii tùm *criſium* aut *deſinentiarum* terminos, tùm purgationum locum, tempora, occaſiones docebit aut definiet.

Sua igitur aut patrum obſervatione eruditus noverit medicus, ex morbis alios eſſe, ſub quibus *ſeptenario* dierum circulo moventur humores, alios qui *decimo-quarto* die, ſeriùs adhùc alios, ſub quibus limitibus *coctionum* & *purgantium* tempora concipiet. Rursùs uſu didicerit, breviori quidem dierum ſpatio, contingere *peracutorum*, quam *acutorum* morborum *ſolutiones*, at obſervaverit, *ſolutiones* omnes quæ felices fuerint, *coctionis* eſſe fructus. Igitur, eſto, teneat admittendas eſſe præcoces *purgationes*, modò præcox fuerit *coctionis* genus, qualiſcunque ſcilicet commoderatio ſuccorum, quæ admonente aut magiſtra natura monſtret tentandos eſſe purgatione humores. Hanc commoderationem *fluxilitatis* nomine commendat medicinæ princeps, jubendo *fluida* eſſe facienda corpora, ut purgatio feliciter ſuccedat. *Fluxilitatis* autem vox tria innuit, *ſolidorum* mollitiem & tractabilitatem (quod rei caput eſt) *liquidorum* comminutionem, eorumdem pronitatem aut *directionem*. Quamobrem abſit oportet a partibus *ſpaſmodica diatheſis*, ſaltem emollitæ ſint, & a corrugatione liberæ, ut flecti ſe patiantur, *purgantiſque* ſtimulo cedant. Hic enim res non agitur cùm ejuſmodi purgatione, quæ revaleſcentium eſt, quæ curationis ſigillum eſt, & omnis medicationis agmen claudit; ſermo eſt de altera quæ perfectam morbi ſolutionem non operatur, ſed quæ hanc ſpondet facitque certiorem. Porrò huic non opus eſt ea partium libertate, quæ ſanitatis opus eſt; ſufficit iſtiuſmodi facilitas, qua *cathartico* in tantùm non rebelles, ut ultrò pareant.

Conſtabit eventus, ſi cathartico vellicanti reſpondeat *liquidorum fluiditas*, ut admoto calcare ad evacuationem currant; *evacuatio* enim ut *excretionis*, ſic expreſſionis genus eſt, compreſſionis autem genus eſt expreſſio, quæ *occillando* peragitur. At compactior ſuccus, ſicque factus *elaſticus occillationi* obſiſtit, excretioni proindè, quæ compreſſio eſt, adverſatur. Hinc videas *euſarca* ac benè ſaginata corpora, obſcuri eſſe, parvi ac deliteſcentis pulsùs, *plethora* enim exuberantes fucci ſe pandunt, vaſorùmque ſpatia tam arctè occupant, ut illorum *ſyſtoli* ſeu compreſſioni renitantur. Rurſus ſub naſcentibus morbis, graviſſima licet interdùm ſæviant *ſymptomata*, obſcurè micat *arteria*; indicio non dubio, aut copioſiorem intùs tumere ſuccorum molem; aut *elatere* ſe pandentes ſuccos, vaſorum *contractioni* aut *occillationi* impedimento eſſe. Revera tunc temporis miſſo ſanguine, pulſus erigitur, *ſyſtoli* reddente locum ſanguine vacuato.

Pergit *Hippocrates*, *admonendo ducendos eſſe humores quò vergunt*. Medici enim naturæ vicarii in tantùm feliciter cedunt conſilia, in quantùm illius veſtigia premit; veſtigia intellige, fines illius, ſcopos, tramites, tramitùmve *directiones*, declivitates locorum ac propenſiones. Sic ducere ad *ſtomachum*, quò natura vergit ducere eſt, ſi illùc moveat humores: *inteſtina*, ad habitum corporis, ad veſicam ducendo, quò *vergit natura ducitur*, ſi illùc ab ea ferantur aut ferendi ſint humores. Ferendi, inquam, ſuæ ſunt enim naturæ neceſſitudines, quibus erudiri aut mancipari medentem oportet. Exemplo ſunt ii ſucci qui certis locis ac viis ſic addicti, ut nulla ab iis aliena ſupplenda reperias. Quaslibet igitur illi vias a ſuis alienas affectare videantur, cùm ad proprias unicè

inclinent, ad eas neceſſariò revocandi ſunt. *Menſes* v. g. aut *lochia* ſuppreſſa ad cerebrum, ſtomachum, pulmones eunt? Inſidiæ; morbi inſultus ſunt, quos ſi *emeticis*; *bechicis* & *purgantibus* compeſcere tentaveris, ſpe cades, illùc enim certò non *vergit* natura, ſed ad *uterum* quò neceſſario reducenda ſunt, ut ad unicum evacuationum illarum emiſſarium.

Sputa quoque in pulmonibus ſuppreſſa, quævis in *ſtomacho*, *inteſtinis*, &c. moveant *ſymptomata*, nulla harum via ſeſe uſquam expediunt, quemque moveris lapidem, per os illis redeundum erit. Ejuſdem allucinationis eſt urinæ in veſica morantis facta collectio: indè nauſeas dat & vomitiones agit enormes, moleſtat alvum, ſtimulat, ſolvitve, attamen hinc abeſſe naturæ conſilia intelliget qui meminerit, unicam urinis patere viam, veſicæ ductum. *Stibiatis* ergò, *purgantibuſve* iſthæc laceſſere mala umbras ferire eſt, abſolutorio unico erit *catheter* immiſſus. Hùcque ſpectat ultima Hippocratis monitio, obſervantis *per loca convenientia ducendos eſſe humores*. Aſt *locorum convenientiam*, vel opportunitatem indigitat earum partium habita obſervatio, per quas *ſolutio* morbi contingere conſuevit. Ad *Pulmonem*, *hepar*, *ſtomachum*, *uterum*, *inteſtina* humorem morbidum a natura pelli viſum eſt, hoc ipſum medico tenendum iter; ſin minùs, ſpretis ſcilicet naturæ conſiliis mendicando, *Minervam* cogere eſt, adverſoque flumine ſubigere lembum. Indè *purgationum* pericula, &c.

CAPUT XIX.

Quod præcedentis appendix eſt.

Ubi

de purgatione *periculis*, *cautionibus*, *& de* humorum præparatione.

HINC intelligitur, undè proveniant *purgationum* pericula, patentque rationes cautionum quas requirit *purgantium* uſus. Ordinis cauſa *purgatio*, ſuſcipitur; eam ſcilicet ob rem, ut ſanguinis circuitus æquabilitas reſtituatur. Quo ergò in diſcrimine verſatur? Melius, in quod periculum ægrotantem adducit medicus, quem agit cœca purgandi prurigo? Maleſana animatus illa opinione, in eliminandis humoribus poſitum eſſe purgantis officium, *punctum omne tuliſſe* putabit, ſibi gratulabundus, ſi enormem humorum fuderit copiam. Præoccupatus inſuper lentos eſſe, viſcoſos & tenaces humores, quibuſcum rem habet, labori vel improbo non parcet, neque *mochlica* reformidabit, quò materierum averruncandarum ſaburram impetret. Creſcet periculum; ſi ab inducta *fermentatione*, *præcipitatioaem* impuratorum ſuccorum fœturam ſibi promiſerit, tùm enim ab actuoſis nihil metueret, a quibus plùs redituræ *fermentandæ* virtutis ſperaverit. Indè iræ, turbæque minaces, quas invehet ordinis loco. Interim hic nondùm malorum finis, de *liquidis* unicè cogitans, *ſolidæ* sùsdeque habet, oblitus *ſolidis* contineri *liquida*: *ſolidis* autem tam teneris, promptis adeò ad ſenſum, vellicari tam facilibus, in *criſpaturas* adeò proclivibus, ut aliquando nihil, pauca ſæpè, ſæpiùs inutilia fundant; inutilia quidem ægrotanti, ſed utiliſſima morbo, multis enim bonis illum ſpoliant, hunc aggravant malis; pauperant *ſanguinem*, ſiccant, adurunt; ſicque ſuo balſamo exutum, in *acrem*, *ſalſum*, muriaticum eyehendo mutant, milleque morbis

bis difficilibus, *chronicis*, generis dubii & ancipitis naturæ fundamenta ponunt.

Alias adhuc interminatur calamitates *purgatio*, si solis *fluidis* dicabitur; sæpe enim vel enormiter exinanitis, decrescentibus proinde humoribus, a quibus pendere morbum clamitabant, *symptomata* crescunt, febris sævit magis, æstuant præcordia, resolvitur alvus, vigiliæ ingruunt, succedit *apostitia*, tabes, mors tandem consequitur. Sed eò loci *purgationum* ludibriis occœcatas tot medicantium mentes mirari subit, qui *purgantibus*, *mochlicis*, *drasticisve* ad nauseam & ultra ingurgitatis ægrotantes humore siccos enecari videntes, interim ab infido, infaustoque magis humorum *systemate* non resipiscunt. Immo in sua hæresi firmantur magis, remediorum enim invaliditati imputantes, qui medentium allucinationi debentur, eventus infelices, apud vulgus artem deplorant, de *purgantium* efficacium defectu. Id mali venit a neglecta *solidorum* scientia; hinc enim melius eruditi, ut de arte sensissent digniùs, feliciùs eam tractassent, illinc arcendo turbas, ubi præesse pax, & ordo regere consueverunt: œconomiam corporis intellige, quam ut alit rerum æquilibritas, restituit concordia rerum.

Aliud periculum in purgando incurritur, si ad id operis, temporiùs dicam an audaciùs, se accingant. Tunc movent *humores*, non promovent, succos enim a suis *secretoriis* adhuc diffitos longiùs lacessendo, partes ab humoribus purgandis, utpote alio evagantibus, nedumve ad emissaria reductis, vacuas sollicitant. Ad hæc imperitè stupentes, pharmaci vires acuunt aut copiam augent, eventu tam irrito, quam infelici, cœcutientium instar, qui non aperienda ostia pulsant.

Calamitatum cumulus est exlex facta purgatio, neglectis nempe legibus quas invenit usus & observatio firmavit. Ex quo enim rerum medicarum infortuniis accessit temeritas aut inconsiderantia, *crises* risère, naturæ motus ludibrio habentes, crisiumque conditores se jactitare ausi: adeo ut quod huc usque consiliis ac tempore a natura gestum est, vi ac præcipitantia exequi aggrediantur; quod obtinendum erat extorquere volentes. Hunc ambitiosæ mentis errorem castigare debuisset, de medicaminibus tradita a medendi magistris observatio. Admonent infidi prorsus ac fallentes *sudoriferorum*, ac *diureticorum* usus. Id fortean interpretaberis de solaminis defectu, quòd rarò hac ex parte medentium votis respondeant, at alteriùs progreditur eorum quærimonia, operatione vacua sæpius ea se comperisse affirmant, adeo ut debita dosi, viribus idoneis, cauteque & ad artis normam exhibita, *sudoris* aut *urinæ* ne stillam fuderint. Arcanam incusant partium *diathesin*, medicaminum operationi absolvendæ necessariam adeo, ut hac absente, opere cassa fiant aut irriti effectus. Sed idem de *purgantibus* dictum puta, eorum enim operatio tyrannis neque est nec imperium; admonitio est, ut partium invitamentum, quæ si immorigeræ monitis obsurdescunt, mandatis rebellabunt magis. Itaque quidquid de *eruditate*; de *fluxilitate*, de viarum proclivitate, ac locorum *convenientia* tam sanctè jubent, id omne refert facta partium consensio. Hæc si detur, vel leviſſimo *cathartico* fidas licet, ex voto succedet; si desit, vel potentissimo diffidas, surdo canet aut præposterè cedet: quod enim de hominum vita proditum est, in remediorum operationes cadit. Horum magna pars aut malè, aut nihil, aut aliud agendo insumitur. Equidem malè agendo; quævis enim pharmaca fœneratorum instar nocendo juvant, viscerum enim dispendio corpori prosunt, cujus partes quas levant deterunt. Unde videas quàm proximè discrepet ab usu, remediorum abusus, quorum optima vix a noxa vacant. Saltem sæpe nihil agunt, quod vel ne hilum operis edant, vel edant nihil illius quod speras. At nihili hujus fidem plerumque faciunt purgantia, a quorum evacuatione cum morbi solatium expectas, evacuationem absque

sola-

ſolatio obtines. Verùm aliud quoque agunt remedia, quod de *purgantibus* oſtendit uſus, ſæpius enim *quanta*, non *qualia oportet* evacuant, nam inutilium loco utilia fundendo, pro ſanguinis peccaminibus, ipſummet partium rorem abliguriunt. Unum tamen monendum huc venit. Audias ex medentibus non paucos criminantes dejectiones alvi, ſi dilutæ ſint & *ſeroſæ*; in his enim *pituitas* amant & glutinum glomeramina, exiſtimantes in unis humorum craſſaminibus poſitam evacuationum laudem. Cum hæc per ſapientium manus tradita ſint, religioni ducenda erunt & approbanda, interim cum grano ſalis & interpretamento. Quæ *aquea* ſunt & *udatochola* reprobanda ſunt, ubi naturæ vim ex *dejectionibus* expiſcari convenit & augurari, idque in ſpontaneis vacuationibus judicandis, æſtimandiſve, an videlicet *criticæ*, medico proinde verendæ fuerint, an *ſymptomaticæ*, aut impetu morbi prodeuntes, medico proinde damnabiles. *Criticis* accenſentur, ſi *coctæ* fuerint, *coctis* autem, ſi ſpiſſæ ac coactæ. Hujus adhuc ordinis ſunt dejectiones ſub *diarrhœis* prodeuntes, quæ ſpiſſeſcendo, ſanationem annuntiant. Similia igitur inter medendum firmiter tenenda ſunt, eò confidentiùs, ſi vulgato effato habenda fides, quod narrent periiſſe neminem ex iis in quibus conſpicua ſe dederint coctionis ſigna. Aſt nunquid non fieri poteſt, ut conſpicuis coctionis ſignis in communibus ac publicis excretionibus, cruditatis argumenta pergant in privatis. Viſi ſunt v.g. *ſoporoſis*, *ſpaſmodicis*, *ſpleniticis* affectibus decumbentes, unà cum coctis dejectionibus abiiſſe ad plures. Nihilominus tamen huic ſtandum medendi regulæ conſentietur, at ad illius normam exigere omnes purgandi leges, anguſtiores intra cancellos purgationis jura coercere eſt. Saltem altera eſt eaque verior quia univerſalior laudabilium dejectionum nota; a morbo nempe levamen. Probanda omnis purgatio quæ certò, licet non ex toto, levat. Exemplo erunt *criſes* imperfectæ & dimidiatæ, quæ licet dum ſingulares ſunt non ſolvant, ſed ad minimum auxiliantur, uſque dum ſolvant. *Multis*, inquit Hippocrates, *uſu venit, ut non ab una evacuatione judicarentur, ſed ut plurimum per omnia percurrerent. Sed hi omnes evaſerunt.* Quidni igitur dejectiones ſeroſæ, licet numeris omnibus non abſolutæ, juvamini non erunt? Verùm enimverò, non adeo definitum eſt, in ſpiſſitudine ſuccorum *coctionem* poni, ut cum *fluiditate* conſiſtere nequeat. Effatur *Hippocrates*, *liquidam alvi dejectionem ex uſu eſſe, ſi neque ſtrideat, neque crebro, neque ex intervallis brevibus excernatur.* Igitur ut ex circumſtantiis venit, *Hippocratis* teſtimonio, quod *fluiditas* uſui ſit, aut non ſit, *coctioni* penitus nec *eſſentialiter*, ut ajunt, *fluiditas* adverſabitur. Revera ex veteribus medicis fuere, qui in ſuccorum attenuatione *coctionem* ſtabilierunt. Nobis a quibus *coctio* ponitur in *directionum*, *determinationum*, *occillationum ac motuum* redintegratione, circuitus denique in integrum reſtitutione, non videtur cur cum *coctione* pugnaverit fluiditas, maxime cum in fluiditate, ac *fluxilitate* conſiſtat ſub ſanitate ſuccorum coctio; in *fluxilitate*, inquam, ſucci nutritii, qui *lympha* eſt, aut aquæ genus; tam longè abeſt a vero, malè cum fluiditate ſeroſa, *coctioni* convenire. Addendum, *catharticorum* ingeniis ſæpe donandum, quod vacuati humores, plùs minùs inſpiſſati prodeant; adeo ut ſub iiſdem morbis, iiſdem morborum temporibus, in iiſdemque hominibus, ubi ſuccos inſpiſſant certa *purgantia*, alia eliquent. Sic *manna* fundit humores & in ſerum extenuat, quos *ſenna* in glutina glomerat & viſcos.

Itaque *purgationem* ægrotanti fauſtam, artifici non pœnitendam, laudabilem arti ſi exhiberi cupis, hanc tibi dicito legem, eam propinare nuſquam inconſultis morborum ingeniis, temporibus & conſtitutionibus. Cœcus te non agat medicandi ritus, non imperet conſuetudo, opinio non præoccuper, unus te regat amor veri, ſtudium recti, ſanandi cupido. Didiceris ex morbis alios eſſe *purgationis* maximè capaces, alios incapaces maximè, habita ratione conſtitutionum aeris,

aeris, quibus graſſantibus *purgationi* parent aut obſurdeſcunt. Id autem aſſequere non ſpeculando, non philoſophando, non ſermocinando, ſed meditando naturam, corpus intuendo, morbos obſervando. Tuus te docuerit aut ſapientium uſus, quibus ex ſignis purgationis opportunitatem capeſſere datur, qua occaſione inſtituenda venit, quo duce ſymptomate, quaſi ad purgationem ſignaculo, ad eam te tutus, & ægri bono accingas. Indubitata hæc te docebunt talibus diebus, tali tempore, talique præſente *ſymptomate* mollitum eſſe fibrarum tonum; parataſque & expeditas, faciles ſaltem & obtemperaturas partium *directiones*. Cæterum ut tempore dato obſequentes ac morigeras ſe præbeant partes, in his eſto toto curationis decurſu, eo te & animum conferas, tandem te una occupet ſollicitudo, molliendi partes, earum continendi *tonum* ac *directiones* ſervandi, ut *ſecretionum* libertatem aſſeras aut reddas. Aliò referre medendi ſcopum, delirare eſt, ut enim in ſangninis circuitus perennitate vita conſiſtit, in illius æquabilitate ſanitas ponitur, cujus utriuſque author eſt in *fluidis* fluxilitas, flexilitas in *ſolidis*, quæ cum ſanitati præeſt, ſub morbo deſideratur. Hanc & illam ſanis dat ciborum ſimplicitas, reddit ægris eduliorum delectus. Vulgi enim erratum eſt a remediis expectare, quod a victus ratione meliùs obtineas. Meliùs, quia ſecuriùs; ut enim ad locum quò jam pertingere datum eſt, redeundi ratio tutior nulla, quàm quod cœptum fuit iter remetiri, ſic ut a natura rurſus obtineas, quod illi exequi moris fuit, quas inſumere materies, quos ſequi operandi ritus ei ſolitum eſt, hæc una retractanda habes. Terendo agit, pinſendo, comminuendo; hiſque illius artibus, ut *fluidorum* agilitatem, ſic *ſolidorum* tractabilitatem tuetur. At trita ecce tibi via eſt, ſub morbis porrigito edulia, teri facilia & eliquari prompta, quæ naſcentem *ſpaſmum* diſſipent aut arceant, quæque futuræ *ataxiæ* obviam eant, aut præſenti medeantur. Id auxilii a *diluentibus* ſperes, præterquamquod enim, utpote eſurina, mergendis, infatuandiſque cujuſvis naturæ *acoribus* idonea ſunt (ſi his locum dederit ſuccorum mora) *fluida* pandendo dividunt, humectando *ſolida* laxant. At in illum, qui non paucorum eſt, errorem cave impingas, exiſtimantium *diluentium* nomine intelligenda venire ſola potulenta. Ejuſdem virtutis erunt *juſcula* & ſorbitiones, ſi ad Hippocratis mentem inſtituantur. Revera ad *inſpiſſantia*, *incraſſantia*, aut *inviſcantia* pertinebunt, ſi carnium ſatura ſuccis, gelaſcentiâ fuerint, atque compacta. Sed iſthæc quæ vulgi palato ſapiunt, ſapientium decretis ab ægrotantium diæta exulare jubentur; ſic ut qui inter ipſos princeps eſt, tam a carnibus metuendum eſſe compererit. Salubri huic monito auſcultandum ſuadebat addita ſapientiæ authoris dignitas, at quibus cedere novit conſiliis cœca conſuetudo, ea inprimis quæ gulæ ſervit & luxuriæ? Saltem a præjudicio revocare debuiſſet confeſſa ſanguinis conſtitutio. Palam eſt ſanguinem gemina parte, alba & rubra, illa lubrica ac molli, hac volubili ac *globuloſa* conſtare; an argumentum apertius, in volubilitate, *fluxilitate*, ac mobilitate poni ſanguinis eſſentiam? Quid enim mobilius aut volubilius globulis; pingui ac lubrico ſucco natantibus? His ergo conſervandis aut reſtituendis *qualitatibus*, ea conveniunt edulia, quæ lubricis, volubilibus ac globuloſis particulis coaluerunt. An tales erunt animalium carnes? Ita fortè ſi de *ſulphureis*, *oleoſis*, acido proinde *ſale* gravidis ageretur; in hæc enim eluxuriantur animalium carnes. Verùm ut ſermo eſt de lacteſcentibus non lacteis, inſulſis non vellicantibus, mucilaginoſis non pinguibus, hæc, utpote quibus conſtant, facilè ſuppeditabunt & uberrimè ex ſeminibus *decocta*, *ſucci*, *cremores*, *polentæ*, *ſorbitiones* & *pulmenta*, priſcis conſueta temporibus, noſtris o utinam renovanda! Eo magis quod cum non ſolùm non *globuloſis* partibus, ſed fibratis è contrà compactæ ſint animalium carnes, ſuccum nedum volubilem, ſed ſegnem, tardum & densè compaginatum conflabunt; quodque obiter dictum erit, an aliò verius referen-

ferenda est albentis glutinis illius scaturigo, quo familiarius heu! ægrotantium sanguis vestitur? Igitur ut formidandæ huic spissitudini occurras, *hordeata, avenata, orizata, pultes, panatellas*, jusculorum, si potes, loco sufficies; sin minùs, his incoctis jusculà castigabis, qua sola industria, mirum quot iisque minacibus symptomatis, anteire aut mederi tibi dabitur; hinc enim obtinebis nativa *fluidorum* mulcimina, innocua *solidorum* blandimenta, *edulcorantibus, alcalibus, concentrantibus, absorbentibus* paratiora simul & utiliora. Aliunde compotes sui factæ partes, liberè non coactè, ordinatè non tumultuanter occillabunt, in suisque directionibus pergendo, futuris evacuationibus faciles patebunt. Interim jusculis ex carnibus indulgere licebit, si partes a suo *tono* non desciscentes molles perseverant; at ubi cutis *aspera*, arentes *buccæ, stridula* vox, stomachi *inflatio*, hypochondriorum *renisus*, pulsus *durities*, in *spasmum* inclinari partium stamina admonebunt, incunctanter ex seminibus edulia jubebuntur, quibus delinitæ partes ac lubricatæ resident, tendinumque avertant, *subsultus*, quibus *spasmodica* symptomata præludere solent. At quod inprimis laudem meretur, *diarrhœas* quæ inter medendum, tantùm facessunt negotii, avertit aut sanat a carnariis jusculis abstinentia. Equidem in vulgus abiit rumor, ab *atonia* aut laxitate febribus accersi *diarrhœas*, sed hanc opinionem mendacii arguit observatio. *Diarrhœæ* enim in illas cadunt febres, quæ *ardentes* sunt, vel *phlegmonodes*, vel *colliquativæ*; ubi cum impetu, præcipitantia, &, ut habet *Hippocrates*, *cum stridore dejectiones* prodeunt, denique ubi remedio est hordei aut orizæ usus. Horum omnium rationes prodit sincera *diarrhœarum ætiologia*, hæc autem duplici vitio venit, *fluidorum* nempe & *solidorum*. Sanguis *lympha* est, aut de aqueorum genere; pingues autem sunt & *oleosi* carnium succi, cum sanguine proinde tantùm incoibiles, quantùm aqua cum oleo. Posthac a sanguine recusari, alvique fluoris specie præcipitari debere, quæ ex carnibus erunt jusculà, intelligis. Si addideris *spasmo* tensas esse intestinorum fibras, strictosque vasorum lacteorum hiatus, hinc a renitentibus fibris, illinc ab obstructis viis expui debere isthæc jusculà & resilire necessum est. Remedio autem veniunt ex seminibus edulia; cum enim *oleosi* neque sint, neque pingues, sed macri, mucilaginosi, cum aqueis ergo non incoibiles seminum succi, sanguini *amalgamantur*, aut faciles se dant amicos; eò lubentiùs quò minùs de compacta & fibrata carnium textura participant, magis autem de *globulosa*, quæ sanguinis essentiam seu volubilitatem constituit. Pauca hæc erunt, comparata cum cæteris quæ humorum præparandorum rationem elucidarent, at in his illius artis & industriæ ideas pingi sufficit, quæ supersunt lèviter meditata, menti se subjicient.

CAPUT XX.

De humoribus inhabilibus ad coctionem, *tum de* orgasmo.

INcoctiles vulgò habentur humores, qui absque jugo sunt, efferi, evagantes, *coctionis* detrectatores & imperii. Qui mitius cum ipsis agunt, de illorum *coctione* spem non abjicientes, illam serò quidem, sed tandem aliquando venturam pollicentur. At nemo est qui non pronunciet incunctanter, *drastice* ac sæpius eos esse purgandos. Uno igitur omnium labio, contumaciissimi æstimantur, purgationique inidonei, uno interim ore omnium *purgationi* devoventur. Qui mitiores sunt nec immorigeri humores cautè tractant, rebelles & indomitos aper-

to

to marte laceſſunt, ſic ut cum illis congredi dubitent, hos vincere polliceantur: illos copioſos licet ſemel & iterum evacuaſſe ſatis habent, hos *qualitate* magis, quàm *quantitate*, mole minùs quàm ingenio timendos exhauriendi finem non faciunt.

Malignitatem prætexerunt, quò ſuam protegant audaciam, quaſi juvet audaces laceſſita *malignitas*. Intetim ſi de *malignitate* interrogas? *Coctionis* ineptitudinem audies; ſi ineptitudinem *coctionis malignitatem*? Sicque vitioſo ac damnabili verborum, non rerum circulo, in re omnium ſeria maximè lùdunt; de corio dices humano? Saltem animarum ſeu vitæ ludibrio vertitur. Revera qui majores luſus, quam humores, quos coquere non datur, purgationi damnare? Cùm neceſſaria *purgationi* conditio ſit *coctio*, adeò ut quandiù crudus humor eſt, purgari recuſet. Allucinationis cauſa fuit nedùm interpretata *cruditatis* vox, neque *malignitatis*.

At ecce revelatur id myſterii genus. Crudum putabis humorem qui intrà propria vaſa hærendo ceſpitat, atque lenteſcit, vel qui ab his declinando ad alia deviat. Hæc vaſa ſi aliena tantùm fuerint, *crudus* erit humor, ſi peregrina, *malignus*. Expreſſis nominibus res exponenda eſt. Succus nutritius eſt qui morbos inchoat, fovet & abſolvit, quam ſcenam agit ab impedita *tranſpiratione* intrà vaſa repulſus. Si intrà ſua *excretoria* intercipitur, aut intrà *arterias* retinetur, tunc propria inter aut germana verſando adhuc, circuitioniſque filo proximus, huic facilè reſtituendus erit, idque facilè *coqui* vocabitur; ſi intrà *lymphatica* aut *nervos* inſilierit, a ſanguinis & humorum fluento nimiùm alienatus, in horum orbem aut vorticem difficillimè remeabit, quod incoctile nuncupabis. Revera, coqui miteſcere eſt; circumrotatus autem crebro ſuccus, tritus diù ac ſæpè ſubactus, miteſcit. Verbo, coctilis eſt humor, qui facilè redux eſt; incoctilis, qui irredux erit aut ægrè revocabilis. Prior morborum ſolutu facilium cauſa eſt; poſterior difficilium, *chronicorum* & *malignorum*. Suis enim *excretoriis* vicinum humorem reducere, in proclivi eſt, non item ſi fuerint diſſita loca, profunda, peregrinave, quò abreptus fuerit humor, hinc enim revocare gradum & evadere, hoc opus, hic labor eſt. Pauci quos Deus amavit, aut medicinalis evexit ad æthera virtus, diis geniti potuere, artis heroes & naturæ genii, quos uſus animo capaci additus, ad artis prodigia finxit. Itaque in monſtra vertunt hæc prodigia, qui a ſcholis recentes & novitii, his animi dotibus & artis peritia defecti, mirabilibus ſapientium eventis ſtultè tumentes, profanis manibus & ineruditis, eorum operas miſerè æmulantur.

Malignitatis nomine abuti pro minimo erat, ſi in hoc errore conquieviſſent; quamvis enim pyrii pulveris inventione, infenſior humanæ genti fuerit *malignitatis* aſſertio, non paucis mortalium milliaribus parcitum fuiſſet, ſi ulteriùs ſtrages ſuas non ſparſiſſet purgandi prurigo. Hæc ſocium ſibi dedit *orgaſmum*, idolum recens, cui litare geſtierunt; recentis medicinæ delicium, cujus amoribus inſanierunt, ſic interim amando, ut *Hippocrate* ipſo perſpicaciores facti, paſſim & ubique videre ſibi viſi ſint *orgaſmum*, quem rarò videbat medicorum oculatiſſimus. Exindè naſcenti morbo adnatum *orgaſmum* aſſerere moris fuit, humoremque *turgere* clamitantes, *purgationem*, quam raram volebat *Hippocrates*; frequentem jubent. Hos decepit malefida, quam ſibi finxerunt *orgaſmi* imago. Efferum, qualis eſt animalis œſtro veneris perciti, motum eſſe, cogitarunt, & ad cujus ſimulacri quod ſibi conflarunt, conſpectum, temerè furentes, ſtultè in purgando debacchati ſunt, humorum furias purgationum furiis diſſipare aggredientes. At furoribus inſanias addere fuit, ac turbis tumultum. Aliundè larvas inanes venantur, aut volantes umbras. Certè

naſcentibus gravioribus morbis, humorum irrequies, corporiſque totius anxietas conſpiciuntur, quæ parturientis naturæ niſus fermè diceres; at hos prodit ille quo cùm prorumpunt furor, naturæ motibus malè ſimilis, quî tacitè, clanculùm & toleranter ſe gerunt. Porrò *orgaſmus* naturæ motus eſt, & invitamentum; cogites ergò ineunte morbo ſuperſtites adeſſe naturæ reliquias, quibus, ab imperio nedùm penitùs dejecta, medici animum præoccupans, illi ſe, ſuaſque vias, leges, *tendentias*, propenſiones, *vergentias* & pronitates monſtrat, *orgaſmi* naturam tenes, modùm ſaltèm internoſcis. Naturæ ergò erit apparatus ad excretionem materiæ emollitæ, ſubactæ, excernique geſtientis: ceu motio eſt catulientis materiæ, ad exitùmque prurientis, at materiæ coctæ & exuberantis. Re ipſa ut ſeminibus turgidam terram, turgentem dixerunt poetæ, ſic lac in mammillis exurberans, pus in tumoribus pruriens, ſanguinem ſpiritibus ac copia tumentem, hos omnes ſuccos *turgere* dixi *Hippocrates*: ſi addideris, aliam quam habet *orgaſmi* ſeu *turgentiæ* conditionem, morborum ſcilicet initia illum occupare, ſub quibus turgentem materiam utiliter evacuari poſſe admonet, intelligis *orgaſmum* eſſe niſum ſucci cocti, exſuperantis, prurientis ad exictum & prorumpere geſtientis, qui naſcente morbo bonis ægri rebus evacuatur.

Cæterùm cocti humoris ſurgente morbo feliciter evacuandi ratio eorum preteribit neminem, quibus motùs humorum compertæ ſunt *directiones*, ſeries, ſitus, & ordo. At omnia corporis vaſa ſub ſanitate plena eſſe, publicum eſt atque confeſſum; plena autem ſuccis coctis, evacuationibus, aut *ſecretionibus* paratis. *Spaſmus* autem contingat, qui vaſa hæc plena conſtringat, ſic ut ſuccos coctos, quibus turgebunt intercipiendo coerceat, non diſſipet, non retropellat, nec ad alia vaſa cogat retrocedere, tùnc humorum eorùmque coctorum ſinguli, ſedibus immoti, in ſuis vaſis ſtrangulati tardabuntur. At quia indè veniet primum *ſpaſmodica* compreſſio, ſeu ex eo loco quò ad exitum aut ſecretiones feruntur humores, illùc a corde pelluntur, ubi plus erit *reſiſtentiæ*, eoque versùs arietabunt magis. Hic vides ſuccos vel ipſo primo morbi die coctos, exitui paratos, impulſos, arietantes, ad excretionem tendentes, aut evacuari nitentes, *orgaſmi* intueris imaginem. Tùm accedente dextra manu, quæ purgantis opera conſtrictos *ſecretoriorum* exitus vellicando laxet, laxandoque reſeret, ſucci ineunte morbo cocti evacuatio ſuccedet.

Similia coctorum humorum, ineuntibus morbis exempla produnt pulmones & inteſtina. Illi, ut in aſthmaticis obſervare eſt, ſi jam *catarrho* imbuti, tuſſim de repentè contrahant, *catarrhi* de novo irruentis prodromum aut comitem; tùnc quæ primùm exeunt ſputa, crudo licet ahduc recenti *catarrho*, cocta ſunt, ritè ſubacta, ægrotantiſque ſolatio redduntur. Revera veteranorum, non irruentium recèns ſuccorum effecta ſunt; nihilo tamen minùs ægro in tantùm profutura, in quantùm irrumpentibus humoribus ſpatium non impar, *occillationibuſque* exercendis commodum parant: ſimiliter cùm primùm *dyſenteria* corripi incipiunt *inteſtina*, una cùm *mucoſis*, *cruentis ac torminoſis* ſuccis, ſtercorum copiam reddunt. Equidem hac quoque de cauſa morbi minuunt nihil; interim illis materiebus utpotè natura peregrinis aut inutilibus, moleque gravantibus & præſentia, levatæ partes, ad ferendum malum alacriores fiunt & expeditiores. Itaque quoties ab adventante morbo, non ità feriuntur partes, ut nec à *directionibus*, nec à *determinationibus* ſuis dejiciantur humores & *occillationes*, horum ſerie & ſedibus ſervatis, coctos humores primùm excerni nihil vetat. Hoc autem ad febres translato, patet quo pacto cocti humores purganti morborum initiis adhibito, ſuccedant; hac nempè de causâ, quòd *directionum* ſitus ac *determinationum*, qui qualis in ſanitate erat, nato morbo ſuper-

perstes, sub morbo dat succos, quales sub sanitate erant: *turgere* enim, tumere est, arietare, eniti & ad exitus tendere; exitus autem naturales, qui *secretoria* vasa sunt, aut nativa emissaria. Hujus *turgentiæ* seu *orgasmi*, qui nisus aut *tendentia* est rationem aut nodum aperit, *cordis*, omniùmque illius appendicum, *arteriarum*, *membranarum*, &c. vis assiduè impellens & *systaltica*. Hæc enim succos comprimendo jugiter, & impellendo versùs exitus cœcos, qui effugia sunt *spasmo* constricta, suis in secretoriis cuneat illos, impetum a corde impressum versùs vasorum extremitates secum ferentes. At quia clausas fores pulsant, urgent magis; qui urgendi, turgendi modus est, ipsaque *orgasmi* ratio. Igitur hoc sub statu, a *cordis* & *arteriarum* Systole urgentur succi, vasa turgent; admoto *cathartici* stimulo tument, tumentes & *turgentes* hiant, stagnantesque quos retinebant succos exspuunt.

Posthac genuinum (simplex enim & obvius est) *Hippocratis* effati sensum assequi in proclivi est. Admonet medicinæ princeps, nunquàm purgandos esse crudos humores, sed eos tantùm qui concocti sunt; ideoque a purgatione abstinendum initio morborum, quia tùnc crudi sunt humores; addit, *nisi materia turgeat*; ea nimirùm de causa, quòd *concocta* est quæ turget materia; *turget* enim quæ motibus naturæ tumet, quæ illius impetu fertur, quæ iisdem urgetur ineunte morbo, quibus vigente sanitate urgebatur impulsibus, potentiis, impetu, *directionibus*. Verùm quia his legibus subjecta, his tractata artibus materies, coquitur, cocta est quæ turget. Intereà subjungit Hippocrates, *plurima non turgent*, quòd inchoantibus morbis, motuum, *occillationum* ac *directionum* mutationes non fieri infrequens est. Quod enim a *spasmodica diathesi* oriri morbos non levis suspicio sit, mutationis aliquid *occillationibus* hinc accidere concipitur; eò magis, quod in mutabili aut variabili, tenerrimoque subjecto, nervis videlicet *spasmus* enascatur. Sed aliundè multùm & sæpè disjici *occillationes* periclitantur, in eo maximè, quod omnes inter *determinationes*, versùs quas rapi possunt & trahi humores, sursùm, deorsùm, dextrorsùm, sinistrorsùm, antrorsùm, retrorsùm, uniusmodi sint, deorsùm nempè, seu versùs extremitates vasorum tendentes, quæ naturam resipiant, & quæ coctionibus serviant. Undè rarum est præsente morbo perseverare naturæ motus, & *directiones*, rarum proindè *turgere materiam*, cùm a natura urgere materies infrequentissimum sit. Appositè ergò concludit *Hippocrates*, *plurima verò non turgent*,

Hinc immota stat pronuntiati ejusdem *Hippocratis* assertio, *ineuntibus morbis acutis rarò purgandum esse*, quia rara coctio est initio *acutorum*, quandoquidem quæ tunc temporis indulget purgationem unica conditio, rarissima sit, humorum scilicet *orgasmus*. Lex enim generalis est, coctioni deberi *purgationem*, quod idem est, ac purgationem adhibendam esse desinentibus morbis. Ratio obvia est, universus morbi cursus ad *coctionem* labor est, seu naturæ nisus materiæ morbificæ subactionem, *commoderationèmve* (quæ *Hippocrati* coctio est) molientis. Coctura enim, laboris qui tritus & subactio habetur, consummatio est; igitur nonnisi hoc exantlato labore, purgatio conceditur. Interim cùm insumatur omnis ille naturæ labor, ut quæ a circuitûs tramite deflexit materies, in viam remeet, labori parcetur & tempori, si aliena quam illius laboris opera remeabilis aliquandò veniat. Porrò id operæ minuit perseverans ineunte morbo motuum naturæ *directio*, tunc igitur purgare compendio & naturæ servire est.

Tantùm boni arti ne pereat, sanciendæ leges, dandaque notacula, quæ tempora signent & occasiones, adhibendæ præcocis ejusmodi purgationis. Ut ut enim festiva videatur, & sapientiæ, tui sensim & lentè progredi moris est, fermè dissimilis, re vera spuria non est, nec adulterina, sed filia naturæ, ab illius

lius moribus aut ingenio non degener, imò ejus consona legibus. Has inter conditiones princeps est *concoctio*; *concocta medicari oportet*, &c. sed hanc obtinent, qui *turgent* humores. Equidem illius qui oritur morbi non fit effectus, *turgentium* humorum *concoctio*, at non minùs opus naturæ est, quæ incuntium quorumdam morborum insultibus ità obsistere novit, ut aliquandiù constare sibi valeat, suasque tueri leges, firma suis & immota *directionibus*. Sic facta sibi superstes, suis præesse pergit & insistere *concoctionibus*, idque intervalli, quod stantis, nedùm dejecti naturæ regiminis est, occasio erit morborum medicatrix optima, quæ medico capessenda venit, ut *faustis avibus* turgentes humores purgare discat.

Momentaneum quidem non est illud tempus, breve tamen & fugax, non multis diebus, sed unica sæpè circumscriptum; quæ *prima* morbi erit, qua, cùm materia *turget*, incunctanter, imperante *Hippocrate*, purgare convenit, *tardare enim in talibus malum est*. Secundo igitur, tertio, aut provectioribus diebus *orgasmum* prætexere, *orgasmum* garrire est. *Tardare* malum fuit, at elapsa semel *orgasmi* opportunitas irrevocabilis fit, quæ enim inchoante morbo *cocta* erat, eodem progresso cruda fit, dispersis & aliò resilientibus succis, qui a suis vasis ac sedibus alienati, suisque defecti *directionibus*, ordines suos ac series deserunt. Sic qui die primo astat *orgasmus*, postero vanescit; pendet enim ab *æquilibritate* partium, quæ uno die cùm incipiente morbo consistens, altero cadit. Hæcque certa erit absentis aut præteriti *orgasmi* nota, ab *æquilibrio* recessus. Prorumpit v. g. alvus, *borborygmi* volvuntur; ructat stomachus, fastidit, nauseat, vomit? Sopore cerebrum, mens delirio laborat? Oculi sero gravantur, nares sanguine stillant, os pituita madet? Tussis fatigat, suffocatio premit, universum angitur corpus? Succorum turbæ sunt, incursus quo ferre natura potest, proferre non potuit. Fortassis talium specie te ludit sparsa in vulgus *orgasmi* acceptio. At non efferus est, non desultorius *turgens* humor; jugo naturæ mancipatus adhuc, regitur non regit, servit non imperat. Prudeuntes ergò videbis evacuationes enormes, enormes imprimis? Ruptum dicito partium *æquilibrium*, vique sibi viam fecisse pronuntiabis, vel dejectam cessisse naturam, quæ diutiùs succos continere non potuit. Verùm observabis rupto humorum cataclysmo purgationem adhibere, lusum esse purgantis aut abusum, nam mutato succorum impetu, & apertis exitibus, movere humores versùs aperta loca quæ sæpè aliena sunt, eos urgere est. At ad propria emissaria prorumpunt *turgentes* succi. Igitur aperto alicubi humoribus effugio, *orgasmum* abesse signum est, tempusque illius vel elapsum esse, vel desideratum. Verùm enim verò quantumvis crepent omnes *orgasmum*, monente *Hippocrate*, rarus est, at quotidianus sedat & familiaris tumultus humorum, sic ut non incertus absentis *orgasmi* gnomon haberi possit, indigitans nullo morbi tempore adversari magis *purgationem*, quam ubi humores tumultuantur; tùnc enim aliò quàm convenit vergentes humores, a suis *secretoriis* longiùs recedunt.

Observaveris iterùm ut morbos sic, & *temperamenta* dari, sub quibus *orgasmi* vultu fucum facere solet humorum inquies. Prioris sortis sunt *inflammatorii* affectus, ii maximè qui *universales* sunt, omnem aut occupantes corporis habitum, aut omnibus visceribus insultantes. *Sic variolæ*, *morbilli*, *febres scarlatinæ*, tumultuantur adeò, tamque sævè debacchantur, ut doloribus quâ *urgent* partes, *inflammationibus* quibus hæ *tument*, evacuationibus quibus *deturgent*, *orgasmum* repræsentent. Similiter vomiturientes intuendo arthriticos, dejicientes, sudantes, imminente pessimi illius mali procella; videndo insuper quæ non impetat aut lacessat viscera morosus & difficilis ille morbus, quamque pauca eorum sint a quibus abstineat, humoris furentis, *turgentis* vulgò imaginem conspicere est. Attamen fraudem faciet eorum nemini, quibus nota

erit

erit *orgaſmi* facies, hæcque illius conditio. Præceps eſt *orgaſmus*, una die fluxus & velox, diebus autem pluſquàm unis, multis ſæpè perſeverat morborum ejuſmodi tumultus.

Temperamenta inter falſis *orgaſmi* imaginibus obnoxia, *melancholica* ſunt; quò referes *ſplenitticos*, *atrabilarios*, *hypocondriacos*, *ſcorbuticos*, *ſtudioſos*, *hyſtericas*. Horum enim omnium morbi ut *prothei-formes* ſunt, variis quos produnt inſultibus, umbras *orgaſmi* pingunt. At umbras revera, ut enim in his hominibus teneræ ſunt, criſparique faciles *nervoſæ* partes; obvium fit cur orientibus morbis, quos facit *ſpaſmodica diatheſis*, mille ſurgant concuſſus viſcerum agitatorii, quorum impulſu humores urgent maximè, minimè turgent.

Itaque orgaſmus verus, legitimus ac genuinus *rara avis*, artis *ſphinx* fortè erit, aut *corvus albus*, non inenarrata quidem res, ſed inviſa ferè, de qua narrant multa, plurima interpretantur, innumera fingunt. Qui illi fidunt magis, inter rara artis reponunt. At eò majori pretio habendum, quòd cum in eum medicus inciderit, celeriùs, ſuoque, ut ajunt, *in ovo* morbum præfocet. Ex adverſo qui *orgaſmo* diffidunt, fabulæ tintinnabulum de illo fermè ſuſpicarentur, juſſu omnium, at neminis auſu alligandum. Reipſa ut ut fuerit ritè definitus *orgaſmus*, illius præoccupandi conſilium, tam arduum eſt & periculoſum, ut aut laudabili careat exitu, aut miſerabili cadat; adeo illo uti tardum eſt, abuti promptum. Patet abuſus, cum eorum morborum plurimi, quos *orgaſmo*, damnare moris eſt, *orgaſmo* ſubjaceant omnium minimè. Sic ex *malignis febribus*, quas *orgaſmi* prætextu purgantibus cruciant, plures numerabis, ſub quibus ſanguis emiſſus venis albo glutine obducitur; non paucas ubi purpureus ac rutilans exit, vix ullas quæ nervis non inſultent. Sed hinc intelliges morbidum ſuccum, ſuis excidiſſe *ſecretoriis*, in quibus unis turgere potuiſſet, tumque vel ad ſanguinis, *lymphæ*que vaſa, vel ad nervos tranſvolaſſe.

Orgaſmo tam parùm convenit cum incoctilibus ſuccis, ſeu iis quos vocant *concoctionis incapaces*; quibus *orgaſmi* prætextu *catharſin* adhibere, incoctilium humorum ſitus & ingenia, *orgaſmi*que naturam neſcire eſt. Ideo concoqui tardant humores, quòd tumultuariis & præpoſteris *occillationibus* diſſipati, procul a ſuis *ſecretoriis*, ad *nervos* aut *lymphatica* evagentur. Atqui intra *ſecretoria* continetur, ſeque gerit *orgaſmus*, hic ergo incoctilibus non competit. Ergone in nullos cadet? Vix in ullos eorum quibus vulgò adjudicatur. Imo vix prototypum delineaveris, ad cujus normam purgandæ turgentis materiæ leges deſcribas.

Gnoma eſt medicinæ parentis, cujus qui genuini ſunt, norunt uſum, non definiunt, utpote cum medicæ ſapientiæ ſit, plura exequi, eloqui pauca; peritia eſt enim quam format uſus, philoſophia obſcurat. Verbo, methodo continetur medicæ artis arcanum, methodo autem quæ a præceptis minùs, quàm ab ingenio venit. Quod ingenium medicinalis illa eſt ſagacitas, quam in futuro medico requirit *Hippocrates*, quam artis adepto ſentire in promptu eſt, deſcribere impoſſibile.

Interim, ne in neceſſariis deficere videamur, huc ſe fiſtat corpus euſarcum, habitudinis *athleticæ*, ſic *ad ſummum progreſſæ*, *ut in meliùs proficere nequeat*: ſub hoc ſtatu floret facies, genæ rubent, nitent oculi, lacerti vigent, robuſtum pectus eſt, firma latera, tantaque carnium & ſuccorum adeſt moles, ut gemat ſub pondere cymba. Talem hominem onuſtum pinguedine, & ſanitate ſaturum fortis apoplexia prehendat, tunc *fluidorum* circuitum ſiſti cogitabis ſtagnantes proinde ſuis in vaſis liquores. Interea mollis micat pulſus, qui tenoris ſui ac ordinis tenax eſt; a plethora enim *apoplexia* narratur, quid inde? Humores ſuas

ſervando directiones, ſolita versùs ſecretoria urgentur, turgentem ecce habes materiam, ſuccos nempe omnes a corde impulſos, quos inter eminet nutritius ſuccus, cum intra ſanguifera vaſa retentus, ſanguinem cute pellicea veſtiat. Inſuper mole ſua ſanguini pondus addens, quale aquis additæ trabes, impetuoſiùs illum unà cum ſuis ſatellitibus ſuccis adigi cogit. Inde tumentia vaſa rumpi periclitantur, quod ut prævertatur, *talem habitum ſolvi incunctanter* jubet *Hippocrates*, turget enim materia quam *prima die* vacuandam ille decrevit. Cæterùm ex *ungue leonem*, pingui ſub hoc penicillo, pingues *orgaſmi* umbras inſpici datur, at quæ cruda reſtant & indigeſta, ad purum excoquent recoquenda ſtudia.

CAPUT XXI.

De purgationis *tempore & loco, an illa ſit naſcituris morbis accommoda, naſcentibus utilis, natis indulgenda, denaſcentibus neceſſaria?*

TEmpus *purgandi* fuit evacuandi conſilium, quandiu videlicet in *humorum* exterminium natum eſſe purgans creditum eſt. Hanc opinionem caſtigat altera de redigendis *occillationibus ſolidorum, fluidorum*que *reſtituendis directionibus*, qua ſtabilita *purgationis* tempus eſt, *fluida* inter & *ſolida* ordinis reſtituendi locus. Inde, nec immeritò, ſubodorari licet, quas invitare ſtrages, quantave invehere mala periclitentur illæ *purgationes*, quæ præcavendis morbis adhibentur; quàm enim periculosè inſtituitur eò revocandi ordinis conſilium, ubi perſeverat adhuc rerum ſeries. At corporis œconomiæ hic ſtatus eorum eſt, qui propitiandis minitantibus morbis, præmiſſa purgatione libare ſolent; ſaltem *neuter* eſt, ut loqui amant, ille eorum ſtatus, dubius id eſt aut anceps, quo velut in bivio poſita ſanitas ceſpitat aut hæret. Æquilibratam rem cogitabis, ab æquilibrii puncto recedere pronam; hac ſub poſitura momentum addere, *æquilibrium* violare eſt. At in corporis œconomia, quæ harmonia eſt, ſuperpondii porentiam vincit ſtipulationis vis, *fluidis* enim ad ſtimulatum locum concurrentibus, horum cum *ſolidis* æquabilitatem decreſcere neceſſum eſt: Inde *purgationum* illarum diſcrimina, quibus morbos prævertere anxii ſatagunt. Suam hanc diligentiam indulgeri volunt, utpote reſecandis in dies pullulantibus ſuccis neceſſariam, licet minùs exuperando mole, quàm ab orbita circuitus delirando liquores, morbos exſuſcitent. Sed inde ſpei parùm, multum periculi ab ejuſmodi evacuatione redit, cum corruptelarum aliquantùm exonerationem, corporis rerum horrenda perturbatio rependat; quod incurrere eſt aut accelerare malum, quod elabi aut evitare cordi fuerat. Imo verò medendi facinus erit, quod caſum ſæpius evadet; nam purgationibus præludendo morbis, operam ludere eſt, ſub morbis naſcentibus eas aggrediendo ſanguinis corruptelas, quæ deſinentibus tantùm iis ſuccedunt.

Hîc igitur induſtria opus eſt, circumſtantiarum nempe delectu, ne morbi illius loco quem prævenire conſilium eſt, alter invitetur. Hoc omen ut avertas, memineris in prævertendis morbis purgationis opera, id eligere tempus quo adjuvantem habeas naturam & in tua vota feſtinantem. Tempus illud erit, cum ex conſtante functionum integritate ſenſeris, firmum adhuc tueri ſe, nedum tiear addere eſt. Secus, ſi hunc purgationi dederis locum, qui vel recrudeſcentis, tubare, *directionum* ordinem tum purgans adhibere ipſiſmet naturæ motibus cal-

vel

vel reſurgentis ægritudinis tempus erit. Tunc enim fatiſcente aut cedente natura, *ſolidorum oscillationes* perverti, *fluidorum*que directiones deflectere ſuſpicio eſt. Sub hoc ſtatu naturæ ceſpitantis, cum mutari incipiunt ac nutare humorum *determinationes*, purgantis addere ſtimulos, in præceps ire eſt, & in declivia ferri. Quod ergo vulgi erratum eſt, in præcavendo morbo cavebis, a purgatione temperando eo tempore quo malum moveri incipit aut caput erigere, aliàs irritæ aut infauſtæ purgationis ſenties piaculum. Quaſi enim inopinantes & inconſcios aggredi juvaret eos humores quos prævertere volueris, hos moveri incipientes, purgando contingere ſacrum erit. *Cauſarius*, *arthriticus*, *ſcorbuticus*, *aſthmaticus*, *tabidus*, &c. anxietates, tædia, tacitos dolores aut obſcuros, ſimileſque malorum anteambulones perſentiſcit? Purgationi manum admovere abſtineto; diætæ, diluentibus, otio te traditurus, uſque dum pacatæ naſcentes turbæ, *fluidis* & *ſolidis* ſuas reddi *directiones* ſpondeant. Cautionis iſtiuſmodi ſpecimen offert *purgationis* uſus in prævertendis febrium paroxyſmis, quos cohibuit *cortex peruvianus*, qui ſic cavendus eſt, ut ni ſeptimanis aliquot a ſopita febre diſſita ſit purgatio, ſuppreſſos paroxyſmos certè revocaverit.

Interim quælibet ſelegeris momenta firmandis proſperandiſve ejuſmodi purgationum ſucceſſibus, in tantùm morbos non prævenient, ut exſuſcitent magis, ſi poſthabita morborum natura, indiſcriminatim morbis quibuslibet purgando anteire ſatagis. Ex morbis alii *ſpaſmodici* ſunt, alii *humorales*, ab *humorum* aut *ſpirituum*, ut ajunt, culpa nati. Prioris ordinis ſunt *melancholici*, *hypocondriaci*, *hyſterici*; poſterioris *catharrhoſi*, *apoplectici*, *arthritici* affectus. Illi ad *ſolida*, hi ad *fluida* pertinent magis. Priores pariunt non *ſpirituum ataxiæ*, non *exploſiones*, ridicula illa *effervescentiarum* ſimulacra quibus nuncium ſempiternum dixit mechanices doctrina. At facit violata partium ſtructura, aut vitiatum *elaterium*; quibus *catharſin* adhibere, crabrones irritare eſt. *Humorales* ſuſcitat aucta nimium ſanguinis moles. Nam farta vaſa ea ſuccorum copia, cui expediendæ impar fuerit *tranſpiratio*, cumulata tandem *tritui* reſiſtunt, adeo ut inde repagulum, vaſorum parietibus non ſubigendum exurgat. Tanto obice ſtimulatum vaſorum *elaterium* eluctando inſurgit & iraſcitur; interim cum a ſuccis aggeſtis, *tritum*que renuentibus ponuntur horum morborum initiamenta, his deterendis apta veniet *purgatio*.

Tam cauta hæc erit quæ prævertendis morbis adhibebitur, circumſpectior adhuc quæ indulgebitur morborum initiis; dempto enim *orgaſmi caſu*, qui infrequens admodum eſt, ſuſpicioſa tunc erit. Enim verò ideo ad *purgationem* curritur, quod, ut ajunt, humor ſit tam deſperatæ cruditatis, ut ad concoctionem nuſquàm pertingere poſſit. Ea de re ad hujus expulſionem illico properant, ne cuniculos agendo, aut viſcus quoddam invadat malignè, aut confertim opprimat. Tam falſa quàm damnoſa iſthæc aſſertio eſt, vera tamen obſervatio, quæ *catharſin* accelerandam jubet. In interpretatione peccatum eſt, inſperabili concoctioni tribuendo, quod humoris conditioni, inclinationi, copiæ imputandum eſt. Ea non nunquam eſt copia ſucci morbidi, quem ineunte morbo natura domandum ſuſcipit, ut par ſit implendis ſimul locis, quæ ſub ſanitate occupare ſolet, & aliis quò inſilit ſub morbo. Inde fit ut plena ſint ſimul *excretoria* vaſa, & alia quæ ad oppoſitas partes eunt. Inde fit ut adhuc ejuſdem humoris diverſæ ſint & oppoſitæ *directiones*; altera, qua ad emiſſaria nativa ſeu *ſecretoria* vergit; altera, qua ad alias partes rapitur. Hujus inordinationibus prodeunt *ſymptomata* quibus morbus viſcera inquietat, illius ſerie & ductu contingunt naturæ niſus, aut conamina, morbidæ materiæ exterminationem molientis. Status ille *turgeſcentiæ*, ſi libet, titulo veniet; ut ut ſit, *orgaſmi* qui proprie talis ſit, ſingulari conditione deficitur, qua *orgaſmum* intra unius

diei

diei, quæ morbi fortè primus eſt, limites coercet *Hippocrates*. Aliunde pluribus diebus perſeverat, aliquot a morbi initio diebus purgandi copiam faciens. Veriùs dixeris, aliquot a principio morbi dies tranſigendos eſſe docet humoris inquies, antequam *purgatio* inſtituatur. Idem jubet duplicis humorum *directionis* ratio, qua cum geminus contineatur impetus, ab accelerata citiùs purgatione metus eſſet, ne impulſi humores ſuum ad oppoſita viſcera impetum ſequantur, a ſua versùs *ſecretoria* declivitate aut *vergentia* deflectentes. Ea igitur mora morbo concedenda eſt, qua facto humorum impetui ſuccedens purgatio, ad pronitatum aut *vergentiæ* loca devolvantur humores. Hic effectus eſt *diluentium*, *humectantium*, *laxantium*, *emollientium*, *diætæ* quoque exquiſitæ, quæ vaſa inaniendo obſequi cogit; horum enim omnium opera, potu, fotu, cibatu, laxatæ, titillatæque *excretoriorum* extremitates ſolvuntur, hiant, purgantique obſecundant. Equidem has internoſſe humorum poſituras, ſitus, *tendentias* & pronitates artis ſumma eſt, eò tamen attingere datur illi, quem arti natura formaverit, aut obſervatio, quem penès erit ſincera morborum hiſtoria, nativa ſymptomatum ſeries, graphicaque deſcriptio; imprimis quem non fugerint morborum *deſinentiæ*, modi nempe, dierum numeri, vacuationum genera quibus terminatur. Ita factus familiaris naturæ, ipſius aſſueſcit moribus ingenio, motibus, quos tandem unos operando reddere diſcit. Te v. g. docuerit uſus, ſub hoc vel illo morbo, hac vel altera conſtitutione, hoc vel illo tempore venturas *apoſtaſes*, quibus anteire conſuevit alvi fluor, ad *purgationem* iter erit, eo tibi tempore locandam, quo bonis ægri rebus alvus ſolvi ſolet. *Apoſtaſes* autem intellige partium hiatus, ab humorum impetu commiſſos aut violatas vaſorum commiſſuras, nexus, conniventias; mixtos autem, coactos atque confuſos liquorum exitus; tot præpoſtera recedentis ab *æquilibrio* circuitionis molimina.

Itaque etiamſi purgationis morborum initiis adhibendæ argumento omni careretur, illius omittendæ non incerta lex erit; quoties videlicet gravi *ſymptomate* laceſſitum viſcus aliquod conſpexeris, utpote cum ejuſmodi in partem ſingulari impetu conjicere liceat, *æquilibrium* nutare; quo tempore vacuationem moliri, ad partem affectam, irrumpique vicinam ſuccos protrudere eſt. Sic *tuſſis*, *lateris dolor*, &c. a *purgationis* conſilio removebunt. Imo vero ab ea abſtinere jubebunt *ſymptomata*, ſi de evacuationum genere fuerint; rupti enim *æquilibrii* ſigna erunt, jamque mutatas eſſe ſuccorum *determinationes*: tunc autem moveri ſuccos, eò devolvi illos neceſſum eſt, ubi minùs erit *reſiſtentiæ*; ad eas igitur partes quæ apertæ ſunt & reſolutæ. Porro in tam gravi, cujuſmodi *purgationis* eſt, negotio, *facti dimidium* habet, penès quem erit non faciendi notitia.

Monendum tamen humores eſſe a circuitus *æquabilitate* recedentes, qui non obſtante impetu ad viſcera facto, ſequaces eſſe poſſunt & purgationi obſequentes: illos cogita qui *ſeroſi*, *pituitoſi* & *lymphatici* ſunt, quique feruntur ad partes cœci exitus, aut emiſſariorum exſortes. Succus ſit *nutritius*, qui a ſanguine abſcedendo ſerpat ad nervos, *lethargum*, *ſpaſmodicoſque* ſubſultus daturus; hunc mollitum, ut decet, & ritè tractatum ad inferiora deturbat *purgatio*. Triplici autem de cauſa. Primo. Ad loca ægrè pervia aut difficilis exitus fertur. Secundo. *Lymphaticus* eſt, *inteſtinorum* ſucco congener. Tertio. Coercetur vaſis, *ſecretoriorum* quæ in inteſtina hiant congeneribus. Hæc autem vaſa purgante vellicata, generis ac ductus ſocietate cum ſuperioribus a quibus dependent juncta, hæc ad *excretionem* ſollicitant. *Decapulandi* modus eſt, quo ex ſuperis ad inferiora liquores tranſeunt.

Infeliciùs cedet purgatio, ſi factus ad viſcera humorum impetus, minùs

ſit

ſit a ſucco nutritio a ſanguine ſegregato, ſuiſque excepto vaſis, quàm ab arietante tota ſanguinis maſſa, ſucco nutritio, quem ſinu ſuo volvit adhuc gravida. *Phlogoſeos* caſus ſunt, ſub quibus partes ſanguine ſtagnate impediuntur, tuncque purgationi indulgere, malum conſummare eſt. At obſervandum viſcera eſſe, quæ ſanguis non hoc vel illo ſui ſucco, at tota ſua mole impetere ſolet. Unde concludendum non ab hoc aut illo ſucco venire impetus, qui viſcera illa laceſſunt; proindeque iſtiuſmodi impetus ex iis non erunt qui *purgationi* obſequuntur. Verùm de illorum viſcerum numero eſt *ſtomachus*, qui a ſanguine uno pati conſuevit, quidquid illi evenit mali. Saltem, quod huc ſpectat, a ſanguine naſci conſueverunt *vomituritiones*, quibus laceſſitur ſtomachus, cum *menſibus*, & *hæmorrhoidibus* morantibus aut ſuppreſſis inceſſabilis illi veniat vomendi cupido. Inde, quod vix apud vulgus inveniet fidem, a purgantibus finiuntur minùs quàm exacerbantur vomendi molimina, quæ ſanguinis vacuatio magis quàm humorum evacuatio ſedat. Ratio in promptu eſt, *excretoria* vaſa ſunt quæ a purgatione vellicantur, ſanguiferis autem continentur qui impetunt ſucci. Deeſt ergo illa vaſorum *rectitudo* purgationi neceſſaria, qua ſtimulatæ inferiores vaſorum extremitates ſuccos eliminandos continentes, a ſuperioribus a quibus deſcendunt *conſecutione* quadam ſuccos proliciant.

Ut ut ſit, non ſic accipienda *purgatio*, quæ morborum initiis conceditur, quaſi *judicatoria* ſit aut abſolutoria. Eo animo inſtituenda erit, ut dum ſervandis *directionibus* vacabit, ea ſucci morbidi portio identidem eliminetur, cui nativas *directionum* ſeries retinere datum fuerit aut recuperare.

Inde venit quod iſthæc *purgatio*, ſub ſtatu morbi locum adhuc inveniat, toties iteranda, quoties humor medentis opera ſuis redditus *directionibus*, purgationi proſpera ſpondebit. Id autem uſu venit maximè iis ſub morbis, ubi licet non victrix, vincens tamen natura, non imperat quidem, ſed moderatur. Hic ille eſt fauſtus *purgationis* ſucceſſus, qui audaculis fucum fecit; qui eventus ſpecie decepti, naturam quam obtemperantem invenere, mancipatam opinati ſunt: illius enim quod ſenſerant obſequium, impotentiæ tribuentes, famulitium credidere. Inde *criſium*, earumque appendicum *coctionum* nempe & dierum *judicatoriorum* dominos ſe dederunt & naturæ imperatores. At *nido*, ut ajunt, *majores extendunt pennas*, imperium in naturam exaggerando perdunt; hæc enim rogata dat; coacta negat; nihilominus tamen ea non eſt quæ duci recuſet, at amat ſui cultores; quos inter cautos adjuvat, temnit audaces. Abſit igitur, ut confeſſos hos præcocis purgationis eventus in exempla quotidiana trahas, imitamina erunt non præcepta; decreta non conſilia: artis ſint ſemper aut induſtriæ opera, nuſquam artificum facinora. Princeps enim medicinæ lex eſt, principiſque medicinæ pronuntiatum, morborum initiis non adhibendam eſſe *purgationem*, quæ ut iis deſinentibus in universùm tutior, ſic aptior eſt.

Revera cadente febre, ſedatoque morbi tumultu, vaſa detumeſcunt, ad ſuas *occillationes ſolida*, ſuas ad *directiones fluida* redeunt. Quid inde? In aperto eſt; fluento redditis liquoribus, horum ſinguli ſuas ſeries repetunt, reſumunt ordines, *excretoria* ſubeunt; velutique ſolutis vaſorum cataractis, ſuccorum irrumpit illuvies, partes merſura: tunc opportuna venit *purgatio*, quæ vaſa ſtimulando, ſuccorum *determinationes* adjuvat, corrivanteſque undequaque humores allectat, evocat, exterminat.

Ita providetur, ne *poſt morbos relicta recidivas pariant*. Morbis enim ſuperſtites ſunt humores, qui reſides ſunt, morantes, ſtagnati, aut hærentes. Reſidunt autem ubi elanguida aut deflectente *ſyſtaltica* vi, molliùs, tar-

diùs aut præpoſtere micant alicubi vaſa aut *occillant*. Hac admiſſa culpa, inæqualiter vaſis aut viſceribus redditis humoribus, horum ſtagnationes, ageſtus, *apoſtaſes* exſurgunt, obſtructiones, inflammationes abſcedentia daturæ, quæ infauſtorum morborum poſtrema ſors eſt: hanc avertit denaſcentibus adhibita *purgatio*, quæ vaſa vellicando pungit, pungendo prolicit, proliciendo ducit, dirigit, determinat; *ſolida* ad *occillationes*, ad *directiones fluida*; utraque ad *depurationes*, *ſecretiones*, evacuationes; omnia ad ſanitatem.

CAPUT XXII.

De accommodanda purgatione variis morborum, temperierum, ætatum, ſexuum, conditionum, regionum, & conſtitutionum differentiis, generibus & ingeniis.

PEndet purgationis felicitas a facilitate partium, flexibilitate, obſequio; tum a ſuccorum ductilitate, fluxibilitate, ſitu, vicinia, receſſu; quorum omnium habito reſpectu, locanda venit *purgatio*, citiùs aut tardiùs, fortiùs, debiliùs, ſæpiùs aut rariùs adhibenda. Igitur purgandi norma erit *ſolidorum* ſtatus, ſituſque *fluidorum*. Hæc ubi longiùs receſſerint, hæſerintque profundius; ubi illa fortius obſtiterint, vigentia nimirum aut inobſequentia, purgationi parcetur. Enaſcente *acuto* morbo, utpote cum derepentè oriatur, prope adhuc in januis eſt morbidus humor; unde octo circiter dierum numerus ei ſatis erit, quò ad ea, unde abreptus eſt, *ſecretoria* regrediatur; quæ temporis menſura, uti *coctionum* terminus obſervatur, ita *purgationis* tempus eſſe ſolet. Fortè ea fuerit vis *ſpaſmi* morbidi humores retrò pellentis, ut fulgurationis inſtar momento ad diſſita feratur. Caſus eſt febrium malignarum, ſub quibus pernicitate tanta moventur ſucci, ut a corporis *peripheria* unde remeant, ad arcana vaſa, *nervos* & *glandulas* fulgurire videantur. Inde *cephalalgiæ* immanes, *leipothymiæ*, *comata*, *parotides*, *epiphoræ*, *ptyaliſmi*, *petechiæ*, *exanthemata*, *maculæ* & alia id genus ſtagnatorum vaſorum *capillarium* indicia, quæ malignas febres infeſtant. Revera his ſub morbis *viginti* & ampliùs diebus purgationis opportunitati opus fuerit. Saltem norunt in *hoc priſtino verſati*, quàm longa mora, dempto *orgaſmi* caſu, uti conveniat, ut *purgatio* ſuccedat. Diverſum concipies humoris morbidi ſitum, ſub morbis *chronicis*. *Acutorum* ut plurimùm ſunt appendices; a mixtis, confuſis, implicitiſque aut intricatis ſuccis profectæ, ſuccis proinde tam altè longèque cuneatis, ut ex iis ægritudinibus non paucas compererint artis curioſi, quibus *purgationem* vix accommodare detur. Exempla ſunt *aſcites*, *phthiſis*, *ſcorbutus*, quibus purgationem adhibere, induſtriæ magis, quàm diligentiæ opus erit, audaciæ minus quàm conſilii.

Eiuſdem momenti eſt *temperamentorum* obſervanda varietas, qua inconſulta *purgationem* jubere, ſapientiam exuere eſt. Præcipua ſunt *temperamenta* quæ a *ſanguine*, *bile*, *pituita*, *melancholia* deſignantur, quorum notiones, ſalvo etiam titulorum honore, ſi ut decet, licetque perpendantur, cautiones in *purgando* pluſquam vulgares ſuggerunt. A ſanguinis dominatu intelliges ubertatem ſuccorum mollis texturæ, motus facilis, æquabilis circuitus, exquiſitæ volubilitatis, perfectæ trituræ, qui cum in ſanis puri maximè nati

ſunt,

ſunt, in ægris impurari minùs periclitantur; talium cauſa exigu'os *purgationum* ſumptus facere; peritis uſu venit. Non ſic de *bilis* imperio ſtatui ſolitum eſt, a *bile* enim ſanguinem infectum fateri, *purgationi* annuere eſt. Interim *ſulphuream*, *oleoſam*, *flammigeram* eſſe *bilem* pronunciant, quæ ſub morbis in ſuccum acrem & *cauſticum* abit; *volatile* enim quo a natura imbuta fuerat, *fermentando*, ut ajunt, exuens, in acre *lixivioſum exaltatur*. Ea de re *bilem*, a ſe ſuaque indole nativa degenerem, *oleo* ignem paſſo comparant, adeo ut non ſecùs ac a pingui mitique ſapore deſciſcit *oleum*, quod ignem expertum eſt, ſic a ſuo *volatili-oleoſo* deſciſcens *bilis*, quæ vim ſenſit morbidam, in acre *lixiviale*, *muriaticum* faceſſit. At purgationem, tam parum fatuis humoribus inopportunam, dilaudare, purgatione erudiri minùs eſt, quàm infatuari.

Sequitur *melancholia*, ſuccus ille ſapientium calculo, rebellis & inobſequens, exorandus ſemper, nuſquam extorquendus. Terreus ut habetur, *ſalinus*, *fixus* & gravis, pondere quo inclinatur, ad inferas, quales alvinæ ſunt ſedes propendet. Ita quidem fortaſſis, ſi juris ſui ſic eſſet *melancholicus* humor, ut loco ſtans pondere premeret, aut mole *gravitaret*. At *fixus* eſt non tam gravitate molis, quàm molis ſitu aut poſitura. Cogita ſuccum quo partes aluntur ex *ſalinarum* molecularum myriadibus conflatum, hinc liquorem tardum ac hærentem intelligis, illinc interjectos fibrillarum interſtitiis ſalium aculeos, cuſpidibus proinde hirta partium ſtamina, veriùs dixeris toc veluti cuneolis denſari aut ſtatuminari partium baſes. Igitur obices ſunt partium *ſyſtalticam* vim, aut *occillationes* morantes; quod idem eſt ac ſuo ſibi eſſe repagulo; ſui enim motus authori impedimento eſſe, ſui ipſius tarditatem accelerare eſt. Atqui hic ipſe *ſolidorum* ſtatus, iſthæc *fluidorum* conditio, *melancholicis* tribuitur: qui hos alit humor, non *ſanguineorum* eſt mollis ſuccus; non *bilioſorum oleoſus*; at illius rore, hujus pinguedine defectus, macer eſt; ſalſus & aſper; gravis & hærens. Gravis, inquam, nigricans enim & ater eſt *melancholicorum* ſanguis, a compreſſis, compactiſque *globuloſis* ejus particulis, minùs inde factis volubilibus, aut in motum minùs pronis. Quàm fluxiles parùm ſint & inobſequentes iſtius ſortis humores, in aperto eſt. Eò autem inobſequentes magis, quòd ſero, quod ſanguinis vehiculum eſt, deſtituti, pandantur minùs, minuſque ductiles ſint. Revera *ſputatores*, *tuſſiculoſi*, *catharrhoſi* ſunt, obſervante Hippocrate, *melancholici*, ſed illinc ſaturum ſero ſanguinem cave credas, ab illius partium compreſſione & compactura fit, ut *ſerum* expreſſum, a ſanguine ſegregatum volvatur. Hic *Tantali* ſitim intelligis; *melancholicorum* enim ſanguis, ſero merſus, humore caret; cujus licet inops, aquam egurgitat: a *ſoluto mixtionis vinculo* id *paradoxi* venit; indidem veniente *purgationis* adhibendæ *melancholicis* periculo.

Aliis adhuc patet incommodis *melancholicorum purgatio*; ſuæ ſunt enim illius fallaciæ, ſic ut in illis interdum caſſa fiat aut operatione vacua, interdum præpoſtera, vix aliquando fida, aut medentis conſona conſiliis; alios aut alios ab inſtituto adigens humores. In cauſa eſt familiaris & conſuetus *melancholicis* fibrarum *tonus*. Hæ *ſalino* ſpiritu afflatæ rigent tantillùm, *ſpaſmi* vicinæ. Chordas fingito tibi paulo nimis tenſas; diſſonas audies ſi pulſantur; ſimiliter *purgatione* ſtimulatæ quæ jam præter naturam a *ſpaſmo* nempe dejectæ erant partium fibrillæ, alio quàm decebat ſuccos aſportabunt. Inde videas inter medendum, *purganti* exhibito, *urinas*, *ſudores*, ipſum *ſanguinem* ſuccedere; aut humores, quos ad ima deturbare animus erat, ad ſupera ferri. In exempla veniunt *hyſtericæ*, *ſcorbutici*, *melancholici*, *hypo-*

chondriaci, quibus infausta aut infesta est purgatio. Toties fucum facit aut dolum!

Pituita supereſt, quam ſic a natura comparatam crediderunt, ut purgationi lubens obſequeretur. Lubricus enim ſuccus eſt, *lymphaticus*, volubilis, utpote ex globuloſis iiſdem partibus quibus alba ſanguinis portio, conflatus. Hoc litæ partes humeſcunt, tractabileſque factæ morem gerunt. Fatuum diceres ſuccum, ſaltem inſulſum, quem audacius aggredi datur; adde ignavum, aut inermem, ſalium ſpiculis deſtitutum, quem in motum ciere audeas, ſic morbis, quos *pituita* committit, paratum eſt effugium, ſcilicet in ejuſmodi humore, qui a ſedibus quas hoſtiliter invaſerat ultroneus recedit.

At *pituita*, vox reſque doloſa eſt. Hæc pleriſque venit *ſeri* nomine, cujus ſpecie decepti, *ſero* æque ac *pituitæ purgationem* accommodant. Hic autem *pituitæ* titulo intelligitur *lymphæ* genus, aut ſucci alibilis, ſanguinis partes diluentis, pandentis, adunantiſve. Ut ab hujus ſucci ſanguini æquabiliter admixti dominatu, naſcitur ſanguinis mollities, ab ejuſdem exuperantia venit *pituitoſi* titulus, qui ſuccoſum ſonat. De *ſero* non item, ſuccus aqueus eſt, *ſalinus*, eliquatus, a ſanguini partium conſortio ſegregatus. Id obſervabis in ſanguine miſſo, quem denſum ac pelliceum tegit copia ſeri diffluentis ac ſegregati a ſubſtrato ſanguine. Unde quantùm mollitiei dat ſanguini, quantùm dulcedinis ei apportat & æquabilitatis *pituitæ* ubertas, tantùm duritiei, ſalſedinis, & colliquationis in eo ſupponit *ſeri* copia. Porro quantùm *purgationem* ſuadet ſanguinis mollities, tantumdem ab ea dehortatur ſuccorum *acrimonia*. Fucum fecit & dolum invectus in medicinam *chymiæ analogiſmus*. *Præcipitationibus ſecretiones* comparavere, *ſecretionum*que numero *vacuationes* addiderunt. Unde ad has aperiri viam *colliquatione* creditum eſt; quaſi *ſeri* eliquamina ad *purgationem* monſtrarent iter. At *expreſſionibus* ſimiliores dixeris *excretiones*, totius rei ſuccum, non ſucci portionem aliquam reddentibus; adeo ut quæ huic & alteri ſanguinis circuitui ſupereſt *excernenda* pars, tranſactis iterum circuitibus aliquot trita magis ac comminuta in *ſecretiones* ceſſura ſit. Quantùm igitur *præcipitationi* ſervit *mixti ſolutio*; tantumdem *ſecretioni* adverſatur *ſecernendi* ſucci colliquatio. *Secretio* enim effectio eſt *ſyſtalticæ* virtutis ſuccos adigentis, cui adactioni opus ſunt maximè moles & impetus. At hunc frangi, alteramve decreſcere intelligis in colliqueſcente ſucco, cuius partium vis ut unita minus, imbecillior eſt, maximè cum inæqualiter mixta pellantur inæqualiter. Inde tantùm metuunt artis magiſtri a purgaminibus *ſeroſis*, vix unquam eorum calculo ſalutaribus futuris; hac de cauſa, quod *ſymptomaticæ* colliquationis ut plurimùm, vix aliquando excernentis naturæ ſint opus. Itaque *pituitoſa* corpora & ad *purgationem* paratoria credideris, quæ *lympha* alibili turgidula erunt, *purgationem* ab iis arcendo quæ aqueis, ſalſis, ſeroſis, eliquatis ſcatebunt.

Hinc admonemur quæ habenda ratio, qualiſve faciendus delectus *purgationum* in curandis harum aut illarum ætatum morbis. Hîc autem ætas, non ex annorum numero, neque ex *liquidorum* indole, ſed ex *ſolidorum* conditione definienda eſt. Ætatis enim menſura hîc eſt partium agilitas, aut virium potentia; quæ venit a molli partium *elaterio* ſeu *ſyſtaltica* vi, quæ *ſolidis* propria eſt. At ſub ſenectute, quæ *tabis* genus eſt, humore defectæ partes dureſcunt, & a ſua flexibilitate deſciſcentes, de *elaterio* perdunt. Unde ut contractionibus ſic & *excretionibus* obeundis ſunt impares. Sic conſtitutas admotis *purgantium* ſtimulis proritate ad contractiones, *phlogoſes*, *ſpaſmos* & *erethiſmum* excitare eſt. Inde a *purgatione* cavendum monet *Hippocra-*

tes,

tes, in tabidis & ubi partes extenuatæ ſunt. Poſthac intelliges quantùm in *purgandis* ſenibus cautus ſis oportet aut parcus, nemo enim eſt qui tolerantiùs ferat purgandi cunctationes. Hinc uſu venit, eoque laudabili, ineunte menſa purgare ſenes, ut a ſuccoſa alimentorum parte, id mulciminis mutuetur *catharticum*, quod ex partium mollitudinis defectu periit.

Longè diverſæ ſunt habitudinis juvenum partes, eorum imprimis qui juniores ſunt. Ut enim lactuaria ſunt ea omnia unde orti ſunt & creſcunt, lactua erunt partium emergentium ſtamina. Revera ipſa juvenum oſſa primùm gelaſcentia ſunt, *lympha* adhuc turgentibus vaſis, muco, viſco, pinguedine litis aut madentibus fibris, ſic ut nihil niſi mollitudinem reſipiſcat juniorum corpus; re ipſa infantibus feliciùs cedere *purgationem* proditum eſt. In hujus commodi partem veniunt, qui primam ætatem propiùs contingunt, vel qui non abſimilem referunt partium temperiem. Hujus erunt cenſus pingues aut obeſuli, quorum ſucco turgidulæ carnes, ſanguinis & ſuci nutritii indolem produnt, dulcem proinde & mollem, *purgationi* igitur accommodam; ſic obſervante *Hippocrate*, qui craſſos meliùs purgari ſolere tradit.

Adhuc aliunde venit juniorum corporibus *purgationis* bonum aut neceſſitas. Cogita ex ovo fœtus excluſi corpuſculum, filarium eſſe ſeu glomerem ex innumeris ſimul & exiliſſimis tubulis ſic compactum, ut a *granis* pauculis quæ embryonis pondus ſunt, ad *libras* 100. & amplius in adultis dilatando ſe aſſurgat: tam enormi ſupplendæ moli, immenſum materiæ pondus impendendum erit & dedolandum. Interim nemo facile crediderit juſtam adeo fore & æquabilem *aſſimilandi* ſuci *anadoſin* aut diſtributionem, ut non ſecùs ac in dedolandis rebus, plura non redundent ſuperamenta, futuræ morborum materiaturæ. Hoc eò facilius credideris, quòd confertim magis infantibus alimenta ingerantur, eaque ſuccoſa nimis & craſſiora, pultes intellige & panatellas, quibus, vice lactis materni, quod ſatis fuiſſet, infantulos ingurgitant. Hac ex culpa proficiſcuntur gemina ſucci nutritii diverticula; affatim enim aggeſtus, qui ſenſim tantùm & ſucceſſivè pinſi, terique indiget ut corporetur, copia majori advenit, quàm ut adunari poſſit & *aſſimilari*. Inde deciduæ inutiles reliquiæ utilis materiæ noxia fiunt ſegmina, neceſſariæ futura purgationis pabula. Alter ſucci nutritii confertim advecti error eſt, ab hujus mole ſimul & impetu additis vaſculorum *directionibus* illata vis factaque perverſio tumens ille & fortiùs adactus ſuccus, quos evolvere debuiſſet, involvit tubulos, violatiſque *diametrorum* capacitatibus, miſcet quæ explicanda erant, hinc *glandulæ*, *ſtrumæ*, *rachitis*, ſimileſque partium *tumores* & perverſiones, infantibus familiares; quibus averſendis aut expediendis opportuna venit *purgatio*: a practicis ideo commendata in infantium morbis, quòd ab *addephagia* hos oriri confeſſum ſit.

CAPUT XXIII.

Pergitur in aptanda purgatione ſexuum, conditionum, regionum & conſtitutionum *differentiis*.

PRonuntiatum eſt *pituitoſas* eſſe fœminas, reſidibus, ignavis, & frigidis humoribus ſcatentes. Huic aſſertioni fidem fortè fecerit illud *Hippocratis*; *fœmina ab aqua incrementum accepit ... Unde rara eſt & laxa ac veluti fluida ... Cumque rara ſit & mollis humiditatem non remittit*, unde pituitoſas illas eſſe crediderunt, unaque omnium voce receptum eſt. At hæc omnia *ad tactum & viſum*, ſeu ſenſus & ſpeciem pertinere monuerat ſapientiſſimus ille naturæ magiſter, non ignarus abſtruſiorem eſſe fœminæ naturam, quàm ut obviæ rei, fatuæque aquæ aut *pituitæ* ingenio comparari ſatis haberet. Num id injuriæ intuliſſet ſexui imbelli, virorum iniquitas, qui fœminis unde tantùm ſibi metuendum ſentiebant, malignè invidentes, vindicata ſibi ignis natura, vilis aquæ indolem illis adjudicarunt. Mulieris naturam extenuare amantes, verentes definire. Revera de *natura muliebri* & morbis inquit Hippocrates, *iſta mihi dicenda ſunt, potiſſimùm quidem in rebus humanis cauſam eſſe divinum numen, deinde mulierum naturas*. An quod *numen magnam vim in homines habet, deinde natura mulierum*. Ita ſentit ſpectabilis admodùm *Hippocratis* interpres. Ad ſexus potentias aut æſtus exponere *Hippocratis* conſilium tam parùm fuit, ut totum illud naturæ muliebris *divinum*, de mulierum *morbis* exprimat ipſe *Hippocratis* textus. Itaque *divinum* illud quod reſipiunt mulierum morbi, in illorum morborum dolis, fraudibus, mutabilitate ac inſidiis verſatur. Ex illa enim denſa malorum cohorte, quæ ex infenſa humano generi pyxide emerſit, ut lethaliora nulla ita nulla maligniora aut dolo pleniora ſunt quàm quæ a ſexu prodeunt. Ideone id infortunii contigerit mulieribus quòd *uterus, gravis calamitas, ſexcentarum ærumnarum author* ſit? Suaderint varii ad omnigenas corporis partes facti ab utero inſultus: *cùm* enim *uteri loco moti fuerint, ii alias alio iruunt*. Cùm autem *quælibet occaſio ſatis ſit ad commovendos uteros, ad caput, ad præcordia; ad cor, ad ſtomachum, ad hepar, ad coxam, ad lumbos, ad veſicam*, indè pullulant multiplicia *ſymptomata*, quæ morbos in hominibus ſimplices futuros, intricant, obſcurant, miſcent, impediunt in mulieribus; cùmque ſuus cuique *ſymptomati* aſſignetur humor, in mulierum morbis frequentandam eſſe *purgationem* evulgatum eſt. Hanc iniquam purgationis interpretationem avertebat *Hippocrates*, ſubmonens *uteri affectus magna ex parte a flatibus ducere originem*; a flatibus autem, qui materiæ aut humoris larvæ ſunt & umbræ, quas purgantibus aggredi, aërem verberare eſt. Revera, non humores, ſed ſanguinem æſtuantem & flatulentum cumulando, morbos accerſit uterus. Sanguiferum organum hic eſt, ſingulari & proprio circuitu donatum, qui univerſali totius ſanguinis circuitionis æquabilitati conſonare debet & conſentire. Viſcus enim eſt fœminarum corpori additicium, cujus vaſa, quæ innumera ſunt, ad circuitûs leges & conſonantias, ſanguis permeare debet; quaſi corporis appendix eſt, ubi ſanguis non minùs quam in cæteris viſceribus, ad libellam & æquilibrium præterfluere debet. *Gravis calamitas*! clamat *Hippocrates* de *utero* agens, imò diſcrimen hinc ingens, ac ſeminarium morborum ferax! In tantùm ægritudinibus anſam præbens, in quantùm ſuccorum *æquilibrii* rationes, neceſſitates, occaſio-

caſiones multiplicat. Conſtet in virili corpore æquilibritas in *cerebro*, *pulmonibus*, *hepate*, &c. Stabit ſanitas, quæ ruet in femina à cujus utero aberit *æquilibrium*. Id autem calamitatis venturum toties violari contigerit, aut immutari, ſtringi id eſt aut dilatari plùs ſolito vaſorum capacitates aut *diametros*. Quam ſæpiſſimè autem futurum id, portendit nervoſa uteri, vaſorumque undè densè texitur compactura, quam ſi ſexui iracundo non infrequenter molli ſæpè, tenero ſemper unitam cogitabis, vix eris capiendis ægritudinum ſexus cauſis, rationibus, occaſionibus, periculis.

Imò verò miſſis animi *pathematis*, cordiſque affectibus in quos faciles adeò ſunt, ſic a natura comparatæ videntur, ut ſuapte conditione, aut ſexus neceſſitate perdendo ſanguinis circuitus *æquilibrio* pateant. Puellarum ætas in ſecernendis, excernendis, perennandiſque *menſibus* tota occupatur, ſic ut, ſi reſtiterint, ſubſtiterint, aut periodo defuerint, decolores, pallidæ, languentes, *hyſtericæ*, flatuoſæ, *hydropicæ*, degant. His graviora ſuccedent in nupturientibus; interim ſi viro junguntur, altera cura: matrimonii felicitas fit infelicitas ſanitatis; a conceptu enim morantibus menſibus, graviditatis tædia emergunt; tùm partus pericula, a *lochiis* retentis, ſuppreſſis, immodicis, vitiatis, verbo a ſanguinis inordinationibus naſcitura. Verùm utrumlibet fecerint ſibi vitæ genus, cœlibes fuerint aut nuptæ, utraque manet ineluctabilis menſium finitionis neceſſitas, ita ut in eadem mala à quibus menſium acceſſu emerſerunt, eorum receſſu immergi periclitentur. Indè conſequitur ſanguinem eſſe, non humores, illùmque devium, deflectentem, & a tramite delirantem unde naſcuntur mulierum morbi. Reipſa ejus inſufficientiæ ſunt & inefficacitatis *purgantia* in ſanandis uteri morbis, ut hæc caſſa tùnc temporis comperias aut periculoſa; quæ cauſa fuerit propter quam tam infrequentes ſunt curationum ejuſmodi felices eventus. Sic virgunculam, defectam menſibus, chloroſi pallentem, carnibus exſuctam, flatu tumentem, marcentem febre, ſero madentem, ardore tabidam, morbo minùs quàm morborum ſatellitio extingui vides? In cauſa eſt medicandi error; minuendis humoribus das operam, quæ in dirigendo, farciendo, & revocando ſanguinis circuitu meliùs erat collocanda. Tam infelix eſt gravidarum curatio; in humorum enim ſaburra quæris *vomituritionum*, *picæ*, *malaciæ*, *apoſitiæ*, *intumeſcentiarum*, *laſſitudinum febrium*, &c. cauſas, quas in ſanguine retrogrado, ſtagnante, devio inveniſſes. At graviora nullibi ſenties *purgationum* delicta, quàm in *parturientium* & *puerperarum* affectibus; ſanguinem enim, ubicumque humores evacuandos clamitant, evacuando, artis prodigia quæ pollicentur non promunt, experieris, eas eluctando quas experiuntur *purgationum* calamitates. Adventantibus ſenectæ tædiis addita ſexus incommoda vides, fæminarum perit faciei flos, languet appetitus, artus ingraveſcunt, ſpiratio impeditur, linquuntur animo; ipſa mens ægreſcit, aut mœſtis territa, aut vanis luſa imaginibus; verbo *hyſtericæ* fiunt, *melancholicæ*, *hypochondriacæ*, expreſſa ex mœrore ſimulacra, quæ jucunditatis & gaudii dixiſſes ſpirantia ſigna. Tam fœdæ *metamorphoſi* ſuccos affingis tetros, degeneres, putridos, omnia conſpurcantes; quibus exterminandis nullum non fingis purgandi genus, evacuationem vi aut arte invocando. Perditam ſæpè, noxiam interdùm ſies operam, & meritò, nam morbi cauſam nedùm aſſecutus; ſanguinem fugas, turbas, a circuitu dejicis; ampliùs quod rei caput eſt, partes exaſperas, viſcera torques, vaſa ſtringis, ſicque vaſorum *diametros* minuis, vias obſtruis; malorùmque cauſas, quæ vaſorum *ſtricturæ* ſunt multiplicas. Quas enim ſeneſcentibus fæminis ægritudines accerſit partibus inuſta labes, ulteriùs ne requiras, violatio eſt *ſyſtalticæ* virtutis aut immutatio. Senium enim quid eſt? *Maraſmus*, iſque partium *nervoſarum*, quæ cùm *ſpermaticæ* habeantur, ſeu ſanguine defectæ, tabem primæ ſentiunt.

At hujus sortis sunt uteri stamina, quæ primùm proindè marcent aut arescunt: Indè depressa vasorum latera, connivent & arctantur, à suisque capacitatibus decidentia advectam sanguinis consuetam molem respuunt, quæ aliò *retropressa*, malorum quæ a retrogradis *mensibus* contingunt, dat origines. Hinc abscedentibus *mensibus* succedere *fluorem album* frequens est, purpureo enim rore viduatæ uteri partes, lympham plorant; nimirùm arescendo se contrahunt, quemque sanguinis loco altiùs imbiberunt & cumulatiùs, succum nutritium exprimunt & eructant. Sed pulsus sic & ejectus ab utero sanguis, doloribus & malis corpus omne sternit. Ad *hepar*, *icteri*; ad *lienem*, *schirrhi*; ad *mammas*, *carcinomatis*; ad *glandulas*, *strumarum*; ad *pulmones*, *asthmatis & tabis*; ad *nervos*, *spasmi* fomites & materiem vehit. Hanc *purgantibus* exhauriendam objicis? Tutiùs siccabit & meliùs, attemperata sic sanguinis moles, ut æquabilis veniat ad partes, & facilè circumagatur.

Ex abundanti de *lactantium* aut nutricum morbis audies; æquè noxiam iis esse purgationem; succi enim tunc eluxuriantes, a sanguine circuitui reddito resorbentur pleniùs quàm a purgantibus vacuentur, a quibus malè mulctati furiantur, disjiciuntur, cuneantur.

Aptanda quoque purgatio variis vitæ, diætæ ac conditionis generibus; sic qui rura colunt ac laboribus se miscent, ut exercita sunt, firmatave labore eorum corpora, lacertosa sunt: tùm ex succis *fixioribus* aut minùs *volatilibus* compactus sanguis, ut ignavior, sic ductilior est. In his habes, firmitatem in *solidis*, quæ succos validè excernant, obsequium in *fluidis*, quæ excerni patiantur. Interim admonet rusticorum & similium vitæ genus, a *purgantibus* non rarò abhorrere eorum succos; ita ut *alterantibus* meliùs quam *evacuantibus* curentur. Qua de re videas ruricolas, qui sani abstemii sunt, sanari vino, & reconvalescere; fortè quia refocillari maximè indigent. Revera istiusmodi sunt eorum succi qui raro exsuperent, aut superfluas sui dent aut linquant reliquias. *Olera* sunt, *legumina*, *fructus*, & *lactaria*, undè miseram, longævam tamen trahunt vitam, quæ eliquabilia, mollia, tritùque facilia sunt adeò, ut tota in *transpirationem* abeant. Disparia sunt edulia quæ finxit erudita luxu divitum gula, carnaria sunt enim, fibrata, ægrè discerpenda, tritu difficilia, superamentis ergò mille ac superfluitatibus obnoxia, dignis purgantium pabulis.

Purgationum facilitatem alit spondetque potulentorum consuetudo. Cùm enim nutricatio *fluidorum* opus sit, potus utpotè *fluidus* maximè latè diffluens, & meabilis, communeque alituræ vehiculum, partium ductilitati confert non mediocriter; ab eo enim habent *solida* undè flexibilia sint; *fluida*, undè fluxibilia evadant. Eâ de causa sub morbis observabis, alvum purgantibus obsurdescere aut exasperari iis, quibus familiare est inebriaminibus seu ignitis vinis indulgere. Hinc intelligitur quæ *regionum* habenda ratio in administrandis purgantibus. In summa liberaliorem admittunt purgationem istius modi *regiones*, quæ *transpirationi* favent minùs. Cæterùm cave credas, parciorem esse *transpirationem*, ubi natura sua frigidius cœlum est; *septentrionalium* corpora, ut firmiora sunt, aëris asperitate durata, tardatæ aut impeditæ *transpirationis* affectionibus patere minùs deprehenduntur. Interim purgationis necessitati aliundè obnoxii fiunt *septentrionales*, voraces sunt enim, eduliorum imprimis, vulgò crassiorum, at revera altilium maximè, illius nempè naturæ, ut ex his, cùm trita subactave fuerunt, nulla retrimenta, feces saltem quam minimæ redundent. Nihilominùs tamen, ex his intrà corpus emergit sanguinis succosi, *lymphatici* seu pituitosi luxuries, istiusmodi nempè, quem purgationem suadere & invitare ostensum est. Hæc ad nostrates non adeò spectare nè credixis; ex his enim quæ de septentrionalibus hic habes, profuturam hanc quibus-

vis

vis terræ plagis purgandi regulam ſtabilire eſt: liberaliorem purgationem concedunt illæ regiones, ubi vegetior corporum *ſyſtaltica* vis, nec cupidiarum ſaporibus extremis, nec vinorum familiaritate, vel igniculis labefactata, ſuccorum ſed laudabilium exuperantiam parat, aggerit, cumulat. Adde, quæ ad has ideas conferant, locorum campeſtrium, nemoroſorum, montanorum, paluſtrium incolatum, frugalitatis, ſobrietatis, ſimplicitatis cultùm, corporis exercitationum conſuetudinem. Ex horum omnium defectu vel uſu, inferre erit qualis futura *ſolidorum* textura, quale *fluidorum* ingenium, qualis utrorùmque vis, conſpiratio, quæ tandem ad purgationem potentia, habilitas, & aptitudo.

Nec te prætereat ſuum eſſe morbis ingenium; miſſa enim nativa quorumdam *idioſyncraſia*, quà univerſis *in genere*, vel his aut illis *in ſpecie* purgantibus nonnulli repugnant; miſſis quibuſdam morborum generibus, quæ parciſſimum in purgando medicum poſtulant, de quorum numero ſunt *inflammatorii*, *ſpaſmodici*, *torminoſi*, & *hæmorrhoici* affectus; miſſis iterùm quarumdam partium morbis, quales *pulmonum* ſunt, & *renum* & *veſicæ*, turmatim identidem non ſecus ac ſydera nova exoriuntur *epidemici* morbi, has vel illas infeſtantes regiones, qui primùm ſunt incertæ medicationis. Hi quidem cùm rapidè invadant, celerem poſtulant manum; quam celeritatem a purgationibus vulgus expectat, utpotè quæ hoſtilibus ſuccis de repentè exterminandis aptæ videantur. Ex his tamen ſunt qui purgantia deſpiciunt aut reformidant, horum temnendo ictus aut timendo. Igitur ſuſpenſo gradu hic progredi cauti eſt artificis, ſic ut ſapientiæ hic lex una eſſet, ni aliundè medendi jubar affulgeret.

Hic de *purgatione* lis eſt, quam *conſtitutionum epidemicarum* abſolutoriam judicarunt. Hanc illi haud dubiè apud vulgus obtinuerunt fidem fauſti eventus, quam illi derogari nolimus; notacula ſolùm oſtendere conſilium eſt, quibus indicibus *purgatio* opportuna adhibeatur.

Obſervabitur alterutrius culpa, *ſolidorum* vel *fluidorum*. eruperit, creſcat aut foveatur novus morbus, tùm alteruter prævaleat, illorum *ſpaſmus*, vel horum tumultus. Conjecturam capies a *fluidorum* conditione; an a ſua mollitie, volubilitate, fluiditate deſciverint; tùm a *ſolidorum* ſtatu, an ſuas occillando retinuerint *directiones*. Hoc teſtabuntur *ſecretionum* ubertas, facilitas, periodi. Sic *alvum* non ſiccari, fluere *urinas*, ſputa exire, ſuis temporibus prodire menſes, rectricis adhuc ac dominantis naturæ ſigna ſunt. *Fluidorum* ſeu humorum conditionem oſtendet *linguæ* facies; illorum ardorem, *acrimoniam*, *aduſtionem* aut *empyreuma* illius ſiccitas, ſcabrieties, aſperitas: illorum temperiem, dulcedinem, uvorem, illius humor, nitor, mollitudo. Luſtrabis quoque *fluidorum* veſtigia, pronitates, *inclinationes*, rimando quò ferantur, quove vergant, an ad *convenientia loca*, & purgationi accommoda, an ad aliena, aut inopportuna *purgationi*. Denique in concilium adhibebis morborum *communitates*, *relationes*, ſimilitudines, *analogias*, contendendo in eam mentis perſpicacitatem, quam ex uſu venaberis, diſces exemplo, ſtudioque obtinebis & medicinali ingenio; qua perſpicacitate, ex *ſymptomatum* cert. *ſyndrome*, meliùs, ex certo morbi & ægrotantis rerum conſpectu, quem edocet erudita conſuetudo, de *purgatione* augurantur artis magiſtri non infeliciter, ſapienterque decernunt.

CAPUT XXIV.

De purgandi *ratione & intentionibus in morbis particularibus.*

Primùm.

in morbis cerebri.

AD *purgationis* facilitatem faciunt & felicitatem, morbi ſedium anfractus, receſſus difficiles, remoti, flexuoſi. Has difficultates humoribus imputabant *humorum* patroni, qui ſuccos impactos altiùs exiſtimantes, diſſitos nimiùm, purgantiùmve potentias eludentes, intactiles purgationi, aut invincibiles pronuntiarant. *Purgantibus cephalicis*, quæ omnia *phlegmagoga* ſunt aut *draſtica* nomen fecit & fidem iſthuc cogitatum; cui fulcro fuit traditum *cerebro* munus: *frigidi & humidi metropolim* illud eſſe prodidit *Hippocrates*, quod *pituitæ* ſedem aut officinam eſſe interpretati ſunt, nobiliſſimam corporis partem: in fœda ſeri colluviaria mutando. At in voce æquivocant, de ſucco ignobili, crudo & inutili exponentes, quod maturo & omnium mobiliſſimo competit. *Lympham* dicito, quod *pituitam* vocitant, de cerebro verum narraveris. *Lymphæ* enim, ſucci nempè *nervoſi* promtuarium eſt aut immiſſarium, quò confluit *lymphæ* nervorum omnis. Quid enim amabo tibi monſtrat tota illa oculis indigeſta cerebri moles? Pultaceam, mollem, humidam frigidamque ſubſtantiam? At imò in hac nervorum omnium ſcaturigo eſt, fons ergò perennis & aſſiduus *lymphæ* nervorum, qua madet tota atque mergitur. Amplius, in hac habes tubulorum mille glomeramen, omnium animali futurorum motuum, affectionum *ſenſationum*, cogitationum ſummam ac compendium. Tapetium *ichnographiam* cogita, mille filorum nodis inconditè, ut videtur, adumbratam, quæ ut ut confuſa textorum inter digitos, in elegantes, mirabileſque imagines erumpit; rudem tenes cerebri confuſæ molis notitiam. Ut enim illic conduntur emergentium imaginum liniamenta, hic ſuo velut in ovo concipis, idearum omnium conditas a creatore materies & inſtrumenta. Milliaria nempè fibrarum mollium, flexibilium, ad omnes motiones, flexus, curvaturas, inclinationes, evibrationes comparata. His omnibus & ſingulis emotionum generibus ut fibræ promptè ſerviant & expeditè obſequantur, ſucco dulci, ductilique natare debuerunt & inebriari, quo ne unquam carerent, copioſo immergi curavit natura, ut levioribus titillationibus aut vellicationibus obſecundarent, eas acceptando *directiones*, ſitùſque ac flexuras ſumendo, ad quas inclinarentur. Igitur molliciem illam, humiditatem, & frigiditatem, inconſulta natura cerebro veniſſe ne credas; ſic conſtitui, compingique neceſſe fuit eam corporis partem, quæ ut cera mollis, faciliſque inſculpi, totius animalis *œconomiæ* motuum & idearum cælaturis dicabatur; tenacem, ut rerum ſigilla ſervaret: ductilem, ut ſingula exprimendo, *phantaſiæ*, menti, memoriæ redderet; merè tandem *paſſivam*, ut cælamini nulli repugnaret, omni ſerviret injuſſa. Quid hæc, inquies, ad medendi artem? Certè ademendandas aſpernabiles (quibus faſcinantur medentium mentes) cerebri morborum *ætiologias*, dolendoſque antiquatæ phyſices malè ſanos conceptus. Cerebri enim affectus, mentiſque hallucinationes, quæ a fœda *pituitæ* copia, committi evulgatum fuit, veras eſſe fibrarum cerebri per-

verſiones & *ataxias*, vitiataſque illarum *directiones*, *vibrationes*, *oscillationes*, revelat meliùs erudita *phyſiologia*. Cogitatus enim *immaginis*, *ſenſationum*, aut motuum aberrationes ſunt, quibus remediorum tormentis medeberis infeliciùs, quam induſtria aut ſagacitate.

Remediorum inſidias hic ſenties imprimîs aut ludibria, ſi de *purgantium* numero fuerint, quorum quò uberiores erunt effectus, eò infenſiora evadent; veras enim morborum cauſas non tangent, dùm eas quæ ſanitatis ſunt, in ſucco vel *lympha* nervorum ſitas, deprædabuntur. Re vera quò copioſiorem *pituitæ*, (quæ *lympha* eſt, fomentum nervorum & nutricula) quantitatem evacuando obtinuerînt, profuſiùs eò prodegerînt *vitalem* ſuccum aut vitæ fontes ſiccaverint. Inſuper animadvertere juvat, quàm ægrè ac tardè purgantium vim ſentiat aut ſequatur iſthæc nervorum *lympha*. Hanc operandi difficultatem monſtrat nervorum conditio; *arteriarum* (ut & *lymphatica vaſa*) appendices ſunt, additamenta aut productiones, funiculis, non tubulatis aut alveatis, quî ſuccos ab arteriis ſibi venientes ſorbent aut bibunt, non alveo proprio condunt aut complectuntur. Hinc conſequitur, quantos in ſanguine moveris æſtus, quibus nervorum *lympham* ad *ſecretoria* ſanguinis prolicias & evoces; qualeſcumque ad nervorum confinia appellant ſanguinis fluctus, ſilebunt; cœcis enîm aut imperviis *ſolidis* impingendo *fluida*, vi cadent & impetu. In eliquandis ergò *pituitoſis* cerebri humoribus, præterquamquòd in deterrendis vitalibus ſuccis operam ludere eſt, periculis ægrum, opprobriis artem eſt objicere.

Morbi enim cerebrî, utpotè ad nervos pertinentes, *ſolidis* maximè proprîi erunt, proindèque *purgationibus* ſubjecti minùs. Nam ut contrariorum ſimiles ſunt rationes, ab iiſdem rerum modis exeunt, morborum & ſanitatis cauſæ. A *ſolidorum*, quæ fibrillæ ſunt, ſitu, directionibus, poſitura, affectionibus fovetur ſanitas; eorumdem inflexus, diſtorſiones, diſtractiones morbos dabunt. At quantùm cum *fluidorum* exuperantiis, exceſſibus, vitiis, ſaporibus, convenit purgatio, tantùm *ſolidorum modis*, aut *rationibus* alienatis repugnat; illa enim *purgationi* morem gerendo in evacuationem cedunt, hæc ſtimulata in *ſpaſmum* abeunt.

Id intereà donandum, graviſſimis cerebrî *ſymptomatis* auxilio præſentî eſſe *purgationem*. Sic *lippitudine laborantem ſponte fluens alvus juvat*. Item *quibus biliosæ dejectiones, ſuperveniente ſurditate ceſſant*; & *quibus ſurditas, ſupervenientibus biliosis dejectionibus, ceſſat*. Igitur alvinam regionem inter & cerebrum mutua dari commercia non obſcurum eſt. Id rei evincit fauſtus interdùm *purgationum* eventus, ſi tempore & loco prævertendis peſſimi *cerebri ſymptomatis* adhibeantur. Iſtiuſmodi ſunt ſoporoſæ affectiones, *lethargi*, *tendinum ſubſultus*, quibus *purgatione* mederî docuit obſervatio. Non minùs confeſſa res eſt *apoplexias*, *epilepſias*, *paralyſes* catharticis levari ſanarive. Undè non temerè inferas cerebri morbis utilem eſſe, amicam & neceſſariam *purgationem*.

Hæc ut confiteri decet, obſervare quoquè convenit, ex purgantibus efficaciora, ex hiſque *ſtibiata*, quæ ſtimulantia ſunt, laudari in cerebri morbis & proſperare. Hoc autem temerè obſervatum nemo crediderit, undè ſe prodit purgandi cerebrî legitima ratio. Surgente morbo, inſurgentibus & exſuſcitatis *ſolidorum potentiis*, *ſyſtole*, ſcilicet & *preſſionibus*, *fluida* undequaque pulſa diſjectave, eo maximè ferri, quo uberiùs confluere naturâ conſueverant, nemo eſt qui non intelligat. *Fluidorum* autem confluvium eſt cerebrum, quò nempè rapi ſolet ſuccorum confluentia major. Indè conjicias omnium corporis partium poſſe luere pœnas cerebrum, quò videlicet refiliunt, repulſam alicubi paſſi liquores. His autem deturbandis & ad infera revocandis ſervit purgatio, quæ ſtimulationis genus eſt, corporis centro concitatæ, in intestinis nempè, iiſque partibus

bus, quæ ut nervis maximè conſtratæ ſunt, ſic cerebro, a quo nervi naſcuntur, cohærent magis, atque conſonant. Igitur cùm a morbi cauſa cerebro metuitur, præmiſſis, artis ex conſilio, quæ operationis felicitati præludere debent, catharticum miro veniet auxilio, hujus enim vellicatione veluti admonitæ fibræ, eum capiunt, induuntve *tenorem*, qui, venturo ſuccorum impetui obſiſtat ſimul, ipſoſque ſuccos det præcipites. Ut decet enim ſtimulatæ fibræ, id *elaterii* acquirunt, quo tuentur ſe validiùs, efficaciùſque inſilientes ſuccos deturbent.

Sed hinc aliundè redit ægro utilitas, ſecuritaſque remedio. Millia punctis mille intrà inteſtina deſinunt *excretoria* vaſa, blandè ſic conniventia, ut titillata facilè dehiſcant. Tot parata putaveris humoribus effugia, quibus neceſſariò elabantur. In propatulo enim eſt debacchantis ebullitione muſti ſedari iras atque tumultus, arte facto anguſto dolii foramine; liquor enim ferociens, non ſecùs ac potentia impetum faciens, eò rapitur ſpontè, ruitque ubi, aut apertior via eſt, aut reſiſtentia minùs ſentitur. Hinc quid accidere debeat ſuccis, ſub morbo concitatioribus factis, conjicere in promptu eſt, dehiſcentia enim *excretoria* vaſa, vellicatione nempè reſerata, tot exitus dant aut aperturas, quibus, diffla tis vaſis, ventilantur ſucci, *potentiiſque* undequaque prementibus morem gerentes, eò feruntur ubi *reſiſtentia* minor, patenteſque ſe dant exitus. Porrò efficaciùs hanc evacuationis artem ſuccedere neceſſum eſt, cùm *cerebrum* versùs, ſeu ad *nervos* ruentes ſucci, eos autem arteriis quidem continuos, ſed non tubulatos, in quos pleno aut facili alveo transfundi ament, aut decapulari; multùm ſentiant reſiſtentiæ ex parte cerebri; dùm inteſtina tubulorum myriadibus, arteriis continuorum pertuſa, effugiorum milliaria iis offerunt.

At indè colligas, quo ſtudio, quave diligentia opus fuerint, in præparandis ad *purgationem* partibus, emolliendis id eſt inteſtinorum *fibris*, ac *ſecretoriorum* tubulis, quò purganti venturo, futuræque ſtimulationi. Hac enim omiſſa conditione, prolecti eò loci ſucci, ubi cæci fuerint, aut difficiles exitus, *moti non promovebuntur*, purgantiſque puncturis diſcruciatæ partes aperiri indociles; tormina dabunt, cruciatus, *phlogoſes*, inteſtinorum difficultates, *teneſmos*, tenſivos abdominis tumores, flatuoſas prominentias, ſpaſmodicas tenſiones, ſimileſque miſeras præproperæ aut infelicis *purgationis* appendices.

Hac occaſione obſervabis quam timidè uſurpaveris purgationem, iſthæc ubi præoccupaverint *ſymptomata*, argumenta non incerta, *phlogoſi* partium aut *ſpaſmodica diatheſi*, occluſos *ſecretoriorum* exitus, compreſſaque ſic eorum oſcilla, ut licet ſtimulata quantumvis, coeant arctiùs, & hiare recuſent. Nec aliundè, quod obiter monitum erit, repeti debet caſſi aut miſerabiles tot *purgationum* eventus.

Cæterùm ut hic in tuto ſit adhibenda purgatio; internoveris an à ſuccis ſtagnantibus in cerebro foveantur, quæ urgent *ſymptomata*, an ab irrumpentibus ſuccis naſcantur. Si prius, loco ac ſedibus fixi, ſtanteſque ſucci, *purgationi* non obſequentur, immotique vacuantis vim eludent. Si poſterius, ut mobiles adhuc, remedii vi auſcultando, morem gerent. Hinc intelligis purgationum miracula ſub *acutis* morbis, ſi opportunè adhibeantur, à quibus ſurditates, ſopores, deliria fugari illicò vides, ea de cauſa, quod cùm ab evehentibus ſe ad cerebrum ſuccis oriantur illa incommoda, ab his facilè adhuc deturbandis ſaneſcunt. Annè colligeres tutiorem ut feliciorem eſſe purgationem cerebri ſymptomatis ſub *acutis* affectibus; quàm ſub *chronicis*? Re ipſa non adeò ſuccedit ſub *apoplexia*, *paralyſi*, *epilepſia*, *ſurditate*, *cæcitate*. Paradoxi hujus veritatem aperiet meditatus uſus, qui *purgantia* ex conſuetudine magis, quàm ratione his morbis vix ſanabilibus adhibita oſtendet. Verùm enim verò vix ex morbis ullos habeas purgationibus exercitos magis, dùm ægrè nonnullos ex illis affectibus

bus *purgatione* ſanatos conſpicias. Revera qui fiet, ut remedium quod præſentiſſimum fuerit, felici ſucceſſu frequentiùs cadat? Rationem prodit ſuccorum facta quies ſub his morbis, qui a ſanguine ſtagnato potiùs, nervorum funiculos, partiùmque cerebri ſtamina inebriante ortum habent, quàm ab eodem ruente adhuc & in motum acto. Indè obſervabis naſcentibus iis affectibus, aut eorum *paroxyſmis* proſperare magis *purgantia*, quæ illis conſeneſcentibus adhibita, ægrorum ac vulgi paſcunt meliùs animos, quàm morborum illorum cauſas depaſcuntur. An hinc a purgatione abſtinendum concludes ſub his morbis? Imò huic indulgebis, modò intellexeris minuendis, deterendiſque malorum iſtorum fomitibus eam deberi magis, quàm exhauriendis, ſiccandiſvè eorum cauſis. In dies enim accreſcunt & aggeruntur ſucci, qui ad affectas ac debiles partes confluentes, augerent malum aut præcipitarent, quos appoſitè reſecabit purgatio: at altiùs hæret, & alterius ordinis eſt genuina cauſa, quæ commiſit primò iſtos affectus, cui ſi purgatione una mederis, *gladio ignem extingues*. Verbo morborum illorum agmen opportunè claudet purgatio, quæ his infauſtè præludet.

Obſervationis illius veritatem aperit *purgationis* eventus, qui dùm in *ſanandis tendinum ſubſultibus* felix eſſe ſolet ſub *acutis morbis*, artuum *tremores* ſenibus familiares nimium exaſperat. Illic ſanguis allidens & arietans, ſuis adhuc vaſis coërcitus, purgantis incurſui, potentiæ ac *determinationi* ſubjacet adhuc; hic rorem peſſimum, quo infuccati ſunt, nervi eluctari aſſiduè nitentes, fortiùs *occillant*. Igitur ſub illis habes *fluidorum* vitium, quod emendare *purgatio* potis eſt; ſub his *ſolidorum* affectum, quem *purgatio* fovet aut auget.

CAPUT XXV.

De purgandi *ratione & intentionibus, in* morbis pectoris.

ETIAM in *morbis pectoris* profuſa facta eſt *purgationum* luxuries, cujus ejectitiorum ſeu excrementitiorum humorum pretextus cauſa fuit; ſuis enim ejectamentis, ſeu *excrementis* diffluere quoque pulmones opinati ſunt. Reipſa, inquiunt, *excrementorum* partis illius, quantitatem æſtimare voles? *Glandulas* numera, pluſquam fœcundas, prodigas nempè ſeroſi laticis origines. Hæc ſi pauca ſunt, exſpirantis halitus denſiſſimam caliginem judicato, ſputa, viſcos, phlegmata, tot ſinceras difflati, expedientiſque ſe ſanguinis exuvias inſpicito; *lympha* certè, *fero*que quod viſceribus cæteris conſuetum eſt, madere non ſolùm pulmones, aſt iis prolui mergique neceſſum aſſeveraveris. Hæc cùm ità ſe habeant in ſanis, qualis & quanta non erit exoritura *ſeri* colluvies in ægris, cùm ſanitatis & morbi communes eſſe ſoleant cauſæ? Poſthàc ut ab una *ſeri* luxurie repetendæ ſunt pulmonum ægritudines, in expurgando *ſero*, ſiccandave *lympha* ponenda erit illarum medela. Hac cantiuncula canitur, hiſque nugis fidem meretur obvia cuique medicinæ illius facilitas. Aſt hic quoque effectum cum cauſa miſcent, illoque unicè capti, hanc omiſere: nam quod in pulmonibus *ſerum* aut *lympha* luxuriet, *ſolidorum* non *fluidorum* culpa contingit, quam rem aperit, viſceris hujus non meditata, ſed conſpecta ſolùm natura, intellectaque functionis illius œconomia.

Pulmonem habeto faccum aut marſupium membranaceum ex lobulis ſeu locellis mille aut veſiculis compactum. *Nerveum* textum videre videberis, arctari, dilatarique promptum, produci contrahique idoneum, *elaſticum* proindè natum.

natum. Fibras adde *contractiles*, *compressiles* & *musculosas*, quibus singulæ illius *vesiculæ* donantur, nullam in corpore partem animadvertes substantia tam *elastica*, tamve mole sua *muscularem*, imò ne ullius umbram, quæ intrinsecùs & sigillatim adeò *musculosa* sit & *contractilis*, cùm lobulus quilibet aut *vesicula*, *musculus* sit cavus & singularis.

Igitur hic *musculum* habes pendulum, non simplicem sed compositum, tot ex *musculis*, quot vesiculis adunatum; *compressilitatis*, aut compressionis organum, ingentis aut multiplicis potentiæ, eò ingentioris, quod a nulla alternante aut opposita temperetur; fortean, id alternationis officii expectabis ab *elaterio* vesicularum parietibus innato, quo depressi ultrò resilirent: at textus illorum parietum succis illis gravis, quibus turgent illi tubuli quibus constat, spontaneæ *resilitioni* impedimento erit; at hic *antagonistam* sufficit aër, cujus *compressiles* spiræ, vesicularum cavo coercitæ, contractos earum parietes, resiliendo dilatant. *Occillatorii* motus genus est, quo sanguis totus pulmonem permeans, arte mirabili non minùs quàm efficaci tenuatur, comminuitur, *teritur*. Cogites enim ingentem vesicularum numerum, nec numerabiles, quibus texuntur vesiculæ, succorum tubulos, vix fingendo eris, quam multi, quam teretes sint tubuli, quam exigua aut minima sint succorum pervadentium fila, quam numerosæ eorum superficies. Verùm quam tenues, quantumve divisi jam erunt succi qui tot *superficies* induerint? Addito, sic jam tenuatos succos, vesicularum spiris millè, totidem spirarum aëris *compressilium* resilientibus ictibus verberari, incomprehensæ divisionis artem habes & exemplum.

Sed hæc, inquies, quid ad *seri* morbidi propagationem? Exindè intelliges. In dividendis succis ea naturæ mens est, idve consilii, ut ad has vesiculas appellens sanguis diffletur; hoc est, id hic operæ præstet, quod in cute aut corporis habitu. Utrobiquè *transpiratio* est insensibilis, utrinquè immensa. At ut quæ corporis *peripheriæ* est in *serum* seu *sudorem* abit, si fuerit in vitio; pariter in aqueum laticem degenerat inconspicuus pulmonum halitus, si vitium capiat. Porrò ex *sudoris* copia, metieris sputorum quantitatem, illa enim immanis est, hæc enormis futura.

Aperit eadem *tritûs* ratio, quo pacto ex incospicuo rore, mucosus fiat & corporeus succus. *Trituræ* defectus & imminutio est, ut enim perfectè comminutus succus spiritus & aura est, sic ruditer & malè subactus, latex erit, qui non halitus speciei rorabit, sed qui striarum forma stillando sudabit. Posthàc computes tubulorum myriades quibus sudant interiores vesicularum parietes, milliaria oscillorum numerabis, quæ lympham aut gluten eructabunt.

Si interrogas undè *tritura* corrumpatur, aut quæ sint causæ quæ trîtum vitiant, ab iisdem id errati enasci audies, a quibus *solidorum systole* aut *occillationes* interturbantur. Vitæ functionum integritas, ordo est; qui ordo ab *occillationum* rythmo venit: perdito autem hoc rythmo aut labefactato, ruit sanitas. Igitur *occillatorii* pulmonis vesicularum motus alienato modulo, sanguinis attenuatio, quæ illius finis & fructus est, impeditur. Deperdita enim semel illa ictuum successiva & æquali alternatione, quæ sensim verberando sanguinem intimè subit ac penetrat, inæqualis ac præceps oritur verberatio, quæ sanguinis corticem solùm attingendo, succos in tantùm non solvit, ut stipet magis ac denset. Jam verò objectis pulmonibus aeris inclementiæ, vocis contentionibus, incluvie succorum, tot inter apertas, familiares & publicas, stimulationum, vellicationùmve causas, in dies interturbari, confundi, miscerive pulmonum *occiliationes* miraberis minùs, quàm non dejici prorsùs ac pessundari. Tam exquisitè nerveum pulmonem commemora, confer crassioris aeris pondus, paludosi gravitatem, *sulphurei* malitiam, *salini* acrimoniam, quales,

les *ataxias*, *ſpaſmos*, *criſpaturas* exorituras indè expectabis? Cogita vocis vim aut uſum aſſiduè exercendum; memineris ſuccorum exuperantiæ patere eò faciliùs vaſa pulmonis, quò uberiorem ac vicinius a cordis embolo & fortius ejaculatam excipiunt ſanguinis molem: poſthàc ſtupeas, ſi licet, quòd a rythmo, & ordinatione ſua deſciſcere periclitentur pulmonum *occillationes*. Hinc autem quid non futurum incommodi? Ex ſanguinis ſpiſſitudine lentor; ex lentore pondus, ſicque ſanguis *gravitate* premit, mora ſtagnat, ſtagnando acet. Indè *tuſſes*, anhelationes, ſpirandi difficultates, *aſthmata*, *palpitationes*, tot impediti ſanguinis, ſtagnantis, arietantis, motùmque urgentis argumenta; anxius hærens ſanguis, eluctari nititur, ſuaque in motum conamina ingeminat; Febris accedit, verberatus nimiùm ſanguis furit, effringit vaſa, ſputique forma purpurea, flava, nigricante erumpens, peripneumoniam committit. Nec eſt undè cauſeris *catarrhos*, fluxiones, & impluvia, quorum ſcaturigines in cerebro fruſtrà quæſieris; quotquot pectus laceſſunt *ſymptomata*, ea interpretabuntur facillimè, hinc *ſolidorum* hærens, præpoſtera aut inordinata *ſyſtole*; illinc *fluidorum ſtagnationes*, incurſus, excurſus, evagationes. Amplius, exindè deduces eorum *ſymptomatum* cauſas, quæ pulmonum *catarrhos* aut affectus portendunt vel comitantur; ſtagnantes enim ſuccì intrà pulmones, locorum anguſtiis expreſſi ad cerebrum refluunt, gravitates, ſopores, dolores, pulſationes daturi. Fortaſſis, ſtagnantem intrà cerebrum ſanguinem, pectus versùs confluere uberiùs aut deſcendere, pulmonum affectus commiſſurum malueris? Perindè erit, cùm utrinque in culpa primo erunt *ſolidorum occillationes*, undè mutatæ *fluidorum directiones*, *determinationes*, incurſiones pervertentur, nullum non ſymptomatis peſſimi genus invecturæ.

Hìc non obſcuram habes lenteſcentis ſanguinis cauſam a pulmone pendentem, qui cum vitæ, ſic comminuendi ſanguinis princeps organum eſt; quid autem, ſi lentoris omnis (undè *inflammationes*, morborumque maximam partem venire docet recentior ætas) cauſa haberetur? Reipſa, tam ſolemnis, tam publica, tam neceſſaria pars eſt pulmo, ut lædendæ non minùs quàm juvandæ corporis œconomiæ apta nata videri poſſit: cumque terendo ſanguini, tenuandove ſerviat, quidni eundem cogendo inſpiſſandoque, incommodaret? Suſpicionis illius argumentum exhibet, pedum tumor, contumacioribus ſpirandi difficultatibus illicò ſuccedens; indicio non incerto facta ſanguinis *ſyſtaſi* in pulmonibus, hærere eum neceſſariò in ultimis vaſorum extremitatibus; verbo, ſanguinis *ſtagnationem* intra pectus, ſuccorum *ſtagnationem*, per univerſum corpus importare. An ſignaculum evidentius a pulmonibus naſci principem circuitus ſanguinis cauſam?

Hanc firmant conjecturam, vulgares & quotidianæ morborum *deſinentiæ*. Quibuſcunque *ſymptomatis* viſcera urgeantur ſub morbis, reconvaleſcentiæ vix abjicienda ſpes, quandiu firmum pectus a morbi vi ſe tuetur. Hinc videas *cerebrum* torpens, *lienem* ſchirrhoſum, flammatum *jecur*, faſtidientem *ſtomachum*, reſoluta *inteſtina*, *uterum* obſtructum, *renes* purulentos, labefactatam *veſicam*, quibuſcum vita conſiſtit; hac una de cauſa, quod *pulmones* ſarti recti perſeverent. Cernere eſt *vomitiones* aſſiduas, perennes *diarrhœas*, *hæmorrhagias* enormes, contumaces *febres*, immedicabiles *cachexias*, *chloroſes* diuturnas; hyſtericos, melancholicos, *hypochondriacos* nephriticos, ictericos, mille mortis generibus diutiſſimè vexatos, vitæ tamen ſuperſtites, quandiu tuſſes, anhelationes, ſuſpiria, palpitationes, aſthmata, phthiſes non ſuccedunt, non incertæ mortis prænuntiæ. Tandem lethalia inter morborum in cadaveribus ſtigmata, tam frequentia nulla ſunt, quàm concretiones, *tubercula*, *lapides*, *coagula*, *polypi*: ſunt quibus pulmones obſtructi, diſtenti,

ti, indurati conſpiciuntur; argumento, de vita tunc temporis tantùm conclamatum eſſe, cætera licet viſcera mors invaſerit, cum ei pectoris pomœria attingere morbo inconceſſum fuerit.

Ut ut ſit a ſanguinis ſtagnatione oriri pectoris morbos non levis conjectura eſt, quam ſtagnationem invexerit illius lentor, *occillationum* culpa, inordinatione, turbis ac tumultu natus. An cum his bene convenit purgantium uſus? Sub his quidem affectibus moliendam venire alvum commendant artis ſapientes, aſt *diluentium*, *potulentorum*, *enematum* arte, qua vellicata, laxatave inteſtina, ſuccorum portionem ad pectus irruentem, ad inferiora detorqueant. At impactam aut hærentem pulmonibus materiam morbidam purgatione tentare, tam impoſſibile eſt, quàm a pulmonibus ad inteſtina deſcribere vias, quibus ad alvum deſcendere queat. Igitur, quod fida docuit obſervatio, fidiſſima memoria tenebitur, veſiculis pulmonum aut bronchiis coercitos ſuccos, uno ore, unaque ſputi forma educi poſſe. Hanc ob rem *aſthmaticis* affectionibus, *humoralibus* dictis, *vomitoria* utilia comperiuntur, ſi cætera conſentiant. Stomachum vacuando id afferre beneficii *vomitoria* clamitant humorum patroni, ex glutinum copia, quæ è ſtomacho prodierint, remedii utilitatem pollicentes. Non ſic *praxeos* medicæ meliùs eruditi; a remedii enim ſtimulatione, id operæ expectant, qua *occillantes* fortiùs pulmones, impactas materies extundunt.

Interim, ut id feliciter cadat, integros adhuc eſſe pulmones neceſſum eſt, *inflammationis*, *atoniæ*, *tabis* exortes; his enim ſub caſibus vitiata aut perdita partium pulmonis *ſyſtole*, a *vomitoriis* cavendum, quæ labantes aut labefactatas partes exſuſcitando otiantes ſollicitabunt evacuationi impares, quamque præfocationem prævertendi conſilium erat, accelerabunt.

Huc altera venit non omittenda admonitio. Ut a *phlegmone* maximam morborum pectoris partem committi frequens eſt, è *ſpaſmodica diatheſi* inferri alteram partem non rarum. Teſtes ſunt quotidiani, tuſſes quaſſantes continuò, emolientes nihil, *aſthmata ſicca*, præfocationes *hyſtericarum*, *melancholicæ*, *hypochondriacæ*, quas a ſpaſmo fieri in confeſſo eſt, Aſt ordinis illius malorum numerum denſat maximè arcana fibrarum pulmonis *criſpatura*, aut *convulſiva* tenſio, ſingulis & omnibus pulmonum affectibus ſic familiaris, ut hujus exſortes vix unquam ſint vel *inflammatorii* morbi, ipſæ videlicet *pleuritides*, *peripneumoniæ*, prætereundo *catharros ferinos*, qui plùs *ataxiæ* inferunt aut acrimoniæ, quàm educant humoris. Quodque fidem ægrè inveniret, ni cogeret obſervatio, *phthiſes* ipſæ plurimæ a ſpaſmo veniunt aut aluntur; præterquamquod enim conſuetum tam nihil quàm *chronicas* affectiones *hyſtericas*, *melancholicas*, *tuſſiculoſas* in *phthiſes* deſinere, *phthiſicis* etiam deploratis, auxilium par nullum comperies, *opiatis* comparandum. Ipſa *aſthmata*, tum cum etiam maximè premunt, ſero crepante, diffluente ſaltem univerſo corporis habitu, ſic ut aqua cumulari internam pectoris capacitatem fermè credideris, *opiatis* miraculi inſtar conſanescunt.

Hæc omnia ut vera ſunt, a *ſpaſmo* primùm naſci ſæpius pectoris morbos inferendum, unde ſuos intra canales compreſſi coercitique ſucci hærent, & ſtagnant; quòd neceſſariò conſequatur, facit tum pulmonum ſitus & inclinatio, tum vaſorum, unde dependent poſitura ac diſpoſitio.

Ad pulmones appellentia vaſa, ut ingrediendo lata ſunt, ſic exeúndo arctiſſima, utpote cum paulò mox ab ingreſſu in capillaria vaſcula obliterentur, adeo ut quod in terris ſunt *iſthmi* & *peninſulæ*, id in humano corpore pulmones, quo facilis patet ingreſſus, unde regreſſus eſt difficilis. Quod hinc venit incommodi, a vaſorum deſcenſu creſcet; quaſi enim metus naturæ fuiſſet,

ſet, ne tardius pulmonum penetralia perfunderet ſanguis, ea versùs illum tenderę minùs per pendulas arterias, quàm prorui curavit aut præcipitari. Tolerandum, ſi delapſo per locum planitiem ei currendum fuiſſet, at illicò & pulmonum profundo per venas ſursùm ei emergendum eſt. Tali ſub locorum ſitu, tardata, violata, impedita partium *ſyſtole*; vitiato fibrarum *tono*, mutatis inverſis, dejectis *occillationibus*, *directionibus*, *determinationibus*, morari, hærere, ſtagnare ſuccos neceſſe eſt. Eò autem citiùs, quòd eminùs a corde jaculato ſanguine, id temporis & ſpatii ſit inconceſſum, quò vaſa eadem depleantur celeritate, qua cumulantur.

Equidem cumulata vaſa, quaſi dehiſcerent rimis, multis ſuccis ſudare coguntur, quibus ne purgationes deſtinaveris admonet *ſecretoriorum directio*. Horum nomine intelliges *bronchia*, depluentibus ſuccis ſubſtrata, ſic diſpoſita, ut ſursùm *occillent*, os nempe versùs, nata proinde iis ſuccis effugia, qui pulmonibus incommodarent. Eodem collimabit pectori medentis opera, morbidos ſuccos ſic tractabit, ut illac fugari poſſint; attemperabitque ea dexteritate & conſilio, non ut ad alvum, quò minimè tendunt, ſed ad fauces quibus exſpuendi a natura jubentur.

Altera eſt nota cuilibet obſervatio, noſtrorum & priſcorum temporum uſu confirmata, edocens quàm parùm conſona ſit naturæ conſiliis *purgatio*, in affectibus pulmonum. Ex ſudoribus petitur, critica illa & ſolemni evacuatione, conſueta naturæ, quotieſcunque domina rerum facta hos ſolvit morbos. Dato enim hanc unam eſſe moribus illius congruam in judicandis illis affectibus, tantùm diſſona venit *purgatio*, quantùm alvo malè convenit cum corporis habitu.

Moris interea eſt, morborum pectoris curationem *purgatione* claudere? Moris equidem, at ſiccine neceſſarii, ut ab eo reſilire nefas? Lepidum morem finito morbo adhibere medicinam! Nunquid non, poſt morbum medicum vocari? Revera impingere poſſunt in hoc purgandi genere, quos purgandi ritus ageret magis, quàm ratio, ſuaſos malè nullum dari morbi genus, cui declinanti aut victo neceſſaria non debeatur purgatio. Enimvero, eam nunc prætermittendo corporum quorumdam *idioſyncraſiam*, quibus torquendis non levandis *cathartica* nata ſunt, morbi ſunt quos una *alterantia* juvant, quos ad *purgantia* cogere, in perniciem conjicere eſt. Tales numerat non paucos uſus, non tantùm *chronicos* inter, cujuſmodi erunt *hyſterici ſcorbutici*, & *convulſivi* omnes affectus; ſed & inter *acutos*, quos a *ſolidorum ſpaſmo* magis, quàm a *fluidorum* corruptela, horum rurſus copia minùs, quàm malitia ali, conjecturam faciunt, dolor aſſiduus, tuſſi inanis, ſicca alvus, rutilantes urinæ, vigilia pertinax, ſimiliaque, unde ſtimulata magis *ſolida* intelligas, quàm exuperare aut colliqueſcere *fluida*.

His fortè demptis, morborum curationes *purgatione* claudes. Sub morbis enim, accitis ad ſedes affectas humoribus, periculum erit, ne perſeverante eorum impetu, duranteque *determinatione* facta, debiles a morbo relictas partes labefactent. Sic laſſos a morbo pulmones, affluentes ſuccos ſorbere tandem metus erit, ni illorum *atoniæ* futuræ, purgando tandem provideas, ut humorum eò pergentium adhuc fracto impetu, recentes a morbo partes ab imminentibus morbidis reliquiis vindicentur. Porro id officii a purgantibus ſub morbi finem adhibitis expectare eſt, a quibus vellicata inteſtina humores ad ſe reinvitant, reſtitutaque ſuccorum motus æquabilitate, quæ ſanitatis teſſera eſt aut argumentum, ægrotans ſit a recidiva tutus.

CAPUT XXVI.

De purgandi *ratione & intentionibus*, *in* morbis abdominis.

ABdomen, commune viſcerum recondítorium, non huic vel alteri morbo, ſed omnium, quas complectitur, partium affectibus obnoxium eſt. Interim cloacam eſſe, quò exportentur univerſi corporis ejectamenta, dedocent partium illarum uſus & functiones. In his meditaberis varios ſanguinis vortices, qui ab eodem loco profecti eodem revertuntur, a corde enim evibrati ad cor remeant. Abdominis ergo viſcera habeas, non ſecus ac *circulatoria vaſa*, intra quæ circumactus ſanguis *circulatur*, *cohobatur* & ulterius tenuatur. *Trituræ* ars eſt, qua tubulorum & plurium, & longiorum parietibus alliſus, multiplicium labyrinthis diviſus, variorum angulis ac receſſibus fractus, omnium *preſſionibus*, ictibus, *occillationibus* multoties verberatus, fluidior fiat, tenuior, teretior. Re ipſa, *lien*, ignobile illud plebeculæ viſcus, ex unis ferè arteriis conflatum, *ſecretorii* vaſis aliunde expers, quid aliud innuit, quàm *digerendi*, *exaltandi* & excoquendi ſanguinis uſum? Eò veriſimiliùs quod non ſibi, at æmulo viſceri, *jecori* nempe laborare videatur. Jam mihi conſidera *jecoris* operam, quæ *bilis* effectio eſt, ſucci illius nobilis, animabilis & animati. An ſub his aliud tibi finges, quàm exquiſitiorem ſuccorum comminutionem faciendam?

Stomachus, *occillatorium* illud & agitatorium viſcus, non abſimilis eſt deſtinationis; *tritus* organum princeps eſt, perennis aut aſſidui motus capax: cumque *muſculari* motui tam multùm inſerviat ſanguinis appulſus, quàm copioſè, quàm aſſiduè illuc affluere eum oportebit, ut motum illum perennet? Verùm in hoc uno non conſiſtit ſanguinis ad ſtomachum acceſſio, quia in una *tritura* non conſiſtit ſtomachi functio. Capacitas quam corporis centro efformat, ſpatium præcipuum eſt, quo expirant interioris *tranſpirationis* halitus; verbo ſit honos, internum infumibulum eſt, aut interioris fumi a ſanguine exhalantis ſpiraculum; qualis igitur attenuationis fuerit capax illa pars, quæ quem excipit ſanguinem in fumum extenuat? Ejuſdem conditionis ſunt *inteſtina ſtomacho* continua, cujus præterquamquod appendices ſunt & colliquiæ, quibus excipiuntur quæ ex eo exciduut, ſpiraminibus internis, *ſtomachi* exemplo, allaborant: quò loci mirabilem naturæ induſtriam mireris, quæ ut immenſo *tranſpirationis* internæ proventui ſufficiat, globoſi ſpatii loco, quod immane fuiſſet, fiſtulam in longum plicis diſtinctam porrexit, quæ longitudine penſaret globi capacitatem, ſpirarumque frequentia ſpatii minùs occuparet. Exinde venit altera formaturæ hujus opportunitas; declivis facta eſt iſthæc fiſtula, ut halitus internos morari diutius non patiatur, hi enim aerii ut ſunt & *elaſtici*, tumentes & rarefacti nimiùm, tormina ſicca, diſtenſiones, flatus, dolores perpetuos foviſſent.

Manifeſtum quæ invexiſſet incommoda ſanguis *ſero* plùs ſatis dilutus ac diffluens; ut enim quod levius eſt, utpote mole ſufficienti deſtitutum ſurſum pelli recuſat, ita gravamine convenienti defectus ſanguis, prementium partium *ſyſtoli* elabens, renueret ad cor remeare. Huic incommodo a natura cautum eſt ſtabilitis duplicis generis viſceribus, *renibus* ac *pancreate*. In his ſerioſas ſanguis ponens exuvias, id ſibi facit corporis aut maſſæ, quæ revehentium

sium partium ictuum impetum meliùs sentiat, versùsque cor exportet.

Ad abdomen pertinent *testes* in viris, ubi quantùm attenuationis sanguini addant, evincit prodigiosa pubescentibus accedens immutatio, quæ ea est ut eos ab irremediabilibus morbis liberet, insolitoque robore ditet.

At parilis est energiæ in feminis uterus qui *mensium* eruptione, arti cuivis & industriæ inobsequentes, & remediis surdas affectiones expedit. Igitur hoc quoque viscus, attenuando sanguini famulatur. Re ipsa an evidentior aut conspicua magis tenuati maximè sanguinis nota? Uteri munere fit aut opera, quòd sanguis transmeandis venis aut arteriis unicè natus, *excretoria lymphatica* possit pervadere. In hoc enim positum est *mensium* elaborationis & eruptionis mysterium. Qui in gravidis asportandæ fœtui nutritiæ *lymphæ* ad uterum confluit sanguis, ab hoc officio vacans in virginibus harum damno cumularetur. Nascituris hinc incommodis providit natura, loci angustiis coercitus sanguis, suos inibi iterat circuitus. Id autem necessariò, has enim intra loci angustias concluſus illorum vasorum numerus, qui tumentem in gravidis & extentum prodigiosè uterum circumdare debet, numerosiores ac crebriores plicas formandas habet, quæ tot labyrinthorum loco erunt, qui in utero virginum sanguini pervadendi veniunt. Num alia *cohobandi* sanguinis solertior ars aut major? Interim ut hinc utero metuendum non fuisset mediocriter, hanc ipsam sanguinis comminutionem (quam *volatilisationem*, aut *spiritualescentiam* dicerent) lucro apponit natura. Dum se præter morem comminuit sanguis, hunc sumit commensum, hancve induit aptitudinem, qua insuetos tubulorum *diametros* subire possit. Hi *diametri*, *excretoriorum* sunt *vasorum*, quæ arteriis continua sunt, & quæ turgentis tunc, catulientisque sanguinis effugio serviunt. Suspicionis hujus veritatem aperit, *lymphaticus* ille effluxus, qui *fluoris albi* nomine eas vexat virgines, quas malè, aut imperfectè, aut nullatenus purgant *menses*; tum quoque lactea illa, ut vulgus habet, meliùs *lymphatica* evacuatio, quæ puerperarum *lochia* excipit. Cum enim puerperarum, & albarum in virginibus evacuationum communes sint exitiones, conjectura non levis est, eadem esse quæ has exportant vasa. Porro cum *lymphatica excretoria* sint, quæ evacuandis lymphaticis succis destinantur, liquet eadem ipsa esse, quæ memoratis modò evacuationibus lacteis serviunt. Hanc firmant conjecturam medentium observationes. Iis conspicere contingit in lactantibus, lactis loco sanguinem per papillas interdum exire. Vident in mulierosis viris, desperanda libidine abutentibus, seminis loco, sanguinem ipsum in *gonorrhœis* reddi. *Urinæ*, *lacrymarum*, *sudorum*, *sputorum* loco sanguinem prodire conspiciunt, indubitato argumento fieri posse, ut *excretoria lymphatica*, & *serosa*, *arteriis* suas mutuentur vices, vique aut arte a sanguine referari se concedant.

Hìc recognoscas sinceras viscerum abdominis functiones, exinde genuinas intellecturus morborum abdominis causas. Facta majori, densiorive, a ciborum exuperantia, succorum in vasis tenuandorum copia, quantùm inde accedit *fluidis* terendi difficultas, tantùm a *solidis* decedit trituræ potentia. Coorto mœrore, quo tota mergitur vita, *solidorum*, quæ vasa sunt, *oscillationes* languent ac tardantur, verberatusque oscitanter & languidè præterfluens sanguis, segnescit, cespitat, lentescit. Aucta spiraminum (quæ partium abdominis cava replent) copia, aut illorum plus satis aucto *elatere*, compressi inde vasorum parietes & arctati, quantùm de *capacitatibus* aut *diametris*, tantùm de tritus vi perdunt. Huc non malè referes, calidarum veteris medicinæ, intemperierum aut *cacopragiæ* notiones. Ut ut sit constrictis, his & similibus casibus, vasis, lentor & spissitudo præterlabentibus succis adve-

niant oportet; in quo tenes ſpiſſati & tardigradi ſanguinis obviam & facilem cauſam. Hanc autem ardori, febri, ſiccitati conjunctam, ſic ut dum debilis in arietando fit *ſolidorum* vis, niſu & luctamine quæ in *fluida* exercet, vibrationum ictus iteret, ægrotantique hos omnes afferat labores, qui febri vulgò tribuuntur. Interea illis ictibus ſubjecta diutius *fluida* denſantur ac ſpiſſeſcunt, ea de cauſa, quod quantum de motu *progreſſivo* amittit ſanguis, tantum de inteſtino acquirat. Melius, tandiu dividi & tenuari recuſat ſanguis, quandiu a circuitione cohibetur. Rationem exhibet *ſyſtaltici* vaſorum motus ratio. Vermicularis genus eſt, & ſpiralis motus *occillatio*, qua vaſorum ſpiræ *undulando*, ſuccos quos prætervehunt, non ad perpendiculum ſed obliquè verberant. Sic pulſi obliquo ictu ſucci, illicò fugiunt & elabuntur. Secus erit, ſi tardeſcentes fiant occillationes, tum enim contractis a *ſpaſmodica diathe ſi* partium *occillantium* fibris, annularius evadit aut ſpiralis minùs, *ſyſtaltici* vaſorum motus, rectaque non obliquè, ſed ad *perpendiculum* ſanguinem ferit; unde rectis lineis aut recto libramento coactus, eodem figitur loco, iiſdemque punctis tuſus, diutius evadere aut elabi neſcius denſatur ac lenteſcit. Lenteſcens autem moratuſque ſanguis in abdomine, ſtupendum quot malis & incommodis anſam præbeat. Cordis ictibus obſiſtendo, circuitionis legibus & æquabilitati inobſequens factus, *fluidorum* cum *ſolidis* æquilibrium turbat; inæquali enim facta viſceribus ſuccorum *anadoſi* aut diſtributione, contingit, ut dum viſcus unum ſuccis affluentibus cumulatur, ſuo fraudetur alterum demenſo. Inde *phlogoſes*, inflammationes, *obſtructiones*, *ſcirrhi*, quæ tot ſunt ſuccorum remoræ, *ingurgitationes*, *ſtagnationes* a ſanguine impedito, coercito, cuneato. Unde concludere licet viſcerum *obſtructiones* & inſpiſſationes ſuccorum, ut deſides & impeditos liquores arguere, ſic ſanguinis impetuoſius inſilientis eſſe ſæpiſſime effectiones.

Inde rationem elicies, cur in morbis tam crebro vitium contrahat *lien*. Arteriis ut totus compingitur, inde mali labem ſuſcipit, unde ſanguis vitium capere conſuevit. *Arteriæ* ſunt, quæ cum *conicæ* ſint, *ingurgitari* periclitantur magis. Adde plùs illis a natura contigiſſe *ſyſtaltici* motus, agitabiliores proinde eas eſſe, ſpaſmoque obnoxias magis, utpote nervoſæ magis textur æ. Hoc dato, cogites a qualibet ex prædictis cauſa, *ſpaſmodicè* affici abdominis partes, id vitii primùm & maximè perſentiſcent, quæ vaſis nervoſis magis contextæ ſunt. Ejus ſunt conditionis *arteriæ*, ex quibus conſtare lieu obſervatur, igitur morborum inſultibus patere magis lienem, in propatulo eſt. Cauſa non diſſimili tot affectibus obnoxius eſt uterus in mulieribus. Uterus enim ut ſanguini tenuando evacuandove deſtinatur, innumeris arteriarum mæandris perfunditur. Coortis igitur animi pathematis, in quæ plùs ſatis propenſior eſt ſequior ſexus, aut turbata quavis alia ratione functionum œconomia, turbati ſanguinis circuitus pœnas luit primus.

Verùm cum tota illa turbatio a deflectente ſanguinis circuitu moveatur, & ad ſtagnationem & ingurgitationem deſinant ſanguis ab orbita delirantis peccamina, *phlogoſi*, *inflammationi*, dolori ſuccedere tandem debere *ſcirrhos* & *tubercula*, nemo eſt qui non intelligat. Interim ingurgitatos ſuccis tubulos, *lympham*, *ſerum*, pariliaque fœda liquamina eructare intelligitur, maximè cum quæ cumulatæ ſunt ſuccis arteriæ in glandulas, ut ajunt, ſeu vaſorum *excretoriorum* glomeres deſinant. Talibus ejectamentis impluvium paratur in ſubjectis partibus, hiſque ejectamentis everrendis purgantia cumulant, morbi effectum cum cauſa miſcentes. Quanto autem errore id in artem invectum ſit, norunt apud quos eſt artis uſus. Teſtatur aliunde infauſta ejuſmodi affectionum curatio, ex quo enim *lienis* affectus, qui ad *melancholicos*, *hypo-*

hypochondriacos, *ſcorbuticos* referuntur, purgantibus *phlegmagogis*, *panchymagogis*, torquere perrexerunt, illorum pars maxima, inſanabilium albo deſcripta fuit.

Tam molli pede fulta eſt purgatio, ſtomachi & inteſtinorum, ſeu *primarum viarum*, ut loqui amant, fœda colluvie fundata. Quæ illorum cavo continentur ſordes, aut ſtercoreæ ſunt, inteſtinis propriæ, unis proindè clyſmatis eluendæ; aut eliquamina mucoſa, *ſeroſa*, *lymphatica*, &c. quæ inteſtinorum *glandulæ* plorant. Si hujus ſortis, *excrementitii* ſucci revera ſunt, verique morborum fomites, at non cauſæ; conſtrictionis enim *ſpaſmodicæ*, quæ morbo originem fecit expreſſiones ſunt. His quidem mederi quoque neceſſe eſt, ſed punctum non omne tuliſſe, neque omnem morbi mineram ſiccaſſe ille putaverit, qui illis exhauriendis apprimè ſtuduerit. Nervorum *ataxias* ſedaviſſe, partiumque *tonum* reſtituiſſe oportuerit ac flexibilitatem, quo omiſſo, vacuationibus unis indulgere, ſanguinem pauperare erit, ac morbum perennare.

Similis eorum error erit, qui *flatuum* cauſam, pituitæ tenaci, crudæ, viſcoſæ attribuentes, *phlegmagogis* ægrotos miſerè cruciant. Secus illis res erit cum ægrotantibus, qui *flatuum ætiologiæ* melioris eruditi, *flatus* eſſe noverint aerem internum, *elaſticum* nimis factum, ſeu interna ſpiramina, locorum calore rarefacta nimiùm, eorumque anguſtiis arctius coercita, quæ *fulminantis pulveris* exemplo, carceres ſuos & repagula effringere nituntur aut dilatare. Quæ cum vera ſint, flatus aggredi purgantibus aera verberare eſt.

Exinde inferas, quid inſidiarum ubique non ſtruant *purgantia*, quæ ſub ipſis abdominis affectibus tantùm minantur? Adhuc tamen aliunde ingraveſcunt hic purgantium pericula. Demptis *hepate* & *pancreate*, cætera quæ abdominis ſunt viſcera, aut *excretoriorum* exſortia ſunt, aut quæ nacta ſunt *excretoria*, extra inteſtinorum pomœria derivantur. *Lien* cæcum viſcus eſt, aut *excretorio* nulli pervium. Quæ *utero*, *renibus*, *veſicæ* data ſunt emiſſaria, foras & ultra corporis *peripheriam* exeunt. Hinc ad corporis centrum revocare velle degeneres ſuccos, *laterem lavare* eſt; ad intractabiles enim vias, nuſquamque relegendas ſuccos cogere eſt.

Inteſtina ſuperſunt & *ſtomachus*, quæ cum aptiores exitus habeant, feliciorem evacuantibus exitum ſpondent. Sic erit, ſi gravatus magis, quam ſtimulatus ſtomachus vomitionem ſuadeat; ſi vitio ſuo non alieno laboret, ſi vomat, non vomiturìat; ſi recens, non vetus ſit morbus, utpote cum nullum fermè morbum oſtendat medendi uſus, cui repugnet aut noceat magis purgatio aut vomitio, quàm *chronicus* vomitus.

Itaque felicius ut cedat *vomitoriorum* uſus, aſſiduè tenendum hoc obſervabile dogma. Incipientibus morbis ea adhibere tutius, quàm iis progredientibus aut *conſiſtentibus*. Id commendare vulgare eſt, ſic efficiendo, ut ajunt, ne ſtabulantes in primis viis ſordes, altius vaſa ſubeant; ſed *craſſa minerva* philoſophari eſt, putidos enim, degeneres & crudos ſuccos inconſpicua *lacteorum* oſcilla ſubire poſſe, is ſibi non finget, qui meminerit corruptos ſuccos eo carere commenſo, eaque defici aptitudine, qua opus habent eliquati ac puriores ſucci, ut *lactea* pervadant. *Vomitoriorum*, morborum initio, adhibendorum laus alia & ratio hæc eſt; tunc temporis aut *exaltati* ſunt minùs & evoluti morbidi ſucci, ſtomachum gravant potius quàm ſtimulant, a *phlogoſique*, *ſpaſmove*, progrediente morbo venturis, longius abeſt ſtomachus. Tum ergo ſuperſtite adhuc partium facilitate, ſuccorum evacuatione operam dare convenit, ne *diarrhœam* deinceps invehant. At non omittendum non aſpernabile artis præceptum, quod explorare jubet viciniora viſcera, hæc,

que inter, *hepar*; utpote cui ſiccato, obſtructo, calenti, inflammato, accepta referenda ſit vomituritionum pars maxima. Inveſtiganda quoque viſcera remotiora, malo quorum non infrequenter naſcuntur *cardialgia*, *nauſeæ*, vomitiones. Hæc autem inter viſcera numerabis *uterum*, *renes*, *pulmones*, *cerebrum*, non omiſſis inteſtinis, a cæca enim & veteri *enterocele* contumaces fo veri vomituritiones quotidie obſervatur. Iſtiuſmodi autem vomitionum, a diſſitorum locorum vitiis profectarum cauſæ ſunt *ſympathiæ* atque conſenſus, quos ſatis exponunt fibrarum doctrinæ, nervorum diſtributiones, & *occillationum* conſenſiones. Ut ut ſit, vomitoria jubere, ubi procul a ſtomacho ſemotæ ſunt nauſearum cauſæ, aut imperiti ſtoliditatem, aut periti ſolertiam arguet.

Non prætereundum dubii adhuc eſſe eventus purgationes in affectionibus *lienis*; qui cum emiſſaria non obtinuerit aut exitus in inteſtina, quod imbibit ſuccos in tantum non dimittit acriter etiam provocatus, ut coerceat eos magis. Revera melancholicos morbos *epicraſi* ſolum purgandos volebant artis principes: eoſdem purgantibus exacerbari obſervant adhuc ætatis hujus medici.

A ſtomachi conditione, diverſa ſors eſt inteſtinorum in purgationis negotio; matuiùs vomitoria ille admittit, ſeriùs hæc purgantia, naſcentibus enim *diarrhœis* ac *dyſenteriis*, *cathartica* adhibere, *currenti calcaria* addere eſt, *ſuperpurgationique*, ſeu *hypercatharſi ſuperpurgationem*; hujus enim & *alvi fluxus* pares ſunt conceptus. Adde diſſimiles eſſe ſtomachi & inteſtinorum inclinatus & poſituras; hæc tota ad evacuationes per inferiora proclivia ſunt, ſtomachus nonniſi coactus per ſuperiora evacuatur; igitur quantùm ſtomacho tolerabilis eſt vomitorii ſtimulus: tantùm metuenda inteſtinis purgantium ſpicula, quæ tolerabilia quoque his futura erunt, ubi ſedato ſuo fibrarum tumultu, ſtimulis alienis vellicari ſuſtinebunt, ut quos ſorbuere ſuccos morbidos libenter dimittant. Hinc *coctis* tantùm humoribus, id eſt inſpiſſatis purgationem concedunt medendi magiſtri, iſthæc enim humorum ſpiſſitudo admonet, factam hanc tumultuantibus antea partibus pacem, quæ ſuccis, ſuis colatoriis immorari diutius, incoqui proinde concedant. Denique, quod ultimò monendum venit, in abdominis morbis, ſic attemperanda purgatio, ut aut excretoria viſcerum affectorum a *ſpaſmo* ſat libera ſint, quo purgantium vellicationibus obſecundent; vel ut ſic emollita, reſerata & conſentientia ſint omnia infimi ventris ſecretoria, quò liquati purgantibus ſucci, a partibus affectis ad quas ferebantur, ad iſthæc *excretoria* divertantur.

CAPUT XXVII.

De purgandi *ratione & intentionibus*, *in* morbis univerſalibus.

MOrbos univerſales dixeris, qui non has vel illas partes, non hanc vel illam corporis regionem, ſed omnes occupant. De horum cenſu ſunt *febres continuæ*, *intermittentes*, *benignæ*, *malignæ*, *lentæ*, *hecticæ*, &c. univerſales adhuc tibi morbi erunt, qui totam corporis *peripheriam*, aut omnes *nervos*, aut omnes *muſculos*, aut omnes *glandulas*, aut omnes *articulos* obſident. Sub his complecteris omnes *cutis* affectus, *variolas*, *morbillos*, *purpureas maculas*, *eryſipelata*, *ſcabiem*, &c. *Rheumatiſmos* omnis generis, *nervales*,

les, *ſeroſos*, *inflammatorios*, *arthritides regulares*, *irregulares*, *erraticas*, *periodicas*, *ſtrumas* quaslibet & affectus his congeneres aut *analogos*; non omiſſis *catarrhis* omnis ſpeciei. Sub quibus omnibus, ſigillatim luſtrare *purgandi* rationes & conſilia, ut immenſæ operæ eſſet, ſic noſtri non eſt inſtituti. Sufficerit univerſales expiſcando illorum *ætiologias*, *purgationis* intentiones commoda aut incommoda deſignando prælibare.

Hæc ut aſſequaris, rimaberis morbidorum ſuccorum nidos, an vicini ſint aut remoti, ſuperficiales an profundi; quæ ſanguinis pars peccet, *rubra* an *alba*; quibus hæreat vaſis, *ſanguiferis* ſeu rubris an *albis*; his autem, an *nervoſis*, *excretoriis*, vel *lymphaticis*. Ex horum enim omnium anfractibus, diſtantiis, trámitibus, exituris, *purgantium* potentias, defectus, utilitates, aut pericula interpretaberis. Hæc ut menti aperta fiant, morborum ideas ſub generali conſpectu contrahi, & objici animo placet. Cujuſvis ſortis, claſſis, aut naturæ fuerint morbi, communem in radice originem habent. *Preſſionis* genus eſt, quæ omnes & ſingulos committit; vis nempè *ſolidorum* aucta, fortiorque factus illorum *elater*, qui ſuccos, quos ſub ſanitate mollis & amica vis, pacatè & æquabiliter, per univerſum corpus circumagendo, diſtribuere debuiſſet, impetuosè & inæqualiter pellendo, adigit. Sub hoc tumultu, sùs deque miſcetur corporis œconomia, perit concentus, & harmonia. A circuitus orbita delirans ſanguis, quos ſuis quoſque tubulis diſtribuendos habebat ſuccos, indiſcriminatim trudit, ſic ut qui intrà ſanguiferorum limites coerceri debuiſſent, per venas reverſuri, ad *excretoria* vaſa, ad *lymphatica*, ad ipſos *nervos* evagentur. Hic imaginem habes morborum non inficeram, uſuique medendi perutilem atque conſonam. Quandiù intrà vaſorum ſanguiferorum pomœria pergit ſuccorum tumultus, *acutos* morbos concipere erit; illos ſi tranſcenderit limites, *excretorios tubulos* & *lymphaticos*, ipſos *nervos*, ultimaſve vaſorum extremitates aut *glandulas* ſubiens & invadens, *choroniçorum* affectuum, *glanduloſorum*, *ſeroſorum*, *hecticorum*, *colliquativorum*, *rhumatiſmorum*, *arthritidum* ideas habes. Affectiones ſunt, ſub quibus tranſcendentes, quos a natura habebant limites, ſucci, aliò quam quò debuiſſent, irrepſerunt. Adeò ut qui per *nares*, *palatum*, *pulmones*, *jecur*, *pancreas*, *inteſtina*, *renes*, *uterum*, imprimis per cœca cutis ſpiracula evacuari debuiſſent, a nativis tramitibus deviando mutent vices, mutuaſque *ſecretoria*, at ſuo malo miſceant operas, ſuccoſque confuſos & inconditos, mutatos invicem ſibi tradant; ſic ut, quas vides ſub morbis partium *diſtillationes*, proprii rarò, alieni ſæpè reatus, ploratus fuerint & lacrymæ. Motuum aberrationes ſunt, quibus fit ut ille ſuccus cui per illas partes circumeundo fluendum fuiſſet, per alias partes circumactus pellatur. Hæ autem ſuccorum evagationes, albæ ſunt imprimis ſanguinis *partis*, quæ tota *tranſpirationi* debetur in ſanis; hinc ſi dejecta fuerit, aberrationum millibus anſa ſit & occaſio. Tùnc enim intra ſanguifera vaſa refluens, primùm ſanguinem illo glutine albo veſtit, quod tam multos parit *inflammatorios* affectus; alias cuniculos agens & undequaquè preſſa ab arteriis, in ultimos partium, *glandularum*, *nervorum*, *tendinum*, &c. receſſus ſerpit, illos omnes ibi paritura contumaces affectus, qui has partes torquere ſolent, aut macerare. Quæ hinc ad *febrium* curam, per *catharſin* exponendam transferri poſſent, tradere, *eandem incudem* tundere eſſet, tam multis hùc uſque enarratis, quæ ad febres pertinent. De *cutis* affectibus quædam delibare, conſultius erit, quæ ulteriori indagine eò magis opus habent, quod ea quæ in vulgus ſpargitur de iis idea, corporis œconomiæ conſentanea minus videatur.

Scabies, *pſora*, *lepra*, quid ſint aperit intellecta fucci nutritii; qui *albæ* ſanguinis *pars* eſt, deviatio. Singulares & monſtruoſos ſuccos ſub his morbis fin-

gere

gere ceſſabis, cogitando quid futurum de ſucco nutritio reſide, otiante, ac ſuppreſſo intrà *excretoria vaſa*, & *glandulas* cutis, capillamentorum ejuſmodi vaſorum appendices; lenteſcens aceſcit, pungit, vellicat, ſpiſſeſcenſque *lymphæ* incrematæ ſimilis, quæ in lamellas concreſcit, in *furfuracea* ejectamenta abit.

Eadem *lympha* nutritia quæ *excretoria* vaſa pervadenda habebat, intrà ſangifera coercita, furenſque, *variolarum puſtulas* parit. E contra ſanguinis *rubra pars*, quæ intrà ſanguifera condenda erat, in ultima cutis *excretoria* jaculata, alboris loco, rubore cutem ſuffundit, febres *morbilloſas*, *ſcarlatinas*, *purpuratas* datura.

Rheumatiſmos vides *dolore*, *tumore*, *inflammatione* ſtipatos, intrà *muſculorum* carnes inſiliiſſe deviantes ſuccos concludes; eos autem nutritios & chyloſos, utpotè cùm a medente malè tractati, *apoſtemata* dent aut abſcedentia, contrarium oſtendunt *rheumatiſmi rubore*, *tumore*, *inflammatione* incomitati, qui *nervales* ſunt, oriundi ab ipſis *nerveis fibris*, ſeu partium ſtaminibus *contractis*, rigentibus & corrugatis, *lymphatico* rore ſtagnato inſuccatis; rore autem ſucci illius non corpore, prodente illud *rheumatiſmorum* nervalium *deſinentia*, quibus partium affectarum inhabilitas ad motum, nunquam *apoſtema* ſuccedit.

Si ab innato *inæquali partium robore*, cæca adſit articulis partium debilitas, quæ deflectentes ſuccos ad ſe invitet, illùc irrumpet deflexus ſuccus, *arthritides* omnigenas pariturus.

Ejuſdem delirantis a circuitu ſucci ad *glandulas* facta excurſio, in his ſi *excretoriis* defectæ ſint, quales ſunt *conglobatæ*, coercitus dureſcit; undè *ſtruma*, quæ in *ulcera* maligna dehiſcunt, fortè quia ſtagnando ſuccus aceſcendi ſpatium nanciſcitur, aut potiùs cùm vaſcula *glandularum* rumpi contingit. Hæc enim ut exiliſſima nata ſunt, ſuccorum tumore ac turgeſcentia dilatata, tenuantur eò uſque dùm crepent. Secùs adveniet, ſi ſecretoriis donatæ ſint, quæ inſiliuntur *glandulæ*; ſuccum enim quem ſorbent, exſpuere iis dabitur, undè ſcaturient tot *diſtillationum*, *defluxionum*, *catarrhorum* origines, quæ aqua, ſero, muco, has vel illas partes mergent. Tandem vile illud quoad ſpèciem, ſerum, mucùmque ipſiſſimum ſuccum nutritium eſſe adeò verum eſt; ut tandem hujus jactura ægrotantes in *phthiſim*, *tabem*, aut *atrophiam* miſerè præcipitentur.

Cæterùm eſt, undè repetere poſſis, ex his hùc illùc jaculatis adactiſque ſuccis, veteri & novæ medicinæ adeò jactatos morborum fomites, quaſi hic vel illic nidularentur immoti humores, *catharſi* proindè debiti. At ut ad longinqua ferantur deviati illi ſucci, naturæ jugum nunquam ſic exuunt, ut aut motuum abdicent commercia, aut egreſſi vaſis circuitus temnant leges. Quocumquè ſecedant, indè revehuntur ad cor. Sicque in his duobus poſita eſt adventitia his ſuccis conditio; circumaguntur enim tardiùs, & in partibus aut vaſis ſibi alienis; & lenteſcendo; partes quas præterfluunt gravant, lædunt, incommodant; in hiſque hoſpites & advenæ facti, locorum *diametris*, *elateri*, *occiilationibus* inaſſueti, *craſin* mutant; ſuamque exuendo naturam, peregrinam induunt.

Circuitus ergo legibus obnoxii adhuc illi ſucci, iis maximè caſtigari indigent & curari artibus, quæ humoribus intrà vaſa coercitis adhuc conveniunt. An cùm *catarſi* illæ conveniant artes, penes illos judicium ſit, quibus nota eſt corporis œconomia. Re vera in morbis interdùm opus eſt, humores *catharſi* evocare vaſis adhuc contentos, ſed hæc majora ſint oportet vaſa, in quibus ſuccos tutò agitare licet; nec diffita nimis illa vaſa eſſe debent, in quibus pulſi paulò fortiùs, non adacti cuneatique videantur; tandem a nativis *directionibus* non adeò deſciverint, ut *determinationum* ſuarum tenaces adhùc, nedùm obliti, *purgantium* monitionibus aut invitamentis penitùs non obſurdeſcant.

Verùm

Verùm an ejuſmodi conditionis erunt ſucci, qui *glandularum*, *nervorum*, *muſculorum*, *articulorum* receſſus occupant? Hic mihi conſidera, locorum diſtantias, vaſorum immenſe exporrectorum incomprehenſas lungitudines animo metire, intrà hæc exilia capillamenſa contentos ſuccos incorporeos fermè concipies; *diametros* enim indefinitè arctatos dùm opplent non interrupti, omnis corporaturæ ferè expertes ad glandulas adveniant neceſſe eſt. *Volatiliſationis* modus eſt, corporis œconomiæ familiaris; at quantùm *purgationi* adverſatur ſuccorum *volatiliſatio*, tantùm ejuſmodi tenuationem ſuccorum *purgationi* repugnare, intelligere eſt. *Purgationi* obſiſtit adhùc non minùs ſuccorum ſalſitudo aut acrimonia; at ſalſitudini proximi ſunt maximè, tenuati immensè ſucci, qui ſuccoſa ſui parte ſic ſpoliati *evehuntur* aut *exaltantur*. Enimverò licet natura ſua, *ſalibus* armati non ſint ſucci corporis, *ſalium* ſeminibus ac ſpiculis fœti ſunt, quæ evoluta, ex inconſpicuis conſpicua fiunt. Evolvuntur autem exquiſita tenuatione, quæ ſucci fluitantes partes cogendo, & uniendo fortiùs efficit, ut quæ diſſita erant & natantia ſpicula coeant approximentur, denſentur, ſicque *ſalſitudinem* contrahant. Cum his convenire *purgationem*, certè non adeò obvium eſt.

Ad ſtimulationem, tanquàm ad ultimam purgantium potentiæ anchoram, fruſtrà confugere erit; *ſtimulantium* enim purgantium effectus, ut ab *elateris* integritate, & *directionum* perſeverantia dependet, iſthæc ſtimulatio eventu cadet in univerſalibus morbis; ſucci enim qui hos committunt, a ſuis *directionibus* deflectendo, *ad cutim*, *glandulas*, &c. abrepti ſunt. Adde, cùm exiliſſima nata ſint illa vaſa, ad quæ deviarunt ſucci ſub *arthritide* v. g. dilatari ea illicò nimium & in *atoniam* conjici, infirmiora proindè evadere, quam ut excitatis in abdomine vellicationibus concinant aut obſequantur. Sic introſpicienda ſe dant *purgationum* pericula, ſub affectibus *cutis*, *glandularum*, *articulorum*, &c. in quibus plenis buccis decantantur purgantia. Re vera, inde eſt, quod *ſcabies*, ipſius artis medendi *ſcabies* evadat non infrequenter, ab adhibitis præpoſterè purgantibus. Eadem culpa inſanabiles ſæpè fiunt *herpetes*, lethaleque aut ulceratum evadit *eryſipelas*. Simili errore in *carcinomata ſtrumæ*, *arthridines* in tormenta abeunt. Tandem facinore non diſſimili *variolas* in *ſphacelum*, *morbillos* in *phthiſin*, in atram mortem mutant febris malignæ *purpuram*. Nihilominùs tamen ſuccos ad habitum exilientes, catharſi revellere ſatagunt ad corporis centrum, idque artis conſilio; verùm cùm id officii a circuitu expectandum veniat, quandoquidem ſucco intrà vaſa coercito, ad cor redeundum ſit, ea uſurpanda præſidia, quæ reditum ſanguinis adjuvant. Hæc inter ut ſeligenda ſunt quæ majora vaſa tum deplent, tum a repletione arcent; is jubendus vivendi ritus, ea ſumenda remedia, quæ ſanguinem a tumore, ardore, tumultu præſervent, ut ad inanitas majorum vaſorum capacitates accurrant, redituri ex ultimis vaſorum capillamentis ſucci, qui facta ſibi ſpatia occupent. Id a *purgatione* expectas? *Aquam ex pumice*. Quin imò, inopportunè adhibita ſtimulatione, illis nempè locis ad quos evocari nequeunt ſucci diſſiti longiùs, aut illis hærentes partibus elatere defectis qui tardantes ſuccos acceleret, his reverſuris obices poſuiſſe eſt; conſtrictionem enim inferre corporis centro, dum ſuccorum farctura obſtruuntur habitus vaſa, utrinque vias præcludere eſt. Id màli certò incurretur, ſi (quod medicorum plebeculæ conſuetum eſt) *draſticorum*, *phlegmagogorum*ve mala opera, in *cutis* & *glandularum* morbis evacuationem ſollicitent, in quibus, ſi uſquam, *lenientibus* & *eccoproticis* alvus movenda magis; quam exaſperanda. Hic enim facienda purgatio, *conſecutionis* modus eſt, qua patentioribus factis & apertioribus abdominis viis, ad eas utpotè *reſiſtentes* minùs, confluunt ultro, qui in habitu ſtagnant ſucci. Ut enim preſſio eſt univerſalis, motus ille *ſyſtalti-*

cus partium omnium, consequentia est aut necessitas ut illac uberiùs & citiùs se conferant succi, ubi minùs erit resistentiæ. Undè exurgit princeps illa purgandi lex in ejusmodi affectibus: *escoproticis* indulgere multùm, a *drasticis* omninò abstinere.

Observabitur adhuc sua esse horum, ut & *acutorum* morborum, exacerbationum tempora, quæ ex *dolore*, *rubore*, *tensione*, *tumore*, *inflammatione* internosces. Sub his casibus, cùm *spasmodica* intendatur fibrarum constrictio, evacuationem moliri, *surdo canere est*. In tantùm obsecundant *stimulatæ* partes, in quantùm incontentæ sunt; cùmque *spasmo* convulsæ sint partes, quas dolor angit, urit ardor, tumor premit, aut *phlegmone* tendit, ab his dimittendum esse nihil, pro comperto erit. Undè altera purgationis lex, purgandi tempus hic esse, remissionis intervallum. Tertia lex venit, purgationem hic usurpandam imprimis, *præcautionis* causa, qua provideatur malorum incrementis. Vulgò putant id præsidii necessarium, quò primis viis, ut ajunt, everrendis consulatur; veriùs dicas, ut materiæ minùs asportetur ad partes affectas: derivata enim ad intestina succorum copia majori, horum quantitas minor laborantibus partibus accedet. Ultimum indè nec aspernabile commodum emergit, levatæ sic ægræ partes, paratiores sunt ad *topicorum* operationes, quæ dùm minorem succorum molem tenuandam, liquandamve offendunt, faciliùs subeunt, tenuant pleniùs, feliciùs deterunt, & minuunt, dissipant.

CAPUT XXVIII.

De purgandi *ratione & intentionibus, in morbis qui ad* chirurgiam *spectant.*

VULNERA facilè comparaveris & *apostemata* cum *acutis* morbis; cum *chronicis*, *ulcera*, *fistulas*, & *ossium* affectus. In vulneribus & *abscessibus* ubi *coctionem* expectant, *purgationem* cum *coctione* modulantur. In *ulceribus*, *fistulis*, *ossium* affectibus, imprimis si cõtumaciora, maligniora, *dysepulotica* ve fuerint, ut incoctiles succi habentur, qui ejusmodi alunt ægritudines, posthabita *coctionis critica* spe, ut a purgatione ferè statim curationem auspicantur, in eadem sæpiùs repetita pergunt; non tam coquendam venire materiem, quæ affectas partes perditura esset, quam rati intra vasa siccandam, præfocandamve. Ad rem, ut videtur, si consiliis consentiret eventus; at quam cito ac feliciter *vulneribus*, tam infeliciter ac serò *ulceribus* medentur. Difficiles & infaustas ejusmodi curationes refundere moris est, in *cacopragian*, viscerùmque labem irremediabilem; at cùm infeliciter cedere videas ejusmodi curationes; iis in corporibus, quæ vegetat florens ætas, quæ ornat vividus color, quæ vestit nitens cutis, quæ fovent integra viscera, aliundè inferenda venit curarum illarum infelicitas. Porrò, a certa & consueta curandi methodo resilire convenit, ubi fallax & infida esse consuevit; mutandique in medendo consilii ratio competens est, familiaris pluſquam & quotidianus eventus infelix. Atqui crebris, ac sæpiùs repetitis *purgationibus* instituitur *ulceribus* medendi ratio; quid si, quæ in infaustis chronicorum curationibus suspicio injecta fuit, ab ingestis sæpiùs *purgantibus*, repeterentur medicationum illarum infortunia? Hoc dato, *purgationibus* parcere, curationem hic prosperare erit aut accelerare.

Purgationibus suis ut fidem faciant, stabiliunt destillantis continuo *seri* putrescentis *epigenesin*, quæ *ulcera*, &c. perennat. Seri autem illius evacuandi necessitatem exaggerant eò magis, quò infensius, acrius atque depascens

magis

magis ipsis sese immiscent partium medullis, aut mille cuniculis partes deterens. Tot indè malis invasuris obviam ire necessum prædicant, quod a *purgationibus* faciliùs, expeditiùs, pleniùs impetrandum pollicentur.

At in eodem luto semper hærere est, *humorum* nempè copia, quorum aut acrimoniam nullibi non videntes, copiæ illius, cùm adest, & acrimoniæ quæ adnascitur causam nunquam animadvertunt. Stupendum quidem quam exuberante succorum quantitate diffluant ulcera, sic ut in *marasmum* deducant laborantes. Interim tantùm ulceris causa est diffluens humor, quantùm *cauterii* causa est exundans indè succus; in utroque proliciuntur succi, utrobiquè suctionis genus est a stimulatione ortus, quæ vellicatas partes stringendo, succos quibus madent, exprimit. Stimulationis illius originem altiùs indagando, aliud ab humorum copia invenire est, sanguinis ipsius *systasis* est aut mora, qui stagnando, fibras divellit, augit, inquietat. Revera obvium est & quotidianum a *varicibus* nasci *ulcera* atque nutriri. Coerciti autem sub hac stagnatione succi, cumulando vasa, distendendoque, rumpunt tandem, fonticulos aut rodendo aperiunt, aut hiatus devellendo faciunt. At ratione alterutra ulcerationes committantur, a *pressione* fiunt, *solidorum* proindè non *fluidorum* vi & opera.

Fistularum par ratio; familiares & consuetæ sunt *hæmorrhoidum* appendices, quarum cuniculi seu *sinuositates* pressionis stagnatarum partium effectiones sunt; *systaltici*, at *spasmodici solidorum* motus, succos prementis, extrudentis & exprimentis operationes.

Tàm parùm ab humoribus venit *ossium caries*, quæ pressionis quoque opus est. Tubulorum enim glomeribus constant ossa non secùs ac cæteræ corporis partes, quorum suus est *systalticus* motus, suæque *oscillationes*; obscuræ si sensibus fides; certæ, si rationi; cùm enim suus sit intrà *ossium* vascula succorum circuitus, *emboli* vi illis opus est, quæ eò usque jaculatos a corde succos, cordi restituat. *Periostii* munus illud est, *tunicæ* scilicet *densæ*; immensè *compressilis*, quæ *ossium* tubulos arctè vinciendo, digitorum more stringit eos, stringendoque exprimit. Hinc est, quod detrito, corruptove *periostio*, nudata ossa vitium capiant, ponant exuvias, *cariem* contrahant: in propatulo est ratio, vi compressili defecta *ossa*, cùm *periostium* exuerunt, suis defraudantur *oscillationibus*, suis autem deflituti impulsibus præterfluentes succi, morantur, lentescunt, stagnant, cumulati premunt, divellunt, rumpunt; aut acescendo deterunt, rodunt, exedunt.

Sub his omnibus affectibus contemplari est tardatum hærentemque alicubi sanguinis circuitum; indeque deviantes a cursùs tramite succos, unde *pituitæ*, seri, lymphæque ploratus ac sudationes. Reipsa quidem, rarò primarii esse solent memorati affectus, aut ultrò nascentes, sæpiùs *secundarii* aut vicarii, prioribus succedentes: morborum enim pars non minima est, quæ in *varices*, *abscessus*, *fistulas*, &c. desinit. A crasso, *terreo*, *tartareo*, *calcinato* seu ustulato sanguine (qualem esse illum decedentibus morbis imaginantur) hos affectus manare docent; at meliùs a lasso partium *elatere*, qui diutiùs per morbum primarium excercitus, fatiscit tandem, *oscillatas* crebriùs partes in quandam quasi *atoniam* conjicit. Undè fracta vasorum *systole*, præterlabentes succi otiantur, langueseunt, stagnaut. Hæc a fatiscente, perdito aut absente *periostii elatere*; eadem aut pejora ab eodem aucto nimiùm audies.

Periostium utpote *tendinosum*, proindè *contractile* admodùm; si *spasmodicè* se habeat, hanc in subjectos ossium tubulos exercet *strictluram*, quæ succos omnes illapsos strangulando, moretur & intercipiat. Status eorum ea quos torquet veterata *venerea lues*, strictionis enim memoratæ testes erunt, qui in artus eorum sæviunt immanes cruciatus, qui tandem in arcanas *caries*, *exostoseseque* ac *nodos* manifestè erumpunt.

Stringentis *perioſtii* ſpecimen aliud offert, tunicæ illiùs inflammatio, a qua ſic tenduntur arctanturque partes ut dolores mille ægrotanti apportet. Porrò quantùm conferat *oſſium* affectionibus ſuccorum aberratio, evincit *rachitidis* vultus aut formatura; dùm enim *carnoſæ* partes macie horridæ ſunt & alitura defectæ, ſuccis nutritiis adeò luxuriant *oſſeæ*, ut ſpatia non invenientes in brevi infantium corpore intrà quæ in longum creſcant, arcuari cogantur, nimiaque alimonia exuberantes articuli, *lympha* ſeu *ſinovia* turgentes in nodos exuberent. Qua de cauſa? Ea ſcilicet quod infantes aut lacte craſſiori aut uberiori, aut pultibus farinaceis ad ingluviem oggeſtis farti, tantam *partis albæ* ſanguinis copiam in vaſis ſuis aggerant, ut nauſeantes venæ, plurimam illius partem ad *excretoria vaſa*, ſpermaticarum, ut loquebantur, partium nutritia, elabi ſinant; meliùs ad eas partes, quales *oſſeæ* ſunt, divertunt ſucci, quæ rubra ſanguinis *portione* propemodum vacuæ, alba nutriri amant. Undè *rachitidis* cauſam cogitabis ſuccorum deflexionem quos a carnibus oſſa ſuffurantur. Ulteriùs hanc cauſam ſcrutari ſi pergas, in vitiata *ſolidorum ſyſtaltica* vi poſitam invenies primam originem; *tonicam* intellige *ſpaſmodicam diatheſin*, qua *ſolidæ* partes, vividiori & *elaſtico* nimis ſucco ebriæ, ſtringuntur ſic & arctantur, ut anguſtiores facti vaſorum *diametri*, advenientibus ſuccis ingreſſum renuant; adeò verum eſt nihil aliud eſſe morbos, quam mutatas functionum facies, a mutatis ſuccorum & motuum illorum *determinationibus*. In quo animadvertere eſt, ut alibi innuimus, quibus contingat de cauſis, ut morborum pars maxima, vix aliqua poſt ſe ſui linquant in cadaveribus veſtigia. Illud autem in *ſpaſmodicis* affectionibus, conſpicuum imprimis eſt, ſub quibus, partibus aliis debiti ſucci, ad nervos abripiuntur. Quæ conjectura ad *lymphatica* & *glandulas* quoque ſpectat, quo adacti deviantes ſucci, affectiones ut difficiles & moroſas; contumaces pariter apportant. Verùm ut eo unde digreſſi ſumus revertamur, ad morbos nimirùm, qui *chirurgiæ* adjudicantur; hinc confirmare datur traditam alias abſtruſam *abſceſſuum* illorum naturam, qui multiformes *oſſium*, *dentium*, *veſiculārum* ſpecies condunt; ut enim cyſtide ſeu involucris *membranaceis* ſinguli coercentur, quæ *ſyſtole* propria, ſingulari & extrà conſuetam naturæ normam nata exercentur, inſolitas officinas in illis concipere licet, in quibus devii liquores verberentur, & in has vel illas *concretiones*, hujus vel illius figuræ, vultus aut corporaturæ fingantur, elaborentur ve. Denique illinc non malè deduces *verrucarum*, *polyporùm* ve origines; laſſatæ enim *contuſæ* aut *vulneratæ* partes, ac diverſimodè divulſæ, preſſis expreſſiſve undequaque a partium nativa *ſyſtole* ſuccis dehiſcunt, qui ſic inopportunis & inſolitis ſpatiis concluſi, ut incondite tunduntur, inconditas quoquè edunt formaturas. Nec omittendum ab iiſdem ſuccorum aberrationibus pingi in extima cute varias colorum imagines; ut enim abrepta ad extimam corporis ſuperficiem *bile* naſcitur *icterus*, a ſupreſſis *menſibus*, chloroſis; ſic a ſtagnantibus & refluis his vel illis ſuccis, variis ac fœdis coloribus deturpari cutem cogitabis, multipliceſque enasci *lepræ*, *pſoræ* & *elephantiaſis* ſpecies. Hujus quoque ſunt loci *carcinomata*, dirum morbi genus, ſurdum remediis, purgationibus imprimis, quarum ſtimulis iratæ partes, curam detrectant. Revera, cogites cuneatos ſuccos *lymphaticos* intra ultimos vaſculorum fines, intimiſque glandularum receſſibus incarceratos; ut illinc ad alvum revocare gradum non datur, ſtimulationibus irritis exacerbati, ſuis ſedibus figuntur magis, ſtrictiuſque coerciti, ut partes quas obſident gravant diutiùs, ſic mora vitiantur. Ex præcluſo ſic ad interiora reditu, concludunt ad exteriora recludendas eſſe vias, undè ad *diaphoreſin*, *reſolutionem*, *maturationem* ſe accingunt, undè *unguentorum*, *cataplaſmatum*, *emplaſtrorum* infinitudo; ſed infauſto æquè ac moleſto conſilio, ſic enim eo tractis humoribus, quò vi morbi pellun-

ſumtur, naturæ tramites & propenſiones declinare eſt, morbidorum ſuccorum impetui obſecundando. Abſit tamen ne quis credat, hæc dicta eſſe, ut ab ejuſmodi affectuum cura exulent prorsùs externa, ſeu *topica* medicamenta; his imò ſuus aſſerendus honos, ſed & locus internoſcendus, & occaſio obſervanda quæ curationum anima eſt, eorundem conditio tenenda, undè medendi legum tutamen. Porrò vix credendo eris quàm paucorum *oleorum*, unguinum, *emplaſtrorum*, *cataplaſmatum* uſum admittant *eatis* & *glandularum* affectiones, illi enim ut *eryſipelata*, *phlogoſes*, dolores, &c. apportant, his *ulcerationes*, malignoſque hiatus pariunt, aut inopportunos & infelices *abſceſſus*. Cedunt feliciùs *lotiones*, *fotus*, *epithemata*, ex aquoſis, humentibus, *anodynis*, quæ dùm cuneatorum ſuccorum preſſiones mulcent, laxant partes, iiſque concedunt id ſpatii quo indigent ut ad cor; circuitus lege tandem remeare poſſint.

Hæc auxilia aſpernantur ii, quibuſcum purgantibus res eſſe conſuevit; illorum enim evacuationibus deluſi, morborum fomites in iis ſuſpicantur, in quibus vitæ cauſas ſæpè fuiſſet invenire. Morbidis quidem quibuslibet ſuccis ſua reſeranda ſunt effugia, at ejus ſortis ac poſituræ, ut ſuccorum locis, ſedibus, *vergentiis*, propenſionibus concordent. Iſthæc autem fuerint in iis ferè omnibus affectibus memoratis, quæ cuti propria ſunt, cæca ſcilicet illius ſpiramina, quæ ſuccis eo uſque advectis exitum parant. Hinc forte inferes *ſudoriferorum* & *diaphoreticorum* uſum, quo miſerabiles illos affectus expediendos eſſe tibi fingeres, at quam inauſpicatò aperit ſincera illorum *ætiologia*; quod rebellent in cauſa eſt ſuccorum facta impulſio in profundos & remotiores partium receſſus; igitur iſtiuſmodi remedia adhibere, quæ *cordis* & *arteriarum elaterem* elevent, tùm & ſuccorum propulſorum impetus augeant, morbis ipſis manum dare eſt, currentique malo calcar addere.

Ejuſdem infortunii erit, purgantium uſus, ſi iis cuneatos ſuccos revocare volueris, quæ dùm corporis centro tumultus cient, & impetus promovent, ſuccos fortiùs adigunt, pellùntque longiùs. Indè videas his ſub caſibus una cùm creſcente tumorum mole, deſcreſcere corporis molem, detritis non morborum ſed vitæ fomentis. Revera oſtendunt quotidiani & infelices purgationum exitus in curandis *ſtrumis*, *carcinomatis*, *ſcirrhis*, &c. quam malè cùm his evacuationibus conveniat talium affectuum medela, moti enim non promoti, qui illos, committunt, ſuci, ſæviunt, acriùs fortiùs arientant, cuneantur, divellunt, exulcerant, ultimamque ſed infauſtam & exitialem malis ejuſmodi imponunt manum.

Nunquid igitur in totum ableganda ſunt & proſcribenda *purgantia* a curatione *tumorum*, *ulcerum*, &c. in illos cadat hæc objurgatio, quos fugit fauſtus, qui legitimus erit, purgantium uſus ſub his morbis; hic enim cum abuſu horum expoſtulatur, ſeu cum iis qui in purgatione ſitam ſibi finxere totam illorum curationum ſummam: obliti, non infrequenter in *alterante* magis quam in *evacuante* vi ponendam eſſe *purgantium phlegmagogorum* imprimis potentiam. Miſſo enim *agarico*, qui *alterantis* titulo *theriacam* ingreditur, miſſo *rhabarbaro* cujus dilutum alterando magis quam evacuando infantium morbis auxiliatur, *mercurios* ipſe *alterando* magis medetur illis affectionibus, quam *evacuando*. Ejuſmodi enim ſortis & texturæ eſt, ut ſub mole minima, inſignis ſit ponderis, undè dùm tenuitate ſua minimis vaſorum *diametris* accommodatur, maſſa ſua valet, quem a *ſyſtole* partium acceperit motus impulſum & *determinationem*, ad ultimos uſque partium receſſus conſtanter tranſmittere. Hac ratione arcanos partium cuniculos pervadendo, ſuccos tenuat, comminuit, terit, eliquat. Imò terit; explorata enim eſt *mercurii* partium *elaſticitas*, qua fit ut illius particulæ tubulorum anguſtiis compreſſæ reſilire cogantur, *occillationis*,

nis, *tritus* proinde genus est, quod arctis tubulorum comprimentium parietibus coercitæ exercere tenentur. Verum quidem est evacuationem succedere, at modo insigni copia offeratur, alias interjectis *purgantiunculis* indiget, quibus eliquatæ materies impetu concepto, in sublime tendentes, ad alvum deturbentur.

Interim hic quoque evacuando juvant *purgantia*; cùm enim succos nutritios depascere soleant, a quibus maximè aluntur memorati morbi, hos præcipitando in intestina, ad anum deturbant; maximè si *mercurialia* sint, quæ ponderis vi intestinorum *peristolen* vincant; aut *lympham* intrà vasa liquando, intestina versùs profundunt. Artificium est, quo depulsis aut amandatis succis morborum illorum nutritiis, marcere morbi ipsi coguntur & extingui. Quæ non pauca supersunt purgationum commoda, ex suprà dictis inferenda sunt aut repetenda.

CAPUT XXIX.

De prospera aut improspera, utili aut periculosa, linquenda aut iteranda purgatione.

PUrgationis felicitas est, bonis ægri rebus, & cum *euphoria*, facta per alvum evacuatio. Quod ut succedat, facit maximè cautus ac prudens *purgantium* delectus. *Eccoproticum* aut *drasticum* adhibere, non perinde est. Illo abuti semper, hoc uti nonnunquam periculosum. Est ubi solis *enematis* insistendum; sæpe ad *eccoprotica* progredi datur, ad *drastica* quoque transcendere indulgetur. Tandem morbi sunt aut morborum casus, quos *purgantia*, sunt quos *emetica* juvant.

Eccoprotica abstergendis primarum viarum sordibus addicunt, rati illam eorum operationem in humoribus tractandis unicè impendi; quam meliùs locabis in laxandis emolliendisve partium fibris. Hinc inter *eccoprotica* principem locum occupant *emollientia*, *diluentia*, medicataque herbis convenientibus jusculà. Hoc sensu, suus erit *eccoproticis* locus, ubicunque rigidior fuerit partium *tonus*, quæ observatio ad *chronicos* æque ac ad *acutos* morbos pertinet: quot enim dat mortuos sub *acutis*, tot sub *chronicis* facit causarios inepta purgatio. Hæc *eccoprotica* si maturiùs intestina non laxaverint, illicò suum *drasticis* fieri locum concludunt; at perperàm, intutus enim nunquam magis est *drasticorum* usus, quàm ubi inobsequentes comperiuntur intestinorum fibræ. Igitur ut votis cedat *drasticorum* usurpatio, opus est ut comperta partium abdominis laxitas, diffitarum partium, quibus humores hærent, obsequia spondeat. Interim in exploranda partium *diathesi* cautus sis adhuc, ne fucum faciat ista hæc inobsequentia. *Purgationi* partes obsurdescunt, idque vitii a stupore repetis? Meliùs illum stuporem de *atonia* interpretari putaveris, Ut ut sit, errore ductus, ad *cardiaca* confugies, quibus *purgantis* vires erigas? In decipulam cadis. Enimvero reluctantur partes, quia *phlogosi*, *spasmo crispatura* impeditæ, a suis *oscillationibus* arcentur. Si a *phlogosi*, una *diluentia* locum invenient; si a *spasmo*, *emollientia*, ipsaque *oleosa*, quæ *phlogosi* infensa sunt. Est quoque ubi resistit alvus, ab abreptis aliò humoribus, quo cognito, cæteris consentientibus blandis stimulantibus intestina vellicare conceditur. Ejusdem considerationis est *enematum* usus, sæpissime fotus, interdum stimuli loco erunt. In genere, cum abdomen capacissimum sit succorum confluentum, *glandularum* infinitate, quibus constratæ sunt quotquot illius

sunt

ſunt partes, has aſſidue ſub morbis admoneri convenit, ut tantùm de ſucco morbido minuatur, quantùm de ſuccis ad inteſtina invitabitur. Ut quid autem ſuccorum vacuandorum unicè meminiſſe? Laudabiliùs & aliunde *enemata* proſunt, maximè ſi inartificialia, aquea ſint & diluentia, *mellis* & eorum omnium expertia, quæ inviſcant & obſtruunt: quantumvis autem *ſeri* aut *lymphæ* copiam vacuent inteſtinorum *glandulæ*, majorem longè perſpirabilis intùs materiæ quantitatem fundum & exhalant continuò inteſtinorum infinitis punctis pertuſorum oſcilla. Itaque quantæ utilitatis comperiuntur ex aquis balnea, exteriori cutis *tranſpirationi* perennandæ, tantæ futurus *enematum* aqueorum uſus, tergendis nempe inteſtinorum parietibus; quò largiſſimè vaporent. Porro, quantùm arcendis malis confert externa, tantùm valebit interna *tranſpiratio*. Adeo ut *enematum* ſimiliumque beneficia inſcitè noverint, qui ſpe ex iis concepta cecidiſſe ſe putant, quòd ſordes craſſiores ex eorum uſu non obtinuerint: fauſtus erit eventus, ſi titillatione levi, aut molliori affrictu excretoriorum oſcilla tergendo reſeraverint, quibus intercluſa *tranſpiranda* materies, expedita liberè vaporet. Hinc inter convaleſcentium bona numerat *Hippocrates* flatus ano prodeuntes, reſtitutæ enim internæ inteſtinorum *tranſpirationis* ſigna ſunt; hæcque boni ominis, monente eodem *Hippocrate*, ſi ſonori fuerint; argumento ſcilicet, unà cum redeunte interna *tranſpiratione*, nativum inteſtinalium fibrarum *tonum*, *periſtolen*, & *occillationum directionem* reſtitui, ita ut expreſſa vaporans materies elidatur vi, & cum ſtrepitu erumpat. Ex his omnibus concipere eſt, proſperum purgantium eventum, pendere a molli, facili & libera inteſtinorum habitudine, qua fiat, ut eliquatis protruſiſque purgantis opera ſuccis, pateant & obſequantur *excretoria*. Unde in artis purgandi partem quoque venit *topicorum* abdomini admotorum uſus, quorum præſentia emollitæ partes laxantur. Hujus efficaciæ ſunt *fotus* calentes, *cataplaſmata* imprimis, quæ abdomini accubantia, titulo duplici proſunt; tum fibrarum *ſpaſmum* frangendo, tum evacuationem provehendo, invitandove. Re ipſa ad extremitates vaſorum quæ ad cutem tendunt humores provocando, *ſecretionum* quæ in inteſtinis peragendæ ſunt, promotionem juvare eſt; ſuccorum enim & *occillationum directiones* quæ a corde ad habitum feruntur ſervando aut reſtituendo, humorum qui ad inteſtina derivandi purgatione ſuſcipiuntur *determinationem* ſequi eſt, aut æmulari.

At *purgationem* nihil adeo fortunat, ac *diluentium* uſus; maximè cum evacuationes unicè adjuvet utraque, *liquidorum* nempe & *ſolidorum*, facilitas; cui opitulatur hinc ſuccorum tenuitas, mòbilitas, & ad *ſecretionem* aptitudo, illinc partium *ſecernentium* habilitas. *Tranſcolatio* enim eſt *ſecretio*, qua non hæ vel illæ in vaſis ſegregatæ portiones intra *ſecretoria* ſeliguntur, ſed qua tenuatione facta meabiles ſucci, intra partes diffunduntur, diffluunt, foraſque ſtillant. Quod ut intelligas, *glandularum* (quibus corpus perſtratum eſt) nomine concipito, penicula menta ſeu fimbrias bibaculas, chartæ emporeticæ ſimiles, quæ quos vehunt ſuccos ſorbent; appendices & extrema ſunt tubulorum, qui in ejuſmodi lacinias molles, ſuccoſas, & bibulas deſinunt. Poſthac ſi memineris, quo pacto madentes pannorum laciniæ, quam ebiberunt aquam procul & foras traſmittant, artem tenes qua ebriæ ſuccis, madentes & ſuccoſæ corporis partium fibrillæ, ſuccos quos ebiberunt, ad *glandulas* traducunt, ad eas nempe in quas, penicillorum more, finduntur ac deſinunt lacinias. Addideris ſuam quoque eſſe ſanguinis fibræ *contractilitatem*; tum præcipuam eſſe & copioſiorem *albam partem* qua ſanguis conſtat, quæ cum fibra ſanguinis coincidit, quæque denſari, cogi ac compingi facillime poteſt;

poteſt; tunc concipere erit, quoto madore indigeat ſanguis ut aſſidue humeſcens, a ſpiſſitudine & compactura præſervetur, ne, quod illi ſub morbis moris eſt, in gluten firmetur & ſolideſcat, *ſolidum*que ſic intra *ſolidum* compactum, cordi impellenti inſuperabilem obiiciat molem. *Diluentium* autem titulo ea accipienda veniunt, quæ ut inartificialia ſic & meabilia ſunt magis, utpote neutralia & *adiaphora*, qualia ſunt aquea; cum enim *diſſolventium* omnium ſimpliciſſimum ſit aqua, ita & univerſale magis; in quo animadvertere eſt, cur ſuccorum omnium qui in corpore *ſecernendi* ſunt, *lympha*, quæ aqua eſt, commune ſubjectum ſit, publicaque materies; elutriandis enim proliciendiſque tam variis ſuccis apta maxime ſunt aquea; unde (quod obiter monendum) inferre licet aquarum ſpecies eſſe omnes illos ſuccos. Revera metus eſt, ne dum diluentibus ſalinis aut ſaporis nimiùm partes ſollicitaveris ad *ſecretiones*, ſanguinis *fibram* in *contractionem* cogas, *ſecretoriorum*que fibras in *ſpaſmum* (qua mala arte irrita fiet & caſſa *evacuatio*) una & eadem *fidelia* compreſſis *ſecernendis* & *ſecretoriis*.

Inde concipitur quorundam corporum, *melancholicorum* imprimis conditio, quorum partes dum ſuccis herbarum mollientium (quæ *Hippocratis* medicina fuit) macerantur, oleorum interno mulcimine plures per dies ingeſto indigent, quò quos ſuo ſinu coercent ſuccos concedant, ſed hæc aliàs tradita huc revocare inopportunum; hæc iterum innuiſſe ſatis erit, quò inutilis & periculoſæ *purgationis* rationes attendenti pateant.

Alea enim res plena maxime eſt, *ſolidas* partes ſtimulando in tantùm non laxare aut aperire, ut ſtringantur magis; unde *ſpaſmorum* diſcrimina, variarumque *metaſtaſium*, quæ motos, non promotos humores aliò exportent. Ulterius progreditur exinde emergens damnum, mutatis inde perverſiſque *occillationibus*, inconditè & præpoſterè verberati ſucci a *coctione* recedunt, inſuetaſque indoles, texturas, habitudines induunt, naturæ moliminibus, motibus, *determinationibus* contrarias. Hinc *apoſtaſes* multiformes, *colliquationes* multigenæ, totque difficilia *ſymptomata*, quæ ægrotantibus labores apportant, crucemque figunt medico.

Creſcet periculum ſi aliò quàm convenit feratur *purgantium* impetus, aut ſtimulantium vis; ut enim partes laxari indociles aggredi facinus eſt, ab iis exitus indebitos extorquere artis crimen erit. Interea ſi peccatur, quoties humores qui deorſum vacuari amant ſurſum deturbantur, *purgantibus emetica* ſufficiendo; quaſi perinde ſit, æqualibuſque armis decertare, *purgantibus* aut *emeticis* uti. At non oblitis humorum *vergentiis*, quæ memoriæ medentis nunquam excidant, attendendum imprimis, an excutiendi humoris voluntas ſit; aut inde quò irruit dimovendi, an evacuandi finis ſit; ſi prius, *emetica purgantium* loco poterunt uſurpari, imo non infrequenter *purgantibus*, his ſub caſibus anteponenda venient *emetica*, quæ cum ſtimulando potiſſimum agant, dimovendis humoribus aut aliò rapiendis aptiora comperiuntur. Secus ſe res habet, cum ſub febre contumaci, a ſanguine extricandus humor diſpellendus eſt; tunc temporis *accommodatiora* ſunt *purgantia*, quæ expediendis a ſanguine humoribus utiliora ſunt. Eſt quoque ubi *vomitoriis* indulgendum præ purgantibus; naſcentibus v.g. morbis, aut ſub ingluvie recenti, ubi ſub pondere ſuccorum & mole gemit abdominis cymba.

Neque omittendum, affectiones eſſe & conſtitutiones, in quibus per *epicraſin*, diluendo & in plures doſes propinandæ ſunt purgationes. Exemplo erunt *chronici* affectus quam plurimi, ubi non tam affatim præcipitare ſuccos & evacuare convenit, quàm ſuffurari, minuere, ſubducere. Tractandæ ſimiliter *malignæ febres* non paucæ, ubi cum anceps eſſe poſſit, an ceſſurus ſit

aut

aut indocilis futurus humor, diluendo mulcendus venit, ne indomitus sæviat effrænatiùs, imo ut fractus saltem cicuratusque recedat. Tanti momenti hîc est *diluentium usus*, ut ab eo pendeat quoque facilis *purgantium* operatio, utpote quorum beneficio ea debeatur *euphoria*, quæ faustas purgationes spondet & comitatur. Quapropter jubebatur ab antiquis medendi magistris, *lentium* decocti aut similis sed liberalis potus ab assumpto *cathartico*, videlicet ut dum *purgantium* stimulis partes vellicarentur, potulentorum mulcimine laxatæ obsecundarent.

Arrident delicatulorum palatis, *pilularum*, *bolorum*, *opiatorum*, *extractorum formulæ*; sunt etiam quæ juvant *potionum eliquatarum*, *clarificatas* dicunt, usus; sed quæ sub his quæruntur palati solatia, latent morborum suscitamina. Suis enim cum exuviis sua posuerunt *extracta* & *eliquatæ potiones* mulcimina, quibus aliunde carent omnino *pilulæ*, & similis sortis formulæ. Igitur illis abstinuisse, præcordiorum mollitiei ac tutelæ prospicere est, quorum *eupragia* in eo sita est, ut mollia sint, facilia, tractabilia.

Famam quoque hac ætate sibi fecerunt *fundentia* (quæ verè *colliquativa sunt*) inter quæ *mercurialibus* primas concedunt. At non aliunde veniunt majores insidiæ; quam enim obtinuerunt energiam, a suarum particularum insigni *elasticitate* habent, quæ *excretoriorum diametros* cogendo, dilatandoque impensiùs, invitos referant. Verùm quid futurum de iis remediis in corporibus aut morbis, ubi *phlogoses*, tumultus, *spasmi* dominantur? Ubi ardore rigentes partes adversus stimulum recalcitrant, novos daturæ labores?

Rebellantium viscerum ingeniis accommodatiora sunt *opiata catharticis* maritata; quantùm enim sub *acutis* morbis, a purgationibus natos tumultus pacant *opiata*, vespertinis horis exhibita, tantùm in tractandis *chronicis* affectionibus eadem valent *catharticis* admixta, nascituris tumultibus præcavendis idonea; exempla prudentibus artis præbebunt *colici*, *hysterici*, *nephritici*, *scorbutici* affectus, in quibus industria non furca, expellendus est hostilis succus.

Huc spectant adhuc *idiosyncrasiæ*, quæ arcanæ sunt corporum *diatheses*, unde fit ut ægrotantium quosdam invenias, quos lædit *cassia*, alios quos *senna*; *manna*, *rhabarbarum*, &c. cæteros.

Quapropter cauti medentis est, ab ægrotis scisciari, nunquid ab aliquo purgante medicamento lædi soleant, ne pro pharmaco toxicum propinetur. Huic tamen examini deesse ideo periculosum esset, eique annuere ideo necessarium, quod illo omisso aut spreto, insigni ægrotantis damno verteret purgantis perperàm sic exhibiti operatio.

Definiendum supereſt, quandiu aut quoties repetendum veniat *catharticum*, quandove linquendum sit, & ab eo desistendum. Videas quibus cordi est *purgantis* operatio quæ liberalis est & copiosa, adeo ut a *purgatione* non cessent, quandiu affatim prodeunt humores. Contra alios reperias, quos ad *purgationem* iterandam mirè provocat cassa *purgatio*, quæ parùm eduxit. Si priùs, in motu humores esse clamitando, ad *catharsin* recurrunt; si posteriùs humores fortiùs impactos esse pronuntiantes a *purgatione* in tantùm non resiliunt, ut acuendum esse aut iterandum pharmacum asseverent. Medium tenet beatus in medendo *Hippocrates*, qui non ex copia æstimat *purgantis* efficaciam, sed ex levamine, unde pronuntiat laudabilia quæ excernuntur, si fuerint *talia qualia oportet*, si reddantur cum *euphoria*, denique si profint. Itaque quantumlibet copiosa fuerint *cathartico* prolicita, infida erunt, *intuta*, calamitosa, si ægrotantis levamini non fuerint. A *purgando* quoque abstinebis, quoties irrita *purgatio* movet humores, non promovet, talem enim *facilè non fert* ægro-

tans, qui inde eò minùs levatur, quò torquetur magis aut conturbatur. Ultimam etiam minabitur perniciem, si a purgatione vehementiùs stimulatæ partes, *spasmo* concepto, tenduntur, tument, prominent. Re vera ininde cumulari uberiorem humorum quantitatem arguunt, qui minùs emunctæ naris in medendo sunt; secus artis sagaciores, qui *solidorum spasmi* inibi augurantes, a *purgatione* cessant, ne *crabrones irritent*; aut utiles succos eliquando, vitam pro humoribus minuant aut tollant.

CAPUT XXX.

De fortuitis purgantium *successibus*.

QUorsum autem, inquient, tot ac tantæ cautiones? Quò tot observationes, tot præcepta quæ ad rem non spectant? Quæ videlicet ad eam non pertinent artem ubi sors dominatur, quamve fortuna regit. *Quisquis* enim, *monente Hippocrate, fortunam ex arte medica ejicit, is mihi, contra quàm debet, sentire videtur*. Porro quæ bona affert, quæ infert mala *purgatio*, hæc *perpetrat fortuna*, si quemadmodum narrat idem *Hippocrates*, *exhibito medicamento, quod bilem aut pituitam deorsum purgat, menses retardati erumpunt. Lienem suppuratum habenti, medicamento exhibito quod bilem aut pituitam deorsum educat, pus ex liene per inferiora expurgatur, & morbo ægrotans liberatur. Calculum habenti exhibito medicamento purgante, calculus in meatum urinarium vi protruditur, ita ut cum urina exeat. Ei qui pus in superiore ventre ex tuberculo collectum habet, idipsum ignorantes medicamentum quod sursum pituitam educat exhibuerunt, isque pus vomitione rejecit, sanusque evasit*.

Suaque habet incommoda purgatio, quæ casus operatur. *Exhibito*, ut pergit Hippocrates, *medicamento quod pituitam sursum educat*. venam in pectore præ vomitione rumpit. *Mulieri utero gerenti exhibito medicamento sursum purgante, alvus affatim deorsum erumpens fœtum abortione rejicit*, &c. Posthac fortunæ fœtus facilè dixeris purgantium opera, aut artis ausa, quæ fortitudinem animi in medente arguent magis quàm industriam. Maximè cum *optimis medicis similitudines imponant & difficultates pariant*.

Re vera, sapientiæ est, *similium dissimilitudines, & dissimilium similitudines dignoscere*; sed sua habet principia medendi ars, *quæ tota firma est, cujusque perceptiones pulcherrimæ; ejus enim soror est sapientia, nec aliunde quam a medicina venit manifesta naturæ cognitio*. Sua igitur illius est certitudo, sua constantia, quæ in eos cadit, *quibus non satis est eam ratiocinatione nosse, sed & in usum exercitatione traduxisse*. Hanc exercitationem edocet occasionum scientia in qua medendi peritia versatur. Ut ut enim *fortuita sit & anceps* occasio medendi, *plerumque attendenti se offert cum lenitate*, ait idem *Hippocrates*; quæ *lenitas* naturæ caracter est & ingenium, cujus cum firmæ sint leges non fortuitæ, consequitur *occasionum* cognitionem, quæ illius motuum scientia est, non fortuitam, cæcam, aut abnormem constituere artem; imo *occasiones*, quas profert, ipsius tramites ostendere, aperire mores, promere consilia,

Quod ut intelligas non eventa cum eventis comparabis, in quibus produnt se non infrequenter judiciorum fallaciæ; doctus enim perinde ut indoctus, rudis ut peritus, juvenis ut senex, medetur ac sanat. An propterea felices utrosque putaveris? Perperam; fortè feliciter curabunt imperiti, at infeli-

felices erunt medici, *improbi*, ut ait *Hippocrates*, *occaſionum* ignari, fortunati aliunde, in morbis nempe levioribus qui periculo vacant, aut in iis corporum conſtitutionibus, quibus evertendis vix par eſſe potuerit aliquis morbus. *Medicorum* enim *plerique*, ut pergit Hippocrates, *navium gubernatorum malorum mihi ſimillimi videntur, qui ſi tranquilliori mari navem regant, nemo eos peccare deprehendit. Quòd ſi eos vehemens ventus aut tempeſtas oppreſſerit, jam omnibus conſtat eorum imperitia, & culpa navem perditam. Eodem ſanè modò improbi plerique (medici) dum leviter affectos curant, in iis quidem ſi delinquant, plebejos latet, ubi verò in magnum & vehementem & periculoſum morbum inciderint, tunc illorum ars & errores ſunt omnibus conſpicui.* Itaque ſi *purgandi* felicitatem in aliquo explorare volueris, hanc non ex eventu proſpero in morbo leviori auguraberis, æſtimabis autem ex induſtria aut ſagacitate qua *purgandi* anſam ſubolfecerit, captaveritque in morbo difficili & periculoſo, in conſtitutione debili, tenera, *atrabilaria*, *melancholica*, *hyſterica*.

Interim (quod concedendum eſt) fortunæ genus in medendo recognoſcere oportet, quo quis fractus morbo, faſtidita vulgari methodo, ad alienigenarum medicorum manus confugiens, *catharticis* aut vehementioribus, aut crebrioribus uſurpatis convaleſcit: ſic eſt profectò, *at non minùs temeraria eſt*, ut habet *Celſus*, *iſta medicina; quia plures ſi protinus a principiis excepit, interimit*. Ideoque pergit idem, *ejuſmodi medici meliùs alienos ægros quàm ſuos* (curant aut) *nutriunt*. Porro alienos nuncupat eos quos alibi felices verè aut fortunatos deſcribit; aſſeclas nempe *illius medicinæ cui fides eſt, quòd nimirum multò ſæpius, perque multò plures ægros profit. Talis* enim *ſit* oportet medicina, ut *cum ſæpius reſponderit, interdum tamen fallat. Non itaque, ſi quid vix milleſimo in corpore aliquem decipit, id fidem non habet, cum per innumerabiles homines reſpondeat*. Fortunam igitur in medicina amabis quæ perpetua aut ordinaria felicitas erit, cavendo ab ea quæ audaculorum aut medicaſtrorum eſt, qua tamen capitur hominum plebs, quæ ad inſolita ſtupet, licet eam illorum audaciam regat impetus non ratio, caſus non ſapientia.

Interim ut fortuitam ejuſmodi *purgationum* utilitatem intelligas, illarum efficientiam definire & aperire convenit. Vehementiora ſunt aut crebriora, utraque fortaſſis, illa medicaſtrorum purgantia; talia proinde quæ ſanguinem impensè eliquent & ſolvant. Hac ſub enormi eliquatorum ſuccorum copia deliteſcere ac foras abripi & deturbari morbi cauſam, veriſimile eſt. Id offert exempli, *mercurii* operatio, qua *ſyphilis* curatur. Morbi hujus cauſa ut recondita eſt & inconſpicua, ita altè ſuccis aut ſanguini miſcetur. Huic extricandæ impar ſolita medendi ratio, a *mercurio* id operis obtinet, cujus omnipotentia ſuis cum exuviis ponit quidquid morbi condebat ſanguis. Re ipſa, denſis his *lympharum*, *ſeri*, *pituitarumque involucris*, quibus litum *mercurio* corpus diffluit, quidquid delituerit morbidi ſucci eliminabitur. Ampliùs, facta hac ex *glandulis* & *membranis* omnibus humorum colluvione, molleſcere, laxari, ſolvi & a *ſpaſmis* recedere, ſicque mutare *tonum* partes neceſſe eſt, ſic ut dum *fluidorum* motus convertuntur, dum *ſtagnationes* ſolvuntur, dum curſus divertuntur, *ſolidorum preſſiones*, *potentiæ*, *occillationes* frangantur, alienentur, invertantur; unde *directionum*, *undulationum*, *determinationum* immutatio, converſio, inverſio. Porro quàm tumultuaria eſſe poteſt, confuſanea, fortuita proinde iſthæc curandi ratio, tàm incerta, ominoſa, inconſtans eſt illarum *purgationum* operatio, quam promit cæca aut audax purgandi libido.

Ejuſdem aleæ ſunt, diſcriminis & fortunæ *purgationum* tentamina, quibus humores impares *purgationi* & indebitos, aut a *purgationum* ſemitis alienos trahere aggrediuntur malè ſani artifices. Sanguis fuerit in vitio, a circuitu deſciſcens, ab æquabilitate motus degener, a *directionibus* delirans, a *determinationibus* abreptus, ſtagnans, lenteſcens, impeditus, qualem habent non infrequenter mulierum ac virginum morbi: ſub his humorum ſaburram ſuſpicari placebit, mille purgantium ſtimulis laceſſendam? Sanguinem turbare erit, ſuccos remiſcere, *ſecretiones* ſiſtere, provocare partes, non laxare, ſtringere non ſolvere. Similiter, morbum fecerit animi *pathema*, ſanguinem accenderit ira, coegerit melancholia; in culpa ſit *ſuccus nervoſus*, morbum alant *preſſiones* auctæ, exleges *occillationes*, *undulationes* inverſæ, præpoſteræ, abnormes; his omnibus in auxilium vocare *purgantia*, præterquamquod humores evocare fruſtra eſt (qui fortè nunquam ſunt) ad invia loca, ad alienas vias, declinare eſt; tam diſſimiles enim ſunt ſucci nervorum excurſus, tantùm ab inferioribus locis alieni, quantùm qui ſublimes ſunt parum concordant eum iis qui ſunt ad ſuperiora procives. Interim his ſub caſibus audacula manu propinata *purgantia* ſuccedere videbis? Caſus & fortuna eſt; aut improſpera, inſidioſave proſperitas, quam æmulari & in artis exemplum adoptare, temeritati medicaſtrorum aut inſaniæ auſcultare erit.

Attamen non diffitendum fortuitos dari *purgationum* ſucceſſus & abnormes, ut videtur, ſi vulgari & ſolitæ curandi methodo comparantur, quos aliunde condonat aut ſinit, artis prudentia. Ineuntibus v. g. *variolis conſtuentibus*, in *plethoricis* & juvenibus, adhibita qualibet diligentia, exuberans & evoluta nimiùm morbida materies *apoſtaſes* ſubitaneas minatur; aut partes quas de repentè invaſerit opprimere; tunc temporis maturiùs propinatum *mochlicon* imminentem diſcutis procellam. Id certè novit qui artifex eſt, at præceps caſus eſt, ubi ambigua remedia experiri ſatiùs eſt quàm nulla, toleranda tamen, imo laudanda, ſi legitimæ methodo non præiverint, fuerint igitur pediſſequi illius non anteambulones, quæ ſequantur, non antegrediantur: ſunt enim medendi *occaſiones* quas ſi a fronte præoccupare non datum eſt, a tergo uſurpare conceſſum; cæterùm medicinalis operæ pretium eſt quod docuit & commendat uſus, quo abuti dedecet artis novitios, quibus ſalivam moverit fortè id exempli, ſed non *licet omnibus adire Corinthum*. Id igitur audentiæ ad artis magiſtros pertinuerit.

Quidquid enim de methodo medendi clamitent, regimen & conſilium eſt non tyrannis, injuſſu cujus aliquandò ſapientibus mederi licet; docet enim magis quàm imperat, aut quas jubet leges tempori, loco, occaſioni, aſſervire ſinit. Nam ut certamina dantur, ubi præliandi legibus mancipare ſe, periculo eſt aſſentiri; ubi v. g. athletæ vis & impetus magis, quàm certandi ſcientia terrori eſt, ſic a ſeveriore medendi arte recedere, ars eſt, ubi debellandus humor, naturæ jugo excuſſus, inclementia ſævit & malitia. Hinc inſperati *purgationum* felices caſus ſub his morbis, ubi ſic a circuitu delirarunt ſucci, ut ægrum perimerint priùs, quàm circuitui reſtituerentur. Hos iterùm obtinebis caſus, quoties ab ingeniis & moribus ſuis adeo deſciverunt liquores, ut viſcera labefactaſſent, antequàm ad ſuam ſe recepiſſent indolem.

Denique illi ipſi ſe produnt *purgandi* caſus non aſpernabiles, quando partibus ſic corporati ſunt hoſtiles ſucci; ut ſenſim minuendi ſint potiùs ac per *epicraſin* deterendi ſint, quàm affatim exturbandi. Verùm quod inculcandum ſæpiùs eſt, ut raræ ſunt aves, rara erunt artis auſa, quæ ab uſu aut experien-

rientia] tenenda erunt & ediſcenda, utpote quæ obſcuret ratio aut obnubilet.

Similem, & inſolitum purgationis eventum felicem peritos edocuit idem uſus, qui norunt narium *hæmorrhagiarum* reditus *purgatione* prævertere: ubi videlicet ſanguinis *elaſticitatem* nimiam diluentibus, *concentrantibus*, *anodynis*, mulcentibus frænare fruſtra tentabitur, niſi tandem occaſione nata, mollitis nempe tempore ſimul & diluentibus ſuccis, eorum ſublimes impetus frangere detur, idque idonea *purgantis* uſurpatione, quæ emollitas diù inferiorum partium fibras ſtimulando, deorsùm efficaciùs *occillari* cogat; ſicque *determinationes* mutando, *directiones* inſtauret.

Alia ſi vis exempla, oculatis enim & uſu ad praxim informatis identidem ſe produnt, *vomitionum*, *diarrhœarum*, *dyſenteriarum* ſanationes, proferent. Sub his omnibus morbis, intra vaſa quæ partes illas texunt, ceſpitans aut hærens ſanguis, has inſultat, ſuccutit & in *ſpaſmum* conjicit; unde exaſperatæ *occillationes* turbantur, motuſque promunt aut niſus inconditos, a quibus tormina, dolores, anxietates, excretiones morbidæ. Triſtis totius illius tragediæ author eſt ſanguis, quàm compeſcit interdùm *purgans* opportunè datum. Sic eſt, ſed caſus opus eſt, qui enim exturbantur humores ſtimulatarum partium fortuitæ expreſſiones ſunt, dum revera eadem ſtimulationis opera exſuſcitatæ partes, *tonum* mutant & occillationes, impeditumque & hærentem ſanguinem verberando fortiùs, pellunt efficaciùs, circuituique reſtituunt.

Verùm fortuitæ *purgationis* efficaciæ evidentius argumentum nullum eſt, quàm illius effectio qua parturientibus auxiliari obſervatur. Fœtus hærens, ignavus aut inſtupens uterus parturienti mortem minatur? Acrioribus injectis *clyſteribus*, aut tempeſtivè dato *purgante* ſolvitur uterus, & excluditur infans. Num in infantem agere ita hæc *purgantia* credideris? Pallidis virginibus lethi minas intentat pallida mors? In cauſa eſt menſium defectus? Adhibita *purgatio* auxiliabitur: an quia ſanguini eliminando adjudicatur *purgatio*? Hæc quaſi incogitando operatur. Quas mordet partes ad contractionem cogit, quæ ars illa eſt qua *purgante* (vel tantùm enema fuerit) vellicatus uterus ad excluſionem fœtus ſe accingit. Pari ratione quæ pungit vaſa, ad *ſyſtolem* provocat, creſcenteque aut inſtaurato *elatere* ſanguinem vegetiùs premunt, & excretionem illius promovent, ſed tunc fortuita vis eſt, qua *purgans* ſuam præter inſtitutionem, ſanguinem educit.

Hæc igitur omnia concedenda ſunt, quia comperta; at ut caſus ſunt, iis aſſuefieri minùs convenit, artis enim rara ſunt, quæ medendi induſtriam oſtendunt non legem. Igitur ut illa non omittenda ſunt, ita hæc obſervanda: imo verò eò ſcrupuloſiùs tenendæ *purgandi* leges, quò pluribus obnoxia videtur caſibus *purgatio*, tot enim incommodis parens & erroribus, tot inſidiis circumſepta, prudentia & cautionibus maximè indiget, quæ dum tutum illius uſum tueantur, ab abuſu præſervent. Interim cum adhibita quavis cura, ſtabilitis quibuslibet legibus, ut *aliquando bonus dormitat Homerus*, ſic luditur quoque *purgando* cauta medendi lex, ſit.

CAPUT XXXI.

De emendandis purgationum *delictis*.

OMissionis sunt purgationum peccata, vel *commissionis*; delinquunt enim, vel nihil vel perperam agendo. Meliùs, quod de vita traditur, de infelici *purgatione* dictum puta; hujus *magna pars* insumitur *nihil agendo*, *maxima*, *malè agendo*, *tota*, *aliud agendo*. Revera, aut nihil, aut malè, aut aliud operantur purgantia emolumento morbi, ægroti detrimento. Si *nihil*, supplendum iterando statuunt artis rudes; si *malè*, acuendum pronuntiant; si *aliud*, non intelligunt ii, quibus perindè est, modò humores affatim exterminatos prospiciant. Secus definiunt artis prudentes. Si vacuatione cassa sit *purgatio*, a purgando resiliunt, benè conscii facinora esse medentis opera, quæ invita ac reluctante natura suscipiuntur: in animo aliunde habentes, aut longiùs adhuc abreptos esse a *secretoriis* succos, quàm ut ad *intestina* revocentur; aut sanguini intimiùs esse remissos quàm ut extricentur, vel rigidiores spasmo esse fibras, strictioraque *secretoriorum* oscilla, quàm ut succos elabi sinant. Unde intelligunt evacuationem aggredi sub hoc *solidorum*, *fluidorum*ve statu, *æthiopem esse lavare*. Hunc statum *cruditatis* nomine indigitabat medicina vetus, quo perseverante, piaculo ducebat *purgationem* tentare, imo crimini, frustra tentatam iterare. Enim vero tunc temporis meminisse convenit, morbos dari sub quibus evacuationem *purgatione* obtinere, aut difficile esse periculosum, aut impossibile; quales eos comperit usus, qui a *phlogosi*, ardore, remora sanguinis committuntur magis, quàm ab humorum putredine, corruptela, saburra; ejusdem quoque conditionis sunt, qui a siccitate, ut ajebant, præcordiorum nati erant, quod de fibrarum *tono* firmiori, rigidiori, *spasmodico* interpretaberis. Irritam denique se præbet *purgatio* in quibusdam corporum, regionum & aeris constitutionibus, quæ ad siccum & calidum vergunt; cæterùm quotiès sub his casibus cassa *purgatione* peccatum fuerit, consilio magis quàm opere, cunctando non festinando, sarcietur delictum; frustrata enim sic evacuatio, præproperæ *purgationis* argumentum est; præproperæ, inquam; quamvis enim interposito plurium dierum intervallo exhibita fuerit; festinatam hanc dices, quoties intractatas partes, indocilesque succos invenerit; his enim conditionibus obtinendis, vix aliquando hebdomadum intervalla satis erunt.

Cunctationi accedet *diluentium*, *mollientium*, *mulcentium* usus; *apozematum* v.g. herbarum succi aquosi, per *residentiam depurati* aut eliquati, non decocti, utpote qui ignem experti alvum subducunt minus. Nec omittendum non infrequenter resistere ideo partes *purgantium* operationi, quòd *phlebotomiæ* parcitum fuerit, quæ postliminio in usum revocata, alvo solvendæ confert, astipulante observatione familiari; non rarò enim dum sanguis è secta vena manat, derepentè bonisque ægri rebus laxatur alvus. Neque id fortuitò contingere ostendit partium *mechanismus*; illæ enim ideo laxantur, quia tractabiles illarum fibræ, oscillationibus facilè serviunt. Porro vasorum capillamenta, quibus contextæ fibræ sunt, impeditis, hærentibus ac cuneatis succis sæpe turgida, partium *systoli* impedimento sunt, quæ quia a suis contractionibus arcentur, succorum expressioni, evacuationi proinde adversantur. At educto per venæsectionem lentescente sanguine, liberæ factæ & expeditæ partes; facilius *oscillant*, fortius comprimuntur, efficaciùs expellunt

& eva-

& evacuant ; unde fit ut *venæſectio* laxantis medicamenti partes impleat & æmuletur.

Verùm, quod fidem vix inveniet, reſtituendæ quæ ſemel irrita fuerit, *purgantium* operationi, nihil adeo conferet atque *opiatorum* ſapiens uſus. Laxandi enim ars purgandi ſcientia, a *ſolidorum tono* dependens; aſt *tono ſolidorum* molliendo nihil tam idoneum quàm *opiatorum* vis. Aliunde, ex medicaminibus nulla dantur tenuandis *fluidis* ſive ſuccis aptiora *opiatis*, quæ ſanguini admixta, liquare illum, coloreque purpureo induere comperiuntur. Id autem, quod mirari ſubit, exequitur *opium* pacando ſedandove, ea ratione cæteris medicaminibus diſſimile, quæ ſanguinem tenuando, tumultus movent. Rationem aperit *opii* indoles, ea eſt, ut præ cæteris mixtis, quæ *volatilibus ſpiritibus* turgent, iis maximè abundet: ſic ut ex una *opii* libra unciæ ſex *ſpiritus volatilis* eliciantur. Igitur cogitabis ex *opio* corpus ſtatim ingreſſo, leviſſimam & uberrimam *halitus* aerii nubem vaporare, qui halitus a ſpiritibus impetum & *exploſionem* facientibus diſpar, non mole quam vix habet, non gravitate qua exuitur, non pondere quo caret; ſed pernicitate fulguris inſtar, non arietando, non diſpellendo, non diſgregando, ſed permeando, pertranſeundo, pervadendo operatur. Hac arte fit, ut ſanguinem ſubeundo, *lymphamque* nervorum ingrediendo, penetrando ſingula, turbet nihil; imo vi nulla ſuccorum *ſtagnationes* (quæ *dolorum*, *laborum*, *ſpaſmorum* & anxietatum cauſæ ſunt) ſolvendo eliquandove, *liquidis* fluiditatem, *ſolidorum occillationibus* ordinem, ſanguinis circuitui æquabilitatem, & utriſque (quod curæ omnis & operæ medicinalis apex & faſtigium eſt) æquilibrium reddat & pacem.

Porrò ea ut plurimùm de cauſa irritæ fiunt, evacuatione defectæ, aut mutilæ *purgationes*, quòd ſanguis compactus nimiùm ac glutine lenteſcens parùm diffluat, ineptus proinde qui a *ſecretoriis* combibatur, ut *ſecretionibus* ſerviat. Cum enim purgationum materiatura ſit *lymphatica* ſeu *alba* ſanguinis *portio*, compactior facta aut glutinoſior; in eliquamina, quæ purgantium effectiones ſunt diffluere nequit. Unde *opiatorum* energia tenuatus & eliqueſcens, *purgantibus* materiem ſuppeditat, purgationumque auget evacuationem.

Purgationis peccatum frequentius eſt evacuatio depravata, quæ cum *dyſphoria* fit & torſionibus, ſuccedentibus vigiliis, angoribus, febrium auctariis, tenſionibus partium, doloribus, *renitentiis*, &c. prominentiora enim a purgatione facta *hypochondria*, renitenſque factum aut tenſum abdomen, miſeræ purgationis aut ominoſæ vix incerta erunt indicia. Huic autem admiſſo malo, eadem quæ modò tradita ſunt medicina erit; ſaltem idem medendi ſcopus; ſic interim, ut cautio major fit, & certus minùs eventus. Hoſtiles enim & exitiabiles facti purgantium ſtimuli, id roboris partium *elateri* addunt, ut abnormi *elaſticitate* ſævientes in ſuccos quos vehunt & pellunt, exlegeſque & effrænes facti huc illuc fucci, cæco caſu & incerto abripiantur, ardores, *phlogoſes*, tumultus, *ſtagnationes* daturi. His remedio erunt venæſectio & *opiata*, ea cura illico adhibenda & diligentia, quæ imminentem cladem ultimam avertant. Ingenti huic malo non inepta adhuc medela erit, a carnium aut juſculorum quæ ex iis comparantur abſtinentia, quorum locum ſupplebunt *oryzata*, *hordeata*, *avenacea*, quæ cum *ſulphureis* partibus fœta minùs ſint quàm carnaria, fomitum minùs ſuppeditabunt ſanguis ardoribus, minùſque agitatorii *ſpaſmis* ac tumultibus, quibus anſam dederit anxifera purgatio. Malæ purgationis & difficilis medela aliquando fuerit purgantium permutatio. Fortè *catharticorum* loco uſurpanda erunt *laxantia*; *emeti-*

co-

ticorum vices implebunt fortaſſis *cathartica*, cum dentur morborum corporumque conſtitutiones, ingenia, *vergentiæ*, occaſiones, quæ hæc vel illa præ cæteris admittunt.

Bilioſis, ait Hippocrates, *ea exhibeto quibus bilis repurgetur; melancholicis, quibus bilis atra: hydropicis ea ex quibus aquæ . . . . . Si verò alia quàm hæc purgaveris, quæ verò non convenit evacuabis. Quare bis peccabis.* Indè manavit ſolemne illud *Hippocratis* axioma, *ſi talia purgantur qualia conveniunt, confert & facilè tolerant.* Ex harum autem obſervationum neglectu provenit ominoſarum purgationum pars maxima. Reipſa purgationis ut ut fauſtæ & utilis incommodum neceſſarium eſt, ſanguinem ſpoliando pauperare; at calamitatibus auctarium erit, ſi inacto ſucco qui morbum alit, alterum exhaurias qui ſanitatem foviſſet. Hinc auguraberis quid non naſciturum mali, ex eorum rudi & incondita curatione, qui *bili, pituitæ, uni ſero* evacuando ſtudent in iis morbis, qui ab hujuſmodi humoribus non pendent: qui humores venantur in iis quibus cauſa eſt ſpirituum *ataxia*, quos fecit *animi pathema*, quos invexit inverſus ſanguinis curſus. Quæ illorum non infrequens culpa eſt qui *hyſtericas* catharticis torquent, qui *ſpaſmodicas colicas*, quales ſunt quæ pictorum aut pictonum vocantur, *emeticis* tractant; qui *melancholicos, atrabilarios, ſcorbuticos, hypochondriacos* purgando vexant. Simile peccatum eorum eſt qui morbos qui ſanguinis ſunt, in humoribus poni prepoſterè cogitantes, purgantibus ſanguinem eliquant, ſiccant, exhauriunt; quod delicti ad eos pertinet qui in pleriſque virginum, mulierum, prægnantium, puerperarum morbis purgantibus indulgentes, devium a circuitu ſuo ſanguinem alienant magis ac disjiciunt. Non minùs periculosè impingunt, qui alterius ab eo loci ubi ſedet morbus parem ſuccum educunt, quod in eos competit, qui *pituitam*, cujuslibet fuerit loci perindè habentes, illam quæ narium pulmonùmve eſt eduxiſſe putaverint, ſi eam omnem quæ ſtomachi & inteſtinorum eſt penitùs everrerint. In eodem errore conquieſcunt, qui in ſero evacuando tam ſecuri ſunt, ut pars quælibet, viſcus quodvis, qualis aut quæ fuerint regio corporis, officio medentis feciſſe ſatis arbitrantur, ſi ſeroſam colluviem tranxerint. Tales decipit *ſeri, pituitæque* ex cathartico proventus, in curatione morborum qui jecori proprii ſunt; ſub his enim affectibus quantus quantus purgando exierit humorum acervus, ægri damno, utilium jacturæ, morbi incremento prodierit, uſquedùm bilis aſſatim deturbata, obſtructionem ſolvi, expedirique jecur & liberari oſtendat. Imo *bilem* uberrimam prodire minimi erit, niſi flava, non plùs nimiò diluta, levis, æqualis & facilis exeat, ſubacta nimirùm ut decet aut cocta, naturæque congrua moribus. *Poracea* enim, viridis aut pallida nimiùm ut cruditatem ſic acredinem arguit, laborantemque adhuc ac militantem non victricem naturam.

Quas purgandi cautelas, ſi *acutis*, ſi *chronicis* affectibus aptaveris; ſi cum *capitis, pectoris. abdominis*, totiùſque corporis habitus morbis contuleris, ad impendentia purgationum pericula ſtupebis, adeo alios ab humoribus, qui illos committunt affectus, educere conſueverunt, niſi purgandis artis erudita manus providerit. Sic purgantia ſanandis *apoplexiis* mendoſa ſe produnt, ea autem unade cauſa, quod *bilem*, *pituitamve* educant è ſtomacho, cùm ſanguis lenteſcens, hæret, ſtagnatur, tardeſcit in cerebro. Similis delicti exemplum habes in *peripneumonia*, ubi purgationi vacare, cuneatum & impactum ſanguinem turbare eſt, agitare, & in tumultum agere. Tam malè olet purgatio ſub *tabe*, ubi dùm pulmo tuberculis horret & induratur, humores primarum viarum extrudere ſatagunt. Quid plura? *Stomachi, inteſtinorum, renum, veſicæ, morbos* purgationibus exaſperari comperies, ſi humoribus educendis, quibus illos affectus attribuunt, aſſueverit; aliud enim a cauſis extrudèndo, moleſtiam afferes

feres laborem. Intereà cavebis ſedulus, ne credas penitùs exulari debere purgantia ab omnibus his memoratis affectibus; enimverò qua de cauſa, quibus occaſionibus, quo tempore & loco, ſub qua conſtitutione, quove ſexu, purgando juvare norint artis magiſtri, traditum alias: undè meminiſſe tantùm hic convenit omnes quotquot ingruunt purgationum calamitates, huic adſcribendas venire errori, quod purgationes in tantùm auxiliari perſuaſum vulgo ſit, in quantùm humores educendi ſunt, hoſque humores ipſiſſimos eſſe, qui morbos faciunt, fovent, curabileſque reddunt aut incurabiles.

Sed *aliud* adhùc aut incongruum operari purgatio deprehenditur, cùm febrem, cujus extinctioni ſtudetur, auget aut exaſperat, quod cùm contingit a repetenda *catharſi* manum abſtinebis, niſi purgandi indeclinabilis urgeat neceſſitas; quo dato caſu, *corticem peruvianum*, *opiata* quoque fortaſſis, purgantibus proximè ſecuturis admiſcere è re futurum, ut *una & eadem fidelia* mulceas & eblandiaris, quas ſtimularis partes.

Eſt quoquo ubi operando nimiùm purgationes nocivæ comperiuntur; ſic delinquunt cùm exturbatis hoſtilibus ſuccis, utiles quoque & amicabiles eliquati ſuccedunt & exterminantur; *ſuperpurgationem* nuncupant, quæ enormem evacuationem ſonat. Purgationis enim legitimæ & laudabilis muneris eſt, morbidos ſuccos eliminare, eos videlicet qui in *ſecretoriis* hærentes; ad *excretionem* parati accingebantur; in his autem excretis conſiſtens evacuatio *confert*, talemque *facile ferunt*. Succi enim ſunt manumiſſi a natura, damnatique exilio, qui detrimenti nihil apportant; ſecùs erit ſi fortiori ſtimulo vellicatæ partes vehementiùs, crebrioribuſque *occillationibus* exaſperatæ, ſanguinis interiores ſuccos, totiès verberando dividunt, divellunt, atque lacerant; quo in caſu lethiferas accerſunt *colliquationes*, eò exitiabiliores, quod *ſpaſmo tonico* dehiſcentia *ſecretoriorum* oſcilla, patula permanean aut dilatata, *determinatis*, corrivantibus, ſtimuloque percitis, & impetum facientibus ſuccis excipiendis continuo ſubjecta & obnoxia. Calamitatis ſumma erit, ſi immaniter ferociens irritata *ſyſtaltica* vis ipſiſſimam rubicundam ſanguinis portionem divellendo extrudat, adeò ut humorum loco, quod *hypercatharſi* familiare eſt, ſanguis ipſe cacando reddatur. Ulterius procedens *deleteria* purgantis præpoſterè oblati malignitas, ad *nervos* ſerpit, quos ipſos acriùs laceſſendo, mordet, pungit & angit; undè *tendinum ſpaſmi*, *ſubſultus*, *tremores*, *ſpirituum ataxiæ*, *comata*, *deliria*, infeliſſima (ſi quæ dantur) portenta.

Cruenta dejectio purgationi ſuccedens, ut ut malis ægri rebus contingat, curam feliciorem admittit, illi enim *ſpecificè* auxiliatur *theriaca*, hoc titulo artis prudentibus commendata. Revera, ut inſigni ſapore condita ſentitur, metus eſt non mediocris ne ſalibus aſpera, odore gravis, fœtaque aromatis intra ſanguinem febrilem & flammantem evoluta, tumultus cieat & incendia; ſed his providebitur incommodis, eam exhibendo *alcalinis* pulveribus iiſque *fixis*, tùm aceto imprægnatam; pulveribus enim impedita, acetive *acido fixata*, minùs habet undè ſe pandat, evolvat ſe, vel exaltetur, aut *volatilium* turbas exſuſcitet. Comitem adhibebis *diluentium* & edulcorantium uſum, quo caſtratæ vel depreſſæ *theriacalium* potentiæ, mitiùs ſe gerunt cum ſanguine. Nec omittendum eum eſſe *theriacæ* ardorem, qui formidinis minus incutere debeat; *opio* enim gravida multis occurrit malis; partes enim laxat, mollit, expedit, viaſque ſanguini reſerando, circuitionem illius reſtituit, qua ratione ardores arcet aut ſedat.

Tendinum ſpaſmis, &c. auxilio quoque erit *theriaca*, efficaci tamen minùs ea enim ſunt memorata *ſymptomata*, quæ ipſiſſimam *ſolidorum* ſubſtantiam inficì monſtrent, intimaſque partium medullas, quod idem eſt ac vinci naturam,

ſic ſuffoſſam; ut ſecretiores ſui obices intimioraque repagula tueri potuerit. Exhibenda interim eò confidentiùs, quod *opiata* cardiacis admixta caſtigandis nervorum vitiis & emendandis ſpirituum *ataxiis* tutiora comperta fuerint.

CAPUT XXXII.

Parergon.

An purgationibus *carere poſſet medicina?*

DUO importat quæ hic inſtituitur quæſtio; videlicet, an ſic vivere potuiſſet homo, ut nuſquam purgationibus indigeret: 2. An poſita præſenti vitæ conſuetudine, aut victus vulgaris norma purgantibus carere potis ſit? Quo audito, ſtatim ſecum reputant quos juvat præconcepta de ſaburris aut ſordibus opinio, an ſic ſuam inſtituere potuerit homo vitæ rationem, ut nulla ſuperfluerent ſuccorum inutilium ſuperamenta, bene conſcii (ut ſibi videntur) elimi nandis unis ſuccorum ejectamentis dicari purgationem. Quæ ſi vera ſint, erit undè a purgandi neceſſitate liberent homines, qui eduliorum temnendo luxuriem, parco & ſimplici victus regimini ſe devoverint. Illorum ſpes alit confeſſa apud quemcumque obſervatio, valere ac ſeneſcere hominem, cæca cujus cutis ſpiramina eandem circiter inconſpicui halitùs forma exſpuerint ſuccorum copiam, quam ore conſumpſerit. Revera, mentem ſerenat nihil adeò; vegetatque corpus humanum atque victus parcimonia, maximè cùm pauxillum ſit illud neceſſarium, quod vitæ ſuſtentandæ opus eſt; undè conſequitur vix unquàm futurum ut purgari indigeat, qui ſic inſtitutus fuerit, utpote cui, purgationi indulgere idem fuerit ac neceſſaria abligurire. Fidem mereretur id genus conſilii, ſi unius alimentorum luxuriæ fœtus eſſent ſuccorum exuperantiæ aut ſuperfluitates; iterùm, ſi inutilium tantùm & ejectitiorum ſuccorum ſoboles eſſet cachochymia. At aliundè quoque veniunt iſthæc delictorum genera. Undecunque compingatur ſanguis, ex quibuslibet eduliis, quavis parcimonia & frugalitate aſſumptis, labem contrahere poteſt; ut enim declinaverit nemo lethi irrevocabile fatum, ut ut ſeverioris parcimoniæ victus ſtudioſus fuerit, ſic ſanguinis delictis aut *deliquiis* aſſiduè patet iiſque ineluctabilibus. Naſcitur enim homo, proindè moriturus, factus ſic temporis caſibus obnoxius. Quod dictum putabis, ut intelligas aliudè, quam a copia ſuccorum humores oriri, ideoque ſtare poſſe purgandi neceſſitatem, dempta etiam ſuccorum redundantia, qui licèt pauci natura ac laudabiles; eliqueſcere poſſunt & in humores degenerare. Motus enim, ſanguinis *eucraſiæ* tutamen eſt, qui tandiù nitet purus & intaminatus, quandiù liberè, facilè, & æquabiliter intrà vaſa circumrotatur. Turbato autem illo motu, morante, impedito, perit illa circuitus æquabilitas, indè ſanguis hærens lenteſcit atque denſatur, vaſorùmque anguſtiis coarctatus, preſuſve, quos ſinu ſuo coércebat ſuccos exprimit, ruptiſque veluti aggeribus exundat. Sic habes *ſeroſam colluviem*, ſimiliaque eliquamina, quæ circumpoſitas partes mergent, tantùm hac de cauſa, quod intercluſus ſanguis, a ſui circuitus æquabilitate dejiciatur. Itaque quemadmodùm ſecluſa ſic ſanguinis *cacochymia*, ſuccorùmque nimietate humores ſoboleſcunt, aliam a quantitate, copia aut pravitate ſuccorum purgandi neceſſitatis rationem dari intelligitur, iis etiam in affectibus, quos alunt *ſeroſa*, *pituitoſa*que eliquamina. Ampliùs, quod rei caput eſt, dempta quoque aut abſente ſanguinis omni *diſcraſia*, ſero undequaquè roreſcunt partes aut exundant. Exemplo ſit *catarrhus*, quem inſpiratus

ratus ſubitò gelidus aer invexerit; id mali ſanum quemlibet derepentè corripit, redundante adeò ſeri affluxu, ut nares, oculi, fauces, pectus ferè mergantur. Neque id diluvii aliundè quam a ſanguine repetes, quandoquidem ſæpius in *coryza* emunctо *ſero*, in *tuſſi*, exputæ pituitæ naribus aut ore ſanguis ipſe ſuccedat; adeò verum eſt, aliam a corruptela aut putredine ſanguinis proficiſci humorum eliquationem! Diverſam proindè eſſe a *cacochymia* purgandi rationem. Imo fortean rationum omnium quæ purgationem ſuadebunt, infrequentior nulla dabitur, quam *cacochymia*. Sexcentorum enim morborum pars maxima ſanos corripit & inopiantes, ſic ut qui functionibus integer pridiè verſabatur, poſtridiè graviſſimè decumbat, his ſubitò tactus affectionibus, quæ altam ſaburram vulgò arguerent. At verò vix tunc concipias, qua mala arte, aut quam infelici diligentia factum ſit, ut tam promptè, ſtantùmque impuretur ſanguis: Aliquis v. g. ſitis impatiens, labore fractus, fervens calore, ſudore diffluens, aquam nive gelaſcentem, aut gelu rigentem abſorbeat, *colicam*, *dyſenteriam*, *pleuritidem aut rheumatiſmum* is ſibi conſciſcit; nùm brevi adeò tempore in *hilem*, *ſerum*, *pituitam* reſolvi ſanguinem cogitabis? Rem ſic ſe habere concludes, aut aliam a *cacochymia* purgandi neceſſitatem ſtabilire erit. Adde contagioſos, maliguos & peſtilentes affectus, qui afflatu momentaneo obvios quoſque & athleticos infeſtant tanta vi ac potentia, ut omnes functiones illicò peſſundent; an tunc purgationis utilitates eliminandæ ſuccorum ſaburræ imputabis? Itaque tantùm abeſt a vero medicinæ inutilem eſſe purgationem, aut ea carere poſſe medendi artem, ut neceſſaria conſpiciatur, etiamſi ex paucis & ſimplicibus inſtitueritur frugaliſſima victus ratio, imò verò etiamſi laudabilis, corruptelæque aut vitii purus omninò eſſet ſanguis, qui morbum committeret. Neque enim paradoxi argues hanc de ſanguine opinionem, quam excuſſo præjudicio innuit rerum corporis ſcientia, quamque confirmat uſus. Enimverò a ſanguine puriſſimo, intaminato, & ut decet conſtituto, graviſſimos committi poſſe, imò revera in dies committi morbos ſuſpicio non levis eſt. Talium morborum cauſam eſſe *plethoram* olim ſtabilitum eſt, at dempta etiam illa veterum *plethora*, id eſt exuberante totius ſanguinis plenitudine, imò poſita ſanguinis exigua mole, ab illo vehementiſſimos affectus invehi, conjectura non aſpernabilis eſt. Denique fidem non excedit ſanginem, qui paucus nec illaudabilis fuerit in ſuccos redundantes & degeneres ſolvi poſſe.

Abſente enim univerſali plethora, qui paucus intra vaſa vehitur ſanguis, ejuſdem conditionis manet, iiſdem affectionibus & *ataxiis* obnoxius, hærere, tardari, lenteſcere capax. Mole quidem ſua is non erit qui ultroneo pondere impetum moveat, reſiſtentiaſque aggerat, aut faciat obices; at vaſa quæ ſanguinem agunt ejuſdem ſunt *contractilitatis*, eadem eorum teneritudo, vis ſyſtaltica ſimilis, quæ cùm omnipotentia ſit in humano corpore, quæ *fluida*, ſeu ſuccos omnes animalis œconomiæ pellit, urget & circumfert, iiſdem *ſpaſmis*, contractionibus, *criſpaturis* vaſa ſubjicit, facitque idonea quæ ſanguinis & cæterorum ſuccorum moras, hæſitantias, lentores, ſtagnationes inducant. Inſuper iiſdem homo animi *pathematis*, curis, ſollicitudinibus, ægritudinibus exponitur, iiſdem aeris inſultibus, inclementiis, inconſtantiis neceſſario patet; undè ſuperſtitibus morborum potentiis, poſſibiles ſuperſunt morbi, quibus minùs licèt ſubdatur materiæ, non minùs ſuberit potentiæ,

Quod autem fidem ferè excederet, ſuppoſita minori morbida materie, pauciora non ſunt quæ morbis ſuperveniunt eliquamina; hinc videas macilentos ſputaminibus aſſiduis ſtillantes, tabe confectos ſudoribus, hecticos *diarrhœis* colliqueſcere. Enimverò ſanguinem alicubi hærere ſatis eſt, ut ſtimulati & corrivantes ſucci exundent. Argumento eſt ſpina digito infixa, quæ partem quam

obſidet pungendo, in eum tumorem attollit, qui nativam illius molem duplo & ampliùs ſuperet.

Neque id mirum videbitur ei qui attenderit quamlibet corporis particulam vaſis innumeris, hæc glandulis non numerandis eſſe contextam; undè conſequitur ſtagnato alicubi ſanguine, reſides fieri & hæſitare tot, quot vaſa ſunt, ſuccos, qui impulſi continuo a corde, expulſique quia compreſſi, ab indigna partium *ſyſtaltica* vi cuneantur & hærent. Secùs erit ſi inguirgitatæ partes aut ſuccis gravidæ, emiſſariis inſtructæ ſint, quæ ſuccos ſtagnantes & intercluſos foras aut in ſubjectas capacitates eructare poſſint; hinc enim eliquaminum, defluxionum, evacuationùmve mille genera. Teſtes appellabis *epiphoram*, *coryzam*, *tuſſum*, quas invadens inopinato frigus invehit; denſata enim hac occaſione vaſa, *lympham* immodicè ploraut. Patet igitur omiſſis etiam *plethora* & *cacochymia*, duplicem adhuc dari pullulantium humorum fontem, *ſpaſmodicam* ſcilicet *ſolidorum diatheſin*, quæ *fluidorum* vitium accerſit, tùm *fluidorum* ipſorum expreſſionem, expulſionem, eliquationem, quæ *ſpaſmi* ſtringentis & exprimentis effectus ſunt. Poſthac ſi morbum fingere dabitur, undè abſit *ſolidorum ſpaſmus* vel *ſtrictura*, hincque ſuccedendes *fluidorum extruſio*, morbum tenes, qui purgatione non indigebit, utpotè qui ſic conſtitutus, humoribus nullis aut nullis ſuccorum vitiis & eliquationibus ſubjaceat. In medium proferes morbos, qui *atoniæ* imputantur, ſub quibus *lympha* madentes partes, aut humoribus diffluentes animadvertis? Sed hic quoquè in *ſolidis ſpaſmodicam* vim, in *fluidis* extruſionem reperies. Vix enim, enormem quamvis evacuationem obſervabis, quæ a laxatis, flaccidis aut reſolutis partibus omninò dependeat; hæc enim dum victi *elateris* in parte qua manat humor, argumentum eſt, vincentis *elateris* in parte mittitur indicium erit. Quod ut intelligatur, animo tenendum, excretum aliqua parte humorem, intencluſi, ſtagnati & pulſantis alicubi ſanguinis non infrequenter ſignum eſſe. Vomituritione v. g. humor aliquis excernitur; ſi præguans fuerit in utero; ſi *hepatitis* in jecore; ſi *nephritis* in renibus; ſi *cæphalæa* in cerebro ſtagnabit ſanguis. Porrò ſtagnatæ partes, ſuccorum quibus turgent mole graves, in *ſyſtolem* nituntur ut ſe liberent & expediant. Vis eſt *ſyſtaltica* fortiùs comprimens, cujus conatibus & impetui dùm obſiſtunt quæ firmiora ſunt vaſa, dehiſcendo cedunt quæ firma minùs ſunt *extretoria*. Vehementiores cogita *undulationes* a longè ad remota deſcendentes, quæ a robuſtioribus partibus profectæ, ad imbecilliores pergendo deſinunt, adeò ut quantùm illæ ad mittendum pollent, tantùm ad emittendum aut excernendum valeant. Hæc ad alvinas evacuationes transferendo, concipere erit qui fiat, ut enormis *diarrhœa*, potentiæ vehementioris ſæpiùs, quam dejectæ vis aut peſſumdati inteſtinorum *elateris* teſtimonium fuerit. Febris enim ardet, ſæviunt ſpiritus, vaſa ferociter *oſcillant*, ipſe ſanguis rigentes fibra qua tumet impetum ciet, tùnc compreſſi undecunqnè ſucci inteſtinis evadendo exiliunt, an conſpicuum magis deſideres *elateris* vincentis in vaſis, victi verò in inteſtinis argumentum?

Cùm igitur confeſſa res ſit, cuilibet morbo ſubeſſe *ſtricturam*, *criſpaturam*, deliteſcentemve *ſpaſmum*, qui *ſolida* ligando conſtringendove, *liquidorum* ſeu ſanguinis motum interturbet, aut circuitum mutet vel dejiciat, vix ullum morbum reperias ſub quo ſanguis moram trahendo vitium non capiat. Ampliùs, nullum habebis, ſub quo vitiatus ſanguis mille corrùptelarum generibus non ſoboleſcat. Non aliundè quidem mutuaberis validius argumentum & efficacius purgationis neceſſario adhibendæ; ſic nempè ſtabilita purgandi neceſſitatis duplici ratione, *ſpaſmum* ſcilicet partes alicubi ligantem ſolvendi, tùm pullulaſcentes indè ſuccorum corruptelas evacuandi; interim cum grano ſalis id accipien-

piendum eſt. Enimverò licet curandi finem & intentiones intellexiſſe, ad artis apicem gradus ſi, illas attigiſſe felicitas & faſtigium eſt; prius enim, iter eſt ad ſanitatem, poſterius, terminus eſt quem aſſequi artis caput & ſumma eſt. Hic igitur ſi alicubi curationis anima erit occaſio, quam aucupari in purgando, artificis induſtriæ eſt. Eſto reſciat, vix ullum dari morbum cui purgatio non accomodet, ſed non immemor nullum prorsùs eſſe cui non poſſit incommodare. Quod ne committat medendi curioſus, tenaci tenebit memoria, purgandi finem in ſolvenda alvo poſitum eſſe minùs, quàm in ſolvendo *ſolidorum ſpaſmo*, quem autem ſolvi ſpondet cum *euphoria* profluens alvus. Ideoque adhibito purgantis ſtimulo, morbido *ſpaſmo* vim inferre nuſquam attentabit, inconſcius an emollita ſatis inteſtinorum emiſſaria ſint obſecundatura. Cui obſervationi ne deſit, iterùm meminerit id obſequii temporis eſſe ordinario, interdùm induſtriæ, ſapientiæ ſemper opus, quod rarò inter initia morborum, ut plurimùm ſub finem locum inveniet; ſic ut in medendo ſummus futurus ſit, qui quantùm fuerit in acceleranda purgatione ſagax, tantùm fuerit in tardanda prudens.

FINIS.

INDEX RERUM.

Numerus vulgaris, textûs, Romanus, proloquii pag. indicat.

A

Abdominis consideratio (V. alvus) pag. 100
— *Inflatio.* 37. 114
— *Morbi.* 99
— *Curatio.* 119
— *Ætiologia.* 37. 114
Abscessus. 31
Absorbentium agendi ratio. 35
— *Intentio.* 14
Aciditas, morborum causa. 17
— *Ignis effectus.* 23
— *An detur in sanguine.* 23. 46
Æquilibrium. Causa Sanitatis. viij. xxii. 9. 41.
— *Ab utero.* 86
— *Vitiatum.* 21. 95
— *In quo consistit.* xj
— *Cui comparandum est.* ibidem.
Aer. Ejus mechanismus ad morbos. 21. 94.
— *In pulmonibus.* 94
— *Interior & exterior luctantur.* 21
— *Rarescens quid operatur.* ibidem.
Aeris contagia. 21
Ætates, quomodo definiendæ. 84
Alba pars sanguinis, quid 2. 107 1.
— *Materies secretionum omnium.* 119
— *Causa Morborum.* 14. 103
Alcalisatio sanguinis, quid. 22
Alimenta simplicia. 88
— *Quomodo consideranda.* 72
— *Impura quæ.* 5
— *Ingurgitata. Eorum mechanismus.* 19
Alterantium quorumvis agendi ratio. 35
Alvus. An sentina? 28
— *Publicum sanguinis emissarium.* 6
— *Illius natura, seu conditio.* 7
— *Sordes dolosæ.* 37. 39
— *Purgantium effecta.* 39. 40
Alvus sequax utilis ad purgationem. 37
Alvi fluxus. 37. 38
Amarum, acidum, ancipitis potentiæ. 7
— *An insunt sanguini.* 7
Analogia morborum. 89
Analogismus chymiæ. 84
Anastomoses. 25. 26
Anatomes studium solidorum systema innuit. xiv.
Anima, quomodo morborum causa. 18
Aphorismus Hippocr. explicatus. 75
Apostases. 13. 44
— *Variæ, criticæ.* 30
Arteriarum positura, desinentia. 12
Atonia malè intellecta. 13. 124
— *Quid est.* 111
Aurium ceruminis usus. 5

Au-

Auctores medicinales laude digni, qua ratione. xiij.
— *Eorum vitia.* i.iv.v.vj
— *Excusatio.* vi.xix
— *Caracteres.* i.ij
— *Commenta.* iv
Auctores Hippocratem imitentur. i.x
— *Imitantes.* ij
— *Quibus legibus judicandi.* xix
Authorum intentiones quales sint oportet. vj
— *Judicium quomodo exercendum.* xix

B

Baglivi laus. viij
Balsamum sanguinis, quid. 10
Bellinus laudatus. ix
Bilis, pituita, an excrementa. 3.6.26
— *Morbosa.* 83
— *Natura.* 7
— *Proventus.* 26
Boerhaave laudatus. x
Borellus laudatus. ix
Bruta, unde rarò ægrotant. 18

C

Cacochymia, quid. 123
Cadavera humorum congestiones non ostendunt. 71.72
Calor, & frigus malè intellecta. 14
— *Quantus in corpore.* 61
— *Ejus remedia.* 62
Calida remedia noxia. xx
Carcinoma. 108
Carnium damna. 71
Casus in medicina. 114.117
— *Quomodo intelligendi.* 115.116.
— *Quomodo admittendi.* 116
Catarrhorum causæ. 15.24.94
Causæ morborum. 18
— *Chronicorum.* 22 40
— *An a sulphure?* 22
— *Ab effœto sanguine?* ibidem
— *Ab humorum saburra?* 40
Censorum dotes, quales. xvij.xviij
Censura rerum medicinalium, ad quos pertinet. xvij
— *Iniqua qualis.* ibidem
Cephalica remedia malè intellecta. 90
Cerebri consideratio. ibidem
— *Fibrarum mollities.* ibidem
— *Morbi.* 9
— *Fibrarum sunt oscillationes.* 90
— *Illorum purgatio.* 91
Chirurgicales morbi. 106.108
— *Eorum divisio.* 106
— *Purgatio.* 109
Chronici morbi. Eorum tempora. 11
Chyli natura. 2.10
— *Depuratio.* 10.4.5
Chymia confusionem invexit. xij
Chymiæ analogismus dolosus. iij.xiv
— *Incommoda.* xvj
— *A quibus notata.* ibidem
Circuitus sanguinis. Illius uniformitas. 9.30
— *Unitas in omnibus succis.* 43.44
— *Ordo, ratio.* xx.9
Circuitus particulares in visceribus. 8. 12. 43.
— *Eorum harmonia cum universali.* 8.9
Clysteres. Eorum agendi ratio. 54.110.111
— *Non unis fæcibus destinantur.* 35
— *Stimulando juvant.* 54. *Probatur.* 55
— *Eorum utilitas unde.* 55
— *Potiores, quam suppositoria.* 56
— *Dimidiati quando juvant.* 56
— *Quomodo alvum comprimunt.* ibid.
Coctio & cruditas, quid sunt. 60.61.75
— *An a calore?* 61
— *An a volatilibus?* 62.63
— *Tritus, comminutio est.* 61.63
— *Tritus est lentus, successivus.* 62
— *Initio morborum.* 74.76
— *Necessaria ad purgationem initio morborum.* 75
— *Lavigatio est.* 62
Coctionis conditiones. 62
— *Exempla initio morborum.* 74.75
— *Explicatio mechanica.* 62.67.73
Colliquatio humorum. 84.4.22.23
— *An morborum causa.* 23
Colores succorum, unde sunt. 77.65
— *Mutati in sanguine quid, &c.* 63 64
Comminutio sanguinis. 6
Communitates morborum. 89
Concentrandi intentio (V. Absorbentia) 15
Cor, confluvium humorum. 27
Corpus. Automa est. 35
— *Ejus*

— Ejus œconomia. 10
— Tota in directionibus. 14
Criſes. 31
— Non ridendæ. 37.69
Critico lex ſervanda. (V. cenſura) xix
— Conditiones. ibidem
Cruditates. A lympha fiant. 64
Cruditatum materies & ratio. 67.73
— Cauſa. 63.73. &c.
— Infidelitates. 70
— Signa. ibidem
Crudum, an a frigore? 61
— Quid revera ſit. 61.118
Cutis affectus. 103.105.108
— Oleoſis exaſperantur. 108

D

Deſæcationis ratio. 4.5
Dejectionum alvi conſideratio 69. 70.76.
Depuratio ſanguinis. 4.10.64.68
— Chyli. 40
— An a fermento? 4
Deſinentiæ morborum. 95.100.
Deſpumatio ſanguinis. 2.3
Deſpumationum deliria. 64.68.122
Determinationum reſtitutio. 65.68
Diæta, cauſa morborum. 19
Diætæ neceſſitas. vij
— Abſque carnibus ratio. vij.34
Diagnoſis. vj
— Quomodo inſtituenda. v
Diametrorum machaniſmus. 65
— Proportiones. 9.41
Diarrhœæ, non ab humorum ſaburra. 39. 40.72.
— Non ab atonia. 16
— Quomodo curandæ. 71
— Non ſemper purg. indicant. 65
Diluentia, quid ſunt. 112
— Eorum utilitas. xxj.79.112
— Agendi ratio. 2
— Natura. 71
Directiones, ſanitatis cauſæ. 8.11.74.
— Mutatæ. 12.40.104
— Vitiatæ. 14.41.104
Directionum reſtitutio. 65.68
Dolæus laudatus. xv
Draſtica remedia. 110.111.
— Eorum abuſus. iv

E

Ecoprotica (V. minorativa.)
Elater vaſorum epiſtomii vices agit, 41. 46.
— Partium. xj
Emetica, in pulmon. morbis. 96
Emphyſematum cauſæ. 29
Epicraſis. 12.113
Epidemici morbi. 89
Errorum in medicina cauſæ. 11. &c
Ettmulleri laus & ingenium. xiij
Evacuantium numerus. 30
— Neceſſitas. ibidem
— Errores. 32.33
— Impoſturæ. 37.121
Evacuantia, non de purgantibus tantum intelligenda. 35
Evacuatio, quid Hippocrati. 35
— Cruenta. 121
Evacuationes partiales, ſed plures, bonæ. 69
— Ætiologiæ. 24. 30
— An a ſolidis? 24
Evacuationum ubertas, unde. 49
— Proprietates. 59
— Doli, fraudes. 28.32.33
— Differentiæ. 30
Exanthematum cauſæ. 16
Excrementum quid. 1.3
— Foras pellitur. 3. 101
Excrementorum origo. 4. 5
Excretoria intra abdomen qualia. 101
Excretoriorum aberrationes. 16.103
Exercitationes corporis. vij.viij.35

F

Facultas medica Pariſienſis laudata. ij
— Medicinæ optimæ vindex. ibidem
Febris Idea. 62
— Ætiologia nova. 20.23.40
Febris digeſtionis dicta. 20
Febris maligna a purgatione abhorret. 66
Feminarum temperamentorum conſideratio. 86
— Natura. ibidem
Fœtus conſideratio. 85
Fermentorum damnatio. 4.27

Fi-

Fibræ corporis, quales. viij
Fiſtulæ. 107
Flatus, cauſæ morborum. 86
Flatuum origo. 14. 29
—— An a pituita? 101
Fluida, non a ſe moventur. viij. 46
—— Illorum vis erigi vix poteſt. 34
—— Impotentia. 34. 35. 43
—— Habenda ratio. 37. 68
—— Vis incerta. viij. xvij. 8
Fluidorum vitia expoſita. 11
—— Potentiæ a ſolidis. ibidem
—— Status ſub morbis. 14
Fluoris albi cauſa. 87. 99
Fomites morborum ubi & unde. 5. 26. 104
Fortuna & caſus in medicina. 114
—— Quid eſt. ibidem
Freind laudatus. ix

G

Glandula quid. iij
—— A Ruyſchio unicè bene definita. xv
Glandularum morbi a ſpaſmo. 13. 44. 85. 104.
—— Uſus legitimi. xv

H

Hæmorrhagiarum ceſſatio cauſa plurium morborum. 14
Hæmorrhoidum ſiccatio cauſa morborum. 14
Hippocratis ingenium. ij.
—— Stylus in ſcribendo. ibidem
—— Libri. ij. x
—— Imitatio in ſcribendo. ij
—— Neglectus. iv
Hiſtoria morborum. vj
Hoffmannus laudatus. xvj
Homines, quare frequentius ægrotant quam beſtiæ. 18
Humoriſtæ. xx
Humorum lapſus, pronitates. 12. 25
—— Vergentiæ. 67. 112
—— Confuſio. 42. 63
—— Aberrationes in viſceribus. 16. 103. 112.
—— Reproductio. 40
—— Coagula, craſſamina. 26
—— Vitia a ſanguine. 13
—— Proventus, origo. 22. 23. 33
—— Cauſa. 122
Humores an a ſolidor. An afluidor. vitio? 22. 122
—— An morborum cauſæ? xx. 23
—— Morborum fomites? 23
—— Incoctiles. 73
Humorum nimia cura. xvij. 34. 69
—— Signa ad purgationem. 37
—— Vergentiæ. 67
—— Saburra. 26
—— Regreſſus. 25
—— Copia. 27
—— Fraudes, Impoſturæ. 28
—— Præparationes. 68
—— Promptuaria, aggeſtus. 38. 39
—— Impetus, a ſanguine. 80
Hyaropis cauſa. 14
—— Sicci cauſa. ibidem
Hydrops pectoris. 29
—— Morborum, omnium exitus aut finis. 40
Hydropici ſanguinem fundunt ante mortem. 14
Hypercatharſis. 121

I

Idioſyncraſia. 89. 113
Impuritates, an ſanguinem ſubeant? 4. 10. 17.
Indicatio univerſalis in omnibus morbis. 40.
Infantium morborum cauſæ. 85
Inflammatio, cauſa morborum malignorum. 39
Inflammationum cauſæ. 12. 25
Inteſtina. Eorum conſideratio. 56. 92
—— Mechaniſmus ad purgationem. 5. 26. 49.
—— Syſtaltica vis immenſa. 54
—— Teneritudo ſeu ſenſibilitas. 4
—— Mucoſitates. 5
—— Secretiones qua arte fiunt. 6. 27
—— An ſentina ſint corporis? 27
—— Enormem fundunt ſuccorum copiam. 56
—— Evacuantur ſolidorum vi. 56
—— In ſpaſmum incidunt. ibidem
Inteſtini recti mechaniſmus. 56

Judicium, in rebus medicinalibus, ad quos pertinet. xviij
— *Quale ingenium, &c. postulat.* ibid.
— *Non juvenum sit, non imperitorum.* ibidem

L

Laxitates partium malè intellectæ (V. *Atonia.*) 13
Lentor sanguin. morbor. causa. 107
— *Ejus causa.* 5.10.40.100
— *In pulmone.* 95
Libri medicinales, quales hodie. j
— *Minuendi non augendi.* xiij
— *Quales esse deberent.* ij. vj
Libri hujus de purgatione scopus. xviij
— *Excusatio.* xxj
— *Censura.* xxij
Lienis consideratio. 100
Linder laudatur. ix
Liquida (V. *fluida.*)
Liquores ardentes morbor. causæ. 19
Lochiorum consideratio. 99
Lymphatica vasa. 12
Lymphæ eadem vitia quæ sanguinis. ibid.
— *Morbi.* 12.108
— *Purgationi malè cedunt.* 109

M

Malignarum febrium Idea. 73.89. 112
— *Causa a spasmo.* 13
— *Non ab humorum saburra.* 39
Malignitatis prætextus. 43
Medentis scopus. 40
— *Audentia.* ix
Medentium successus varia ratio. xxij
Medici Parisienses. ij
— *Hippocratis sapientiæ æmuli.* ij
— *Medicinam restaurarunt.* ij
— *Ab Arabismo vindicaverunt.* ibid.
Medicus. Illius excellentia. xj
Medicina, in quo consistit. i. 58
— *In notionibus, non verbis.* xiij
— *Disciplina est, non audentia.* 58
— *Illius status hodiernus.* j
— *Lapsus causa.* iij
— *Improtecta, quæ toleranda.* xxj
— *Illius dignitas.* xj
Melancholicus succus. 83.112
Membranarum diathesis morbosa. 15.38. 108
Mensium in feminis errores. 42
Mercurialium agendi rationes. 109.113
Mesenterium an sentina? 39
Metaphysica in physica. 10
Metastates. 50. 112
Methodus medendi, quando omittenda. 116
— *Qualis initio morborum.* ij
Minorativa (V. *Eccoprotica.*) 3
— *Eorum pericula.* 60
— *Quando conveniunt.* 59 105
— *Eorum agendi rationes.* 110
Mixtione fiunt secretiones. 2
Moor (*de*) *laudatur.* lx
Morbi idea. 11. 103
— *Motus.* iv
— *Causæ.* 11.103
Morborum causæ sunt succorum diverticula. 42
— *Ametriæ, anomaliæ, directionum mutationes.* 11.40.44
Morbi, a solidis fiunt. 12.24
— *A solidorum elatere aucto.* 13
— *A frigore perperam intellecto.* 14
— *Acuti & chronici a causa communi.* 40
— *Illorum differentiæ.* Ibidem.
— *Quibus nocet purgatio.* 82. 102.
— *Universales qui & quot.* 102.
Morborum proprietates ad purgationem. 89.
— *Fomites.* 103
— *Mutationes.* 103
— *Diagnosis bene instituenda.* iv.
Morbillorum causæ. 104
— *Cura.* 105
Morton qualis Medicus. vj.
Motus Progressivus, omnis boni author. 63. 99. 100
— *Intestinus, omnis mali causa.* Ibidem.

N

Nævi. Eorum causæ. 42
Narcotica. Quomodo agunt. 76
Natura. Illius motus. vj. 67
— *Detractatores insulsi.* x.

Natu-

— *Delicta quoque verenda sunt.* 58
Naturæ, quandiu auscultandum. 58
— *Majestas, definitio.* xj.
Navigatio. Quomodo vomitum excitat. 51
Nervea partium stamina. 11. 40
Nervi. Eorum morbi. 44
— *Agitationes, a purgat. deterrent.* 65
— *Succi aberrationes.* 16. 44
— *Vitia.* 16
— *Succo, idem quod sanguini vitium accedit.* 12
Neuter status. 78
Novatorum ingenium. 4
Novæ medicinæ incommoda. xvj.
Nutricationis ratio. 5. 9

O

Obstructiones. 13. 25. 26
Occasio purgationis. 59. 64. 68. 71. 105
Occasionum captatio. 116
— *Ad purgationem.* 124
Occillationes vitiatæ, causæ morborum. 11. 19. 25
— *Obstructionum.* 12
— *Morbor. malignor.* 13
Occillationum directiones observatæ. 40
— *Anomaliæ.* 16. 108. 49
— *Confusio, mixtio.* 49. 123
Occillationes, ab aere inductæ. 20
Oeconomia corporis. xj.
Oleosa vellicant, & quare. 48
Opiata (v. Narcotica)
— *Purgantibus admixta.* 113. 119
Orgasmus. 73
— *Quid est.* Ibidem.
— *Naturæ motus.* 73
— *Rarus.* 76
— *Præceps.* Ibidem
— *Verus, legitimus quis.* 77
— *Non est succorum incoctilium.* 77
— *Spurius, quis.* 76
— *Ægrè definitur.* 77
— *Insidias habet & fallacias.* Ibid.
Orgasmi exemplum describitur. Ibidem
Orgasmis spuriis qui obnoxii. Ibidem
Ossium morbi, unde fiunt. 44. 107

P

Pancreatis consideratio. 98
Partium textura nervea. 10. 11
Pathemata animi, morbor. causæ. 18
Pathologia, solidorum systemate innixa. jx.
Pathologiæ illius authores. jx.
Pectoris morbi. 93
— *Eorum causæ & curationes.* Ibid.
Pedum tumor, a pulmone. 25
Peregrinationis utilitas. viij.
Periostii natura. 107
— *Morborum causæ.* 59
Philosophiæ abusus in medicina. iij.
Phlogoses, earum causæ. 25
Physici munus. 44
Pitcarnius laudatus. viij.
Pituita, quid. 84. 90
Pituita cerebri. 90
Plethora. 122
Polymathia in medicina. j.
Potulentorum agendi ratio. (V. diluentia.) 89
Præcipitationes, an dentur in corpore? 4. 23. 31. 84
Præcipitationum deliria. 64. 68. 84
Præparatio humorum. 64. 68. 92
Primæ viæ. Earum purgatio. 100. 110
Profluviorum (V. colliquatio.) causæ. 16. 24.
Pulmonum consideratio. 93. 94. 96
— *Morbi.* 95
— *Iis nocet purgatio.* 97
— *Qualis illis convenit.* 96
— *A sanguine stagnante.* Ibidem.
— *A spasmo.* 96
Pulmo. Lentoris sanguinis causa. 95
Pulmonum integritas reconvalescentiam spondet. 95
Purgantia cephalica. 90
— *Drastica.* 105. *Fundentia.* 113
— *In plures doses.* 82
— *In forma solida.* 113
— *Clarificata, vulgo clarifiès.* Ibid.
Purgantia, causas morborum non attingunt. 38. 45
— *In solida operantur.* 47
— *In membranas agunt.* 48
— *Injecta intra vasa purgant.* 54

— *Vellicando agunt, non ſolum vi.* 49. 65.
— *An ſanguinem fundunt?* 47
— *Non fermentant.* 65
— *Opiatis maritata.* 113
— *Humores indebitos aliquando evacuant.* 116
Purgatio. Illius antiquitas. 45
— *Felicitas.* 74
— *Infelicitas quomodo emendanda.* 119.
— *Abuſus.* 74
— *Ratio, malè intellecta.* *jv.* 2. 32. 45.
— *Non una humorum cauſa.* 45
— *Nimium evacuans.* 121
— *Illius unde tanta authoritas.* 34
— *Neceſſaria in morbis permultis.* 125
— *Determinationum reſtitutio eſt.* 65. 69.
— *Compreſſionis ſpecies eſt.* 67. 84.
— *Præceps eſſe non debet.* 67. 125
— *Felix initio morborum.* 76
— *Illius ſcopus.* 81
— *Indicatio.* *jv.*
— *Periculoſa initio morborum.* 66. 69. 79
— *Intermittenda & quando.* 113
— *Leges habet & quales.* 66. 67
— *Ex Hippocrate.* 66
— *Non certæ eſt operationis.* 69. 92
— *Accommodanda morbis, temperamentis.* 71
— *Ad futuros morbos.* 78
— *Ad naſcentes, natos, denaſcentes morbos.* 78
— *Non una humorum cauſa inſtituitur.* 78
— *An ea carere poſſet medicina?* 122
— *Illius quomodo judicanda felicitas.* *xxij.*
— *Periculoſa ad præcautionem.* 78. 79
— *Quando convenit.* 79
— *Quando nocet.* 109. 112.
— *Seroſi humoris aut lymphatici.* 110
— *Quibus morbis propria.* *jv.*
— *Poſt morbos.* 87. 94.
— *Periculoſa morbis uteri.* 87
— *Solidorum doctrinæ innixa.* *xxj.*
— *Accommodanda diverſimodè.* 82
— *Ad ſexus, regiones.* 85. 88
— *Ad temperamenta.* 82
— *Ad bilioſos, melanchol.* 82
— *Ætates.* 84
— *Vitæ conditiones.* 88
— *Quibus medicis indulgenda.* *xxij.*
— *In parturientibus.* 87
— *Fluore albo.* 87
— *Lactantibus.* Ibidem
— *In morbis pectoris.* 93
— *Lienis & ſtomachi.* 102
— *In epidemicis affectibus.* 89
— *Diarrhœis.* 102
— *Chirurgicalibus morbis.* 106
— *Cerebri morbis.* 90. 91. 92
— *In morbis univerſalibus.* 103
— *Cutis.* 103
— *Abdominis.* 98
Purgationis cautiones. 57. 104. 110
— *Delicta* 118. 120
— *Fraudes.* 81. 109. 120
— *Caſus.* 114
— *Tempora, occaſiones.* 71. 59. 68. 105.
— *Facilitas.* 122
— *Remoræ.* 59. 104. 110
— *Repetitio.* 81. 110. 121
— *Scopus.* 64. 68. 122
— *Laxandi ſolida magis, quam fluida evacuandi.* 125
— *Fruſtraneæ cauſæ.* 60. 92. 104
— *Fortuiti ſucceſſus.* 113
— *Norma.* 57
— *Noſtræ methodo quæ debetur fides.* *xxij.*
— *Signa.* 59. 71
— *Leges obſcuratæ.* *xj.*
— *Vindicatæ, a quibus authoribus.* *xj.*
Puriformes lymphæ, pulmonum, veſicæ, renum. 28
Puris proventus cauſa. 106
Puritas ſuccorum quid. 6
Purpureæ maculæ. (*V. Exanthemata.*)

R

Rachitis, illius causa. 48. 108
Recidivarum causæ. 81
Refrigerantium agendi ratio. j.
Remedia in solida agunt. 34
— Illorum agendi rationes. j.
— Vis vasa non subit. 50
— Successus quando boni. xxij.
Renum consideratio. 99
Rheumatismorum causæ, differentiæ. 104.
Rubra sanguin. pars. Illius naturæ. 10
— Usus. Ibidem.
— Mechanismus. 17
— Albæ vasa ingrediens. 16
Ruysch anatomici celeberrimi præstantia. xv.

S

Saburra humorum, unde venit. 5
— Fallax. 37
— Impossibilis. 26
— Circuitui sanguinis repugnans. Ibidem.
Saburræ signa fallacia. 37
Sales volatiles usurpandi ratio. xiv.
Salium, Sulphurum, } in corpore, ideæ incertæ. 9. 16.
Salia, an insunt sanguini. 16. jv.
— An subeunt sanguinis vasa. 16.46
Sanguis, liquor est homogeneus. 2
— Corruptioni ægrè obnoxius. 22
— Illius impuritates. 4
— Glomeramina alba. 49
— Lentor, tarditas, spissitudo. 5.22
— Stases. 5
— Natura. jv.10
— Distributio. 5
— Status sub morbis. 14
— Sub sanitate. 10
— A circuitu deviato. 14.42
— An vappescit? 22.46
— Non est sui motus author. 34
— Induratur, non coagulatur. 46
— Purpurascens, unde. } 63
— Glutine vestitus, unde. }
— Glutine pelliceo obductus purgationem removet. 66
— Vitiatur, & quomodo in morbis. 124.
Sanitas, harmonia est. xx. 9 10
Sanitatis causæ. 7.9
Sapientia medica. 77
Sapores sanguinis perperam intellecti. 10.
Scabiei cura insida, quare. 105
Scholastica medicina noxia. iij.
Secretio quid? 1
— Bilis, succi pancreatici. 1
— An mixtio sit? 1
— An puri ab impuro. 2.3.4
Secretionum artes. xx. 5
Secretoria vasa. 12
Senectus, tabis genus, unde. 87
Sensationum vitia. 16
Serum, lympha, quid est. 2
— Illius pullulantis origo. 14.25.28
— Excretionum materies est. 49
— Spissescit in gluten, quare. 49
Seri utilitas. 99
Serosa colluvies. Illius causa. 15.25
— Sedes. 28
— Purgamina. 84.122.124
— Ejectamenta. 38
— In pectore. 93. 94
Sitis, bonam spondet evacuationem. 59
Solida. Eorum potentiæ ad vitam. xx. viij. 7. 13.
— Situs sub morbis. 11. 24
— Movent fluida. 11.13.23.45
— Faciunt morbos. 23
— Eorum omnipotentia. 34
— Quid agunt in purgatione. 68. 82.71
Solidorum doctrinæ assertores. jx.x.
— Utilitas. jx.xx.
— Præstantia. xiij.
— Incommoda. xij.
— Certitudo. xvij.
— Purgationis dogma consentit. xij.
— Systema firmat Anatomia. xiv.
— An omnia mutat in medicina? xij.
— Willisio } &c. Notum.
— Sylvio de le boe } xiv.
— An improtectum est, fautoribus carens? xxj.
Sordes humorum. 2.22.26

Spas-

Spaſmi, morborum cauſæ. 13. 24. 28
—— *In capillaribus vaſis.* 13
Stagnatio ſanguinis (V. Lentor.) xiij. 124.
—— *Illius cauſæ.* 25. 44
—— *Omnium morborum cauſa eſt.* 40. 44.
Stibiata, quando unicè purgantia. 53
—— *Ano infuſa ſine purgantibus inertia.* 61
—— *Bechicis admixta.* 53
—— *In cerebri morbis quomodo agunt.* 91.
Stimulantium utilitas. 52
—— *Natura.* 45
Stomachus. (V. ventriculus) 98
—— *Illius amaror infidum purgationis ſignum.* 37
—— *Trituræ organum princeps.* 98
—— *Ægrotat a ſanguine.* 81
Strictura in morbis. (V. ſpaſmi.) xiij. 124.
—— *Cauſa morborum.* 13. 24. 28. 46
Succorum eluvies, unde. 47
Sudores, critici ſunt in pulmon. morbis. 97.
Sudoriferorum infidelitas. 69. 51
Superfluitates humorum. 3
Superfluitatum origo. 5
Suppoſitoria, ſtimulando agunt. 55
—— *Illorum mechanica actio.* 56
Sydenham, ſtudendi ratio. vj.
Sylvius de le boe. Illius laus & ingenium. xiv.
—— *In medendo felicitas.* Ibidem.
Sylviani, quare in medendo infelices. Ibidem.
Sympathiæ partium. 12
Symptomata, unde. 22
—— *Eorum natura.* 22
—— *A morbo vel a natura.* 22. jv
Syſtaltica vis. (V. Elater.) xx. 125
Syſtematum abuſus, commenta. jv. xj.
—— *Uſus.* x.
—— *Confuſio.* xij.
—— *Furor.* xj.
Syſtematis boni Idea. xvij.
—— *Conditiones.* xix. xxij.

T

Tendinum ſubſultus. 121
Teſtium conſideratio. 99
Tranſpirationis materies. 60
—— *Ratio.* 9. 15. 28
—— *Internæ ratio.* 110
Tremores artuum. 92
Tritura ſanguinis. 6. 94
—— *Febrium cauſa eſt.* 23
Trituræ ſyſtematis utilitas. xx.
—— *Commoda.* xx.
—— *Effectiones.* 16. 94
—— *Organum.* 98
—— *Potentia.* 6
Trituræ ratio in ſtomacho. 50. 98
Tumores ſeroſi. 28
Turgeſcentia quid. (V. orgaſmus.) 75

V

Varices. 107
Variolæ. Earum cauſæ. 104
—— *Cura.* 105
Vaſa. His conſtat corpus. 9
—— *Eorum infinitudo, immenſitas, mechaniſmus.* 40. 44
—— *Situs, ordo, differentiæ.* 12. 40. 47.
—— *Hiatus an dentur.* 25
Vaſa lymphatica, ſecretoria, venoſa. 12. 32.
—— *Vices ſuas mutant in morbis.* 99
Vectionis utilitas. viij
Vellicationum diverſitas. (V. occillationes.) 49
Venæ, earum uſus. 12. 40
Ventriculus, ejus functio. 1
—— *In ſingulis viſceribus.* 1
—— *Senſibilitas, teneritudo.* 19
—— *Muſculus eſt.* 50
—— *Imperium in corpus, ſymmetria.* 20.
—— *Torcularium eſt publicum.* 6. 98
Ventriculi morbi, non a ſaburra. 20
—— *A ſenſibilitate illius.* 19
Vergentiæ humorum. 67. 112
Veritas, medicinæ qualis. xvij.
Viſcera, tot ventriculi. 2
Viſci, phlegmata, quid ſunt? 3

Vita. Cauſæ. 7
—— *An a calore, an ab acido, &c.* 7
—— *In quo conſiſtit.* 8
—— *Motus eſt organicus.* 7
Ulcera Eorum natura. 106
Vocis Ætiologia. 94
Volatiliſatio in corpore, quid eſt. 105
Vomitiones, a ſolidorum impetu. 50
—— *Illarum mechaniſmus.* 50
—— *Differentiæ, & judicia.* 53.101
—— *Initio morborum.* 51
Vomitoria, nauſeas augent. 51
—— *Citius agunt, quam purgantia.* 51
—— *Quando purgantibus præferenda ſunt.* 112
—— *An in cathartica evadere poſſunt.* 51.
—— *Neceſſaria, & quare.* 51. 52. 112
—— *Quomodo agunt.* 51.101
Urinæ, crudæ, chyloſæ, puriformes. 64
—— *Earum judicia ad purgationem.* 67.
Uſus, in medendo, quid ſit. xviij.
Uteri conſideratio. 56.99
—— *Affectus a ſtatu.* 56
—— —— *A ſanguine.* Ibidem.
—— —— *An tam multi.* 56
Willis. Laus & ingenium. xiv.
Vulnerum natura. 106

FINIS INDICIS.